TROPHAEA ROMANA S. CATHOLICAE ECCLESIAE, QUAE LUTHERANISMI PROPUGNATORIBUS...

Vitus Erbermann

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
4 B
37

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

53. 6. 24.

53-B-15

Digitized by Google

Digitized by Google

TROPHÆA ROMANA
S. CATHOLICÆ ECCLESIÆ,

QVÆ

LUTHERANISMI

Propugnatoribus Jenenſibus

IOHANNI MUSÆO,

ET

ANDREÆ WIGANDO

Eripuit erexitq́;

P. VITUS ERBERMAN,

SOCIETATIS IESU, SS. THEOLOGIÆ DOCTOR, ET PROFESSOR IN ALMA UNIVERSITATE MOGUNTINA.

ECCLESIÆ VERÆ ET FALSÆ TYPUS



MOGVNTIÆ,

Typis, & ſumptibus CHRISTOPHORI KüCHLERI.

ANNO cIↃ IↃc LXXII.

S. AUGUSTINUS
lib. v. de Civit. DEI c. 27.

Facile eſt cuiquam videri reſpondiſſe, qui tacere noluerit; Aut quid eſt loquacius vanitate? quæ non ideo poteſt, quod veritas, quia, ſi voluerit, etiam plus poteſt clamare quàm veritas.

PROOEMIUM.

DEcennium eſt, quo conticuêre omnes, quibuſcum mihi erat de ECCLESIA ET FIDE conflictus. Intereanon modo Ameſium Calviniani, & Indifferentiſmum G Calixti hujus Filius cum Titio & Conringio reliquerunt indefenſum Helmſtadii; ſed etiam genuina Jenæ Lutheri ſoboles Gerhardus & Muſæus quieſcere videbantur; ſed videbantur tantùm. Nam prodiit nuperis Francofurti nundinis Joannis Muſæi iterata de ECCLESIA tractatio; quam ut primùm inſpexi, ſubiit admirari, quod non aſſequor, viri conſilium. Quis enimverò capiat, quòd, cùm olim priorem ejus de ECCLESIA tractatum per 46. quaterniones diffuſum confutarem, mox in opuſculi procemio ſciſcitatus ſim: (*Quid mirum, quid ridiculum magis, quàm homines abſynthio in Rom. Pontificem inebriatos identidem contendere vociferari, inculcare, SOLE CLARIORA ESSE QUÆ IN SYMBOLO ET SACRIS BIBLIIS AD SALUTEM CUIQUE SUNT NECESSARIA) nec ex horum cenſu eximunt articulum de Eccleſia) & nihilominus tot hactenus commentariorum voluminibus ſoli iſti illuſtrandóne dicam, an obtenebrando incumbere?*) Huic verò meæ admirationi & interrogationi, quâ vel ſolâ cordatioribus

inter Proteſtantes poterat gravis & juſta ſubnaſci de ſuo ſegrege cœtu ſuſpicio aut præjudicium, non modò nihil hactenus eſſe reſponſum, ſed jam inſuper poſt lapſum 12. annorum plùs quàm triplo ſpiſſiori volumine à Muſæo, ſi non unicè, ſaltem præcipuè diſceptari, quid in Symbolo & Bibliis per vocem ECCLESIA ſignificetur? propriène an ſynecdochicè & impropriè dicta? Quid ergo? An fortè ſperat me alióſque Catholicos ſuâ tam verboſâ quàm Thraſoniſmis & convitiis horridâ altercatione deterritos herbam ipſi porrecturos? aut ſaltem à ſuis ſibi Gregalibus illuſtrem ob Erbermannum cæteróſque Pontificios debellatos decretum iri triumphum, eò quòd paſſim SUA jactet *ſolida, liquida, immota, inconcuſſa, invicta* &c. MEA verò *inepta, ridicula, delira, monſtroſa, abſurdiſſima*? me ipſum denique veluti Theologorum & Literatorum omnium peripſema viliſſimum traducat? Muſæo enim (ut paucos ex ejus roſeto flores decerpam) ERBERMANNUS eſt *Declamator frivolus & futiliſſimus; Vindex ridiculus, quo ineptior N. non poſſet contingere; Hæreticorum peſſimus, qui veritatis amorem omnem abjecit;* Calumniator *mendaciſſimus; Futilis cavillator; Verbi divini æſtimator iniquiſſimus, inſtar leviſſimi Blateronis maledicis declamationibus deditus, veritati obliterandæ ſe totum mancipavit; Nihil niſi cavillari & calumniari didicit; Vanus; Falſus; Ineptus; Delirus; Vertumnus; ſycophanta perfrictæ & erubeſcere neſciæ frontis; Nugaciſſimus cavillator impudentis calami; ſcurra improbus, nullius candoris, germanæ ingenuitatis nullius; Abſurdorum abſurdiſſimus fabricator è monſtroſarum abſurditatum feraciſſimo cerebro &c.* Sileo ſexcenta alia hiſce vix leniora; quibus tamen BENEDICTIONIBVS LVTHERANIS mirum eſt, ſi Muſæus confidat ſe cauſæ ſuæ profuturum ſive apud ſuos, ſive apud partem adverſam. Me quod attinet, jam dudum non tantùm in Examine Examinis Conringiani, ſed etiam in tertiâ parte Anti-Muſæi protesta-

teſtatus ſum, quod & nunc repeto, nempe dum Antichriſtum hæreticorum & communem Eccleſiæ cauſam propugno, quicquid Benedictionum Lutheranarum in me jaculentur adverſarii, me etiam in lucris reponere, imò iis ſaginari, tantum abeſt ut ſentiam inde mihi *exaſperari animum, turbari judicium, præberi ſcandalum, præcludi viam ad veritatem penitus cognoſcendam, falſitatem ſolidè deſtruendam*, uti videtur Muſæus de ſuâ Lutheranâ humilitate, patientiâ & modeſtia teſtari in Diſſert. 2. Th. III. Nemo læditur niſi à ſeipſo: vilis animæ eſt injurias privatas perſequi: Omnis convitiorum fructus in ſenſu eſt, & juxta Comicum,

Ἥδιον οὐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερον ἐστ', ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν.
Ὁ λοιδορῶν γὰρ, ἐὰν ὁ λοιδορούμενος μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖθ' ὁ λοιδορῶν.

Apologiam proinde Muſæanis criminationibus nullam opponam, cùm ipſi moderatiores & æquiores è Proteſtantibus collatis utriuſque ſcriptis ultro agnituri ſint, uter noſtrûm moderatior mordaciorve ſit, & me in Muſæi perſonam nullam ei jaculatum eſſe contumeliam aut convitia; hunc verò paſſione potius quàm ratione in vindicandâ ſuâ inviſibili Eccleſia actum eſſe. Solùm moneò, iniquè me ab eo *mendaciſſimum* proclamari, cùm nec unicum à me advertente contra rei veritatem & conſcientiam prolatum oſtendere queat. Viderit verò Muſæus, ne univerſæ Germaniæ ſuffragio, in ſe ſuóſque Collegas illud MENDACITATIS elogium reſiliat, cùm nuperâ æſtate *permiſſu & conſenſu Collegii Theologici in illuſtri Academia Ienenſi* lucem aſpexit *Andreæ Wigandi ſermo revocatorius* de tot palpabilibus mendaciis convictus, quibus vix cedit illud, quo Muſæus p. 2. diſp. IV. Th. XCV. ait, *fateri me utrumque dialogum* inter Lutherum & Arium *deſumptum eſſe ex Forero*, cùm ex inſpectione pag. 189. cuivis non cœco evidens ſit, me de priore tantum dixiſſe, eum ex quæſt. vex. Foreri deſumptum, &

æquè clarum ſit, poſteriorem apud Forerum non extare, ſed hoc mortuo, à me tunc primùm ex integro fuiſſe contextum. Nec reponat Muſæus p. 306. *mentiri me*, cùm in 3. p. p. 156. dicitur *Concordiſtas non ſemper arridere Muſæo.* Hoc quippe non à me, ſed ab alio adſcriptum eſt, cui & notus ſatis eſt Muſæus, & cui ipſe cum ſcurris non auderet dicere, *Mentiris!* Quod denique mihi ineptitudinem & inſcitiam, & tantùm non ſtolidam aſinitatem opprobrârit Muſæus, non credo etiam ſuæ ſectæ hominibus facilè perſuaſum iri. Præcipitavit forſan ira furórque mentem ejus, ut non recordaretur, quod celeberrimus Lipſiæ anteceſſor Joan. Hülſemannus in ſuâ dialyſi plùsquàm ante 20 annos objecit G. Calixto, *quòd deſeruerit hoſticum, & prælia indicta Theologis Moguntinis, Colonienſibus, omnibúsque Germaniæ Academiis Rom. Pontifici addictis Auguſtanæ Confeſſionis hoſtibus, quorum hyp.raſpiſtæ Bartholdus Nihuſius, & Vitus Erbermannus in arenâ Calixtinâ publicos triumphos agitant,* &c. Aut quod ante non multos annos Anthonius Günther Fritzius JC.[tus] & Profeſſor Grypswaldienſis meditatæ concordiæ P. Maſenii mordaciſſimus cenſor Conſ. XXVII. p. 327. ſuam de meis contra Helmſtadienſes lucubrationibus criſin obiter depromens, etiam convitiando me plurimùm ſupra propriam exiſtimationem extulerit, dum ait: *Novus Atlas inter Jeſuitas ſurrexit V. Erbermannus, qui ut magnificè ſuum extenderet & probaret robur*: & infrà *Is Erbermannus in Interr. apologet. pro Papa Deo ſuo acerrimè certat; & ſanè in falſâ hâc cauſâ perſonam ſuam egregiè agit -- nihil tamen TANTO VIRO in re tam ſeria occupato dignum agit* &c. Denique quod intra biennium Thomas Reiſner L. Ingolſtadio Lipſiam profugus in confutatione motivorum L. Andreæ Frommii p. 88. abſolutè præcipuum me Controverſiſtarum Pontificiorum pronunciavit, & pag. 71. ait: Alſo zihet Erbermannus

mannus auff / der doch alſs der führnembſte Controversſiſt Päbſtiſcher Seiten jetziger Zeit gerühmet wird. ſic iſti, omnes utrique Lutherani non minùs ac ipſe Muſæus, cujus pròinde iras diráſque in me quid ita exacerbârit - non eſt difficile hariolari. Nimirum ſenſit Lutheraniſmi hyperaſpiſtes inſtauratum à ſe commentum de utopica & multipliciter chimæricâ clanculariorum Sanctorum Eccleſiâ, uti & motivum ſuæ Fidei omnibus Hæreticis commune, ac ſuper omnia ſacrilegam verbi divini carnificinam à Gloſſis Jenenſium exercitam, à me eſſe omnium oculis ita expoſitam, ut me obtulerim ſubjecerimque non modò Cæſaris Procerumque Imperii, ſed etiam Græcorum Rom. Eccleſiæ inimicorum, imò quorumvis, etiamſi à ſacris Chriſtianorum alieni, dummodo aliàs naturalis æquitatis & prudentiæ laude conſpicui ſint, arbitrio & definitioni ad legem Talionis & ſtigma teterrimum in Calumniatores jure decretum, niſi perſpicuè in meâ JUSTA EXPOSTULATIONE evicerim, per atroces calumnias, propudioſa mendacia, & crimina Falſi patentiſſima tam à Gloſſis Jenenſium, quàm à Confeſſione Gerhardinâ Antichriſtianiſmum Rom. Eccleſiæ affingi. Hinc illæ lacrymæ! hinc iræ & diræ in Erbermannum! ſed has nihil moror, nec ulciſcar ſimili convitiorum degrandinatione in Muſæi perſonam; etſi præſtare nequeam, quin è trium capitalium fœdiſſimorumque errorum diſcuſſione in eorum propugnatorem non levis macula redundet. Sed neque in multiloquio, quo veritas nec delectatur nec indiget, ſequar Muſæum. Quam verboſitatem, dum hæc ſcribo, vidi etiam vehementer improbari à quodam ſcriptore Ianſenitis quàm Jeſuitis addictiore, cujus criſin non pigebit hic recenſere. *Deprehendo*, inquit, *eum nimis verboſum, & tædiosè diffuſum ſæpiſſimè in iis operosè probandis occupatum, quæ lippis & tonſoribus nota, vel*

primâ fronte perſpicua & obvia ſunt. Totum opus ſi cribrandum eſſet, ſubſtantia ad paucas paginas redire poſſet. Videtur ſibi nimium blandiri de ſuis conceptibus & terminis philoſophicis ac peripateticis, ita ut per inanem ejusmodi doctrinæ præſumptionem etiam Patres *omnes antiquos impugnare non vereatur.* Sic ille Anonymus. Eſt autem in tanta illa verboſitate Muſæi illud vel maximè obſervandum, quòd viciſſim majorem partem illorum, quæ in tribus meis Opuſculis oppoſui, & reverà jugulum ſuæ ſectæ ſtringunt, vel omnino diſſimulet, vel tanquam NUGAS ſuo examine indignas explodat; de quibus infrà ſigillatim. Hic ſolùm notaſſe ſufficiat, quàm ſuaviter à 4 Dialogis rei veritatem ad faciliorem captum explicantibus ſe expediat. Dixeram in proœmio Parallelorum (*Equidem Paganus ſi eſſem, Muſæanâ doctrina conceſſa, non dubitarem, me quicquid eſt Chriſtianiſmi poſſe funditus convellere.*) Cujus mei effati minimè vani ſpecimen daturus ad calcem parallelorum contexui Dialogum, in quo ſub nomine Muſæi & Philoſophi Sinenſis tentatur hujus converſio ad fidem Chriſtianam juxta principia Muſæi, quæ res cum infeliciter ſuccedat Muſæanæ doctrinæ inhærendo, ex voto perficitur in poſteriore Dialogo per Theologum Romanum. Quid quæſo hîc NUGARUM eſt? Vel enim verè juxta utriuſque partis doctrinam proceſſi ego, vel non? Si verè; cur veritati Muſæus non acquieſcit? ſi malè; cur non oſtendit in quo defecerim? Aut in quo aliquid ſiniſtri Lutheranæ methodo affinxerim? Fruſtrà igitur ſuas Diſputationes & convitia finit hâc proteſtatione, *ſe has DIALOGORUM NUGAS reſponſione non dignari.* Similiter in p.2.Diſp.4, t.95. ut NUGAS dedignatur Dialogos, priorem Foreri, quo luculentè monſtratur, non poſſe Lutherum

therum ex ſolo verbo ſcripto Arianam Hæreſin convincere; poſteriorem meum, quo ſub nomine Arii oſtenditur, non poſſe ex verbo DEI ſcripto, juſtitiam imputativam Fidei ſpecialis à Luthero (ut apertis ipſe verbis fatetur) inventam probari. Fruſtra, inquam, per 7. paginas declamat contra *populares* ut vocat, *Dialogos*, quaſi non conſtaret, non modo profanis Philoſophis, ſed etiam plurimis Chriſtianis acutiſſimi ingenii & omnigenæ literaturæ arriſiſſe, Juſtino, Origeni, Cyrillo Alex. Theodoreto, &c. quàm ſubtiliter & fortiter tali formâ dialogiſtica rem contra Gentiles & Hæreticos confecerint. E Recentioribus perluſtret Muſæus nuperrimè apud Ubios excuſos XVII. Dialogos in 1. p. APOLOGETICI Theologiæ moralis S. I. quibus P. Honoratus Fabri præcipuas & graviſſimas difficultates ſubtiliter, perſpicuè, ac ferè geometrico rigore pertractavit. Quis igitur non rideat Muſæum, dum ſub prætextu *popularium dialogorum*, quaſi ſuâ excellentia indignorum, detrectat illorum vel manus dare firmitati, vel demonſtrare imbecillitatem & vitium. Nonne omne colloquium & diſputatio, quæ vivâ voce inter præſentes peragitur, nihil aliud eſt, quàm Dialogus? Certè noſtri Dialogi nervum cauſæ utriuſq; exprimunt, & nihil in iis *populare*, niſi fortè Muſæus putet non poſſe inter eruditos eſſe colloquia de rebus ſummis. Niſi ergo Muſæus ſimili Dialogo oſtenderit, quòd juxta ſua principia poſſit convertere Gentilem Philoſophum, non verò vice verſâ per ea totum Chriſtianiſmum everti. 2. Arium è ſolâ S. ſcriptura poſſe convinci. 3. Imputativam juſtitiam non eſſe

)(purum

purum putum figmentum, vel à nocturno didaſcalo ſuggeſtum, vel è turbato Lutheri cerebro prognatum; hæc inquam, niſi pari aut majore claritate, quàm noſtri Dialogi, literato orbi oſtenderit, ab omnibus meritò habebitur devictus, iidemq; Dialogi (veluti ſpolia Lutheranis detracta & Trophæo noſtro affixa) ad perpetuam rei memoriam teſtabuntur, Lutherano Evangelio non poſſe converti Gentiles, ſed everti quicquid eſt Chriſtianitatis, nec poſſe convinci Arium, ſed potiùs illud de imputativâ Iuſtitia Chriſti per fidem ſpecialem apprehensâ evidenter convinci tanquam commentum & ſcripturæ ſacræ & Traditioni XV ſæculorum adverſum.

Et hæc præmonuiſſe ſufficiat. Deinceps è triplici capitali errore ſuprà memorato totidem ordine TROPHÆA erigemus opimis ſpoliis Muſæo ereptis gravida (quorum prima vocetur ECCLESIA UTOPICA; 2. ANIMA TOTIUS HÆRESIS; 3. CARNIFICINA SS. SCRIPTURÆ) quibus hinc indè etiam velut umbra Muſæana accedet Andreæ Wigandi famoſiſſimi, SERMO REVOCATORIUS & APOLOGIA, in qua miſer & mendax, irá furoreque mentem præcipitante, non erubuit mihi imponere ALTUM & DESPERATUM SILENTIUM ad recentiſſimum Muſæi partum; cum tamen jamtum, non expectatis tot hebdomadis quot Muſæus annis, decreverim iſta TROPHÆA adverſus utrumq; HERCULEM LUTHERANUM, quales ſe quidem haberi velle videtur Wigandus.

ECCLE-

ECCLESIA UTOPICA:

SIVE,

TROPHÆUM PRIMUM,

Quo plurimis argumentis demonſtratur

MUSAEANUM COMMENTUM

DE INVISIBILI SANCTORUM LUTHERANORUM ECCLESIA

eſſe evidenter incredibile, & non paucas implicare contradictiones.

SUfficere equidem loco omnis probationis deberet, quod ad finem hujus Trophæi oſtendetur, Dogma hoc de inviſibili Eccleſia eſſe inter ea ipſa dogmata, quæ Lutherum Diabolus in nocturna Diſputatione edocuit; ut tamen ſit ſuperabundans Catholicæ Veritatis Aſſertio, multiplici argumentorum copiá eam confirmabimus. Ante omnia autem præmittenda eſt articuli de Eccleſia expoſitio, tam Catholica, quàm Acatholica; quam prolixiorem exhibui in Parallelis; hîc magis contractam dabo.

Digitized by Google

CATHOLICA EXPOSITIO
Articuli de ECCLESIA.

ECcleſia Chriſti in terris militans propriè dicta (ut ipſum nomen indicat) eſt cœtus vocatorum ad juſtitiam & ſalutem acquirendam, per puram verbi prædicationem & Fidem, legitimúmque ſacramentorum uſum ſub regimine Paſtorum à Chriſto inſtitutorum. Continet proinde tanquam membra omnes & ſolos, qui purâ Fidei profeſſione ac debito Sacramentorum uſu ſub uno Paſtore viſibili Chriſti Vicario Romano Pontifice, Deo hominibúſque (ſaltem in voto ſi non reipſâ) innoteſcunt, ſive ſint ſancti, & juſti, ſive peccatores & reprobi, ut multis parabolis Evangelium docet. Excluduntur verò ab eâ non modo Iudæi & Gentiles, ſed etiam Hæretici & Schiſmatici. Hæc igitur Eccleſia per totum orbem diffuſa plurimis ſemper illuſtribus ſignis conſpicua manet, & veluti civitas ſupra montem poſita hoc ſignum habet certum, quòd abſcondi non poſſit. Præcipuè autem conſpicua redditur his notis: quòd ſit VNA, SANCTA, CATHOLICA, APOSTOLICA. Vna eſt, tum ob unum finem vitam æternam, tum ob unitatem mediorum generalium, Baptiſmi ſcil. & Fidei unius nulla hæreſis aut ſchiſmatis mixtura interpolatæ; tum ob unitatem Spiritûs gratiæ & charitatis, quo fideles præcipuè vivificantur; tum denique ob unitatem capitis tam viſibilis quàm inviſibilis. SANCTA eſt tum ob ſanctitatem auctoris & capitis ſui, qui Chriſtus eſt; tum ob ſanctitatem finis, quia nimirum DEO ejusque cultui dedicata; tum ob media ad veram ſanctitatem comparandam efficacia, ut præcepta, conſilia, ſacramenta; tum ob copiam divinorum chariſmatum; tum denique quia ſecundum præcipua membra peccati mortalis labe non inficitur, & quovis ſæculo aliquos admirando magis quàm imitabili virtutum faſtigio eminentes exhibet. CATHOLICA eſt, non ideo tantùm quia profitetur doctrinam catholicis libris proditam, aut quia nulli ſit alligata loco aut genti, ſed vel maximè à poſitiva univerſalitate locorum tempotúmque. Denique APOSTOLICA, tum quia fundata ſuper fundamentum Apoſtolorum; tum quia propagata eſt in univerſum orbem; tum quia antiquam Apoſtolorum fidem & doctrinam ſive ſcripto ſive voce traditam continua ſucceſſionè diligenter conſervat; tum quia habet Paſtores & Doctores, qui continuâ ſerie per legitimam vocationem ab Apoſtolis ad nos uſque deſcenderunt, quam quidem ſucceſſionem tanti ſemper fecerunt, præſertim in Romanâ Eccleſiâ, SS. Patres, ut etiam ob ſolius hujus defectum quosvis hæreticos ſatis de falſitate convictos exiſtimârint. Ex quibus liquidò appatet, militanti in terris Chriſti Eccleſiæ inſeparabiliter connexam eſſe tum infallibilitatem omnimodam & perpetuam

in

EXPOSITIO LUTHERANA
Articuli de ECCLESIA
Verbis Muſæi.

DE Eccleſiæ propriè dictæ membra ſunt omnes & ſoli veri Fideles & ſancti, qui ſcil. fide ſpeciali meritum Chriſti apprehendente pollent, adeóque ſancti dicuntur, tum per ſanctitatem Chriſti ſibi imputatam, tum per ſanctitatem internam licet imperfectam. Hæc Fides ſpecialis certam fiduciam remiſſionis peccatorum, itémque charitatem nexu individuo includens eſt forma, quâ Eccleſiæ membra conſtituuntur. Hujus Eccleſiæ caput unicum eſt CHRISTUS cooperantibus miniſtris Verbo & Sacramentis. Semper permixta eſt cum non ſanctis & hypocritis; & ita etiam ſub impuriſſimo Antichriſti miniſterio per mille annos ante Lutherum conſervari potuit, & eſſe mater Fidelium. Toto autem eo tempore Eccleſia Pontificia non habuit notas veræ Eccleſiæ, quæ ſunt pura prædicatio Verbi, & legitima Sacramentorum adminiſtratio. Proin eſſentiale eſt Eccleſiæ Verbum DEI & Baptiſmus; accidentale verò puritas doctrinæ & Sacramentorum: Unde quoad hanc eſt valde varia Eccleſiæ facies diverſis temporibus; & conſequenter Eccleſia propriè dicta pro omni tempore & ſtatu definitur: Quod ſit congregatio ſanctorum, in quâ ſpiritus S. per prædicationem Verbi, & uſum Sacramentorum regenerat, & per Fidem Chriſto unit, & ſanctificat, qui ejus gratiæ obicem non ponunt. Eccleſia autem in ſtatu connaturali conſtituta rectè cum Auguſtanâ Confeſſione dicitur: Congregatio ſanctorum in quâ Verbum DEI purè docetur & Sacramenta rectè adminiſtrantur. Diſtinguitur Eccleſia in univerſalem & particulares; & hæc ſtrictè loquendo includit in ſuo conceptu tam Doctores quàm Auditores, undè particulares ſecundum miniſteria diſtincta ſunt. Tam particulares quàm univerſalis propriè loquendo ſunt corpus Chriſti vivum & ſpirituale, columna & firmamentum veritatis, cui portæ inferorum non prævalebunt. De Eccleſia Synecdochicè accepta quatenus ſcil. continet bonos & malos res ſatis intricata & dubia eſt, an uno pluribusque vocatorum cœtibus hæreſi contaminatis vel per ſchiſma avulſis, reliqui adhuc conſtituant unam illam Eccleſiam; extra quam verè credentes & ſancti nulli, nulla ſalus detur? Affirmant cum SS. Patribus Cypriano, Hieronymo, Auguſtino & aliis Pontificii, imò & M. Antonius de Dominis; ſed hi omnes nimium coarctant Eccleſiam, cùm etiam extra Eccleſiam tam anguſtis terminis incluſam detur ſalus infantibus, baptizatis & ſimplicibus innoxiè errantibus. Dicendum ergo Eccleſiam catholicam eſſe verè creden-

Digitized by Google

in publicâ Fidei profeſſione, quàm viſibilitatem. Et hæc quidem conſiſtit in eo, quòd vera doctrina & Fidei profeſſio legitimáque Sacramentorum adminiſtratio in illâ ſic perpetuò vigeat, ac in oculos aurésque incurrat, ut unà cum prædictis notis inſignbus (quibus accenſentur gloria miraculorum, donum prophetiæ, converſio gentium &c.) reddatur præ omnibus cœtibus Gentilium & Hæreticorum eminentiſſima, adeóque evidenter credibilis. Porro conſpicuus ille Eccleſiæ ſplendor ad finem intentum nihil aut parùm conduceret, ſi brevi & incertâ annorum periodo circumſcriptus adeoque defectibilis foret; aut ſi quando ejus publica profeſſio cum deceptione aut falſitate poſſet eſſe conjuncta; Vnde relicturus terras Chriſtus dedit quoſdam quidem Apoſtolos - - alios Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum, donec occurramus omnes in unitatem &c. ut non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum &c. Vnde licet Eccleſia inter multam paleam, multáqne Zizania conſtituta multa toleret; tamen quæ ſunt contra Fidem & bonos mores non approbat, nec tacet, nec facit. Proinde non oportet quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſiâ ſumere, cùm Apoſtoli quaſi in depoſitorium dives pleniſſimè in eam contulerint omnia, quæ ſunt veritatis, ut omnis, quicunque velit, ſumat ex eâ potum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus; omnes autem reliqui ſunt fures & latrones, Hæretici ſcil. qui ad imagines phantaſmatum ſuorum convertunt omnia Sacramenta & verba librorum ſanctorum, adeoque hoc reipsâ agunt, ut omnis de medio ſacrarum ſcripturarum auferatur auctoritas, &c.

credentium & Sanctorum in terris militantium congregationem univerſam; particulares eſſe partiales ejuſdem cœtus certis locis circumſcriptos; eâque in hoc differre à Catholicâ, quod illa ſimpliciter omnes verè credentes & ſanctos, harum autem qualibet aliquos ſaltem ceu membra comprehendat. Quodſi igitur de modernâ Eccleſiâ Catholicâ, ſitne viſibilis, an occulta & invisibilis, quæratur; Reſpondemus eam nec viſibilem totam, nec totam inviſibilem eſſe; ſed ex iis omnibus partibus viſibilem, in quibus nec Fidei Catholicæ profeſſio publica in ſubſtantialibus corrupta eſt, nec Schiſmatis culpa reſidet; cæteris autem partibus occultam & inviſibilem, in quibus Heterodoxi & Schiſmatici dominantur; & Fidei Catholicæ profeſſio in ſubſtantialibus corrupta eſt. Nec obſtat quòd hâc ratione Eccleſia Catholica non poſſit nutanti in fide eſſe columna & firmamentum veritatis infallibile &c. id enim competit omnibus verè fidelibus & ſanctis ſimul ſumptis, nullatenus autem Rom. Pontifici. & viſibili hominum cœtui, qui illi ſubeſt. Vndè nec Paulo contradicetur, nec quicquam ſtatuetur abſurdi, ſi dicatur Eccleſiam quandoque eſſe in eo ſtatu, quo nutanti in fide nec nota ex Profeſſione Fidei, nec columna & firmamentum veritatis per ſeipſam eſſe poſſit. Sufficit quòd id præſtet ratione doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ, quam tenet & profitetur, tenebitque uſque ad conſummationem ſæculi. Erunt proinde hæc Eccleſiæ latentis ſcripta quædam profeſſio. (Nec contra ſtringere nos poteſt auctoritas SS. Cypriani, Auguſtini, &c. cùm falſiſſimis nitantur præſuppoſitis.) Adeóque tunc etiam cùm ubique locorum abſcondita eſt Eccleſia Catholica, hæc ipſa ſuo modo eſt radix viſibilis, ſplendeſcens ſol, fons apertus. Viſibilis enim eſt ſuo modo, confusè ſcil, ex Eccleſiæ primitivæ doctrinâ in ſcripturis SS. comprehenſa. Ex quâ quotquot Fidelium cœtus in terris dantur vitam habent, lucem accipiunt, & aquam hauriunt ſalientem in vitam æternam.

PUNCTUS

PUNCTUS DIFFI-CULTATIS

EX hactenus allatâ utriusque partis expoſitione deducitur ad hoc unicum, An vera & proprie dicta Eccleſia Chriſti militans in terris ſit conſpicua & viſibilis, ita ut ejus membra conſtituantur eſſentialiter & formaliter per ea, quæ etiam in ſenſus incurrunt, ut & profeſſio Fidei incorruptæ, uſus Sacramentorum legitimus, cum ſubjectione debita capiti & Paſtori viſibili? uti omnes Catholici profitentur: An potiùs ſit inviſibilis, cujus proinde membra conſtituantur per merè internos actus Fiduciæ & Charitatis, & juſtitiam Chriſti extrinſecè ipſis imputatam? uti omnes ſectæ poſt Lutherum enatæ neceſſariò (ex ſuppoſitione defectionis à verâ viſibili Eccleſiâ) & conſequenter dicere debent. Ne enim ob ſeparationem à Catholicâ & viſibili congregatione Rom. Pontifici conjunctâ manifeſte convincantur Schiſmatis, commenti ſunt Eccleſiam inviſibilem, cujus membra ſint ſoli ſancti, quales fingunt ſemper fuiſſe per mille annos ante Lutherum ſub corruptiſſimo miniſterio Papæ Antichriſti ſui. Eſt igitur nobis hîc vanitas hujus commenti, & veritatis Catholicæ perſpicuitas demonſtranda. Quod fiet ex his Capitibus:

1. Ex claris veteris & novi Teſtamenti Scripturis,
2. Ex ipſo lumine naturali,
3. Ex perpetuo conſenſu omnium ſæculorum ante Lutherum.
4. Ex ipſa Confeſsione Auguſtanâ,
5. Ex implicantiis Chimericis Synagogæ Muſæanæ.
6. Ex notis veræ Eccleſiæ.
7. Ex notis falſæ Eccleſiæ
8. Fundamenta Muſæi evertentur.
9. Extra Eccleſiam Cathol. viſibilem neminem ſalvari poſſe oſtendetur.
10. Schiſma Lutheranorum eſſe inexcuſabile,

CAPUT

CAPUT PRIMUM.
Ex ſacris literis convincitur Eccleſia Chriſti viſibilis.

HAnc Propheta ille Evangelicus Iſaias II. 2. & ſeqq clariſsimè prædixit: *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. fluent ad eum omnes gentes* & c. LX. *Surge illuminare Ieruſalem - - ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* & c. LXI. v. 6. & 9. *Vos Sacerdotes Domini vocabimini, miniſtri DEI noſtri; omnes qui viderint eos, cognoſcent, quia illi ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Prophetiæ reſpondet Evangelium, veteri Inſtrumento novum. Quî enim clariùs poterat viſibilis congregatio exprimi quàm verbis ipſius Salvatoris Matth. V. *Non poteſt abſcondi civitas ſupra montem poſita: ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam - & tibi dabo claves regni cælorum.* Certè claves, hoc eſt, authoritas miniſterialis non exercetur per latibularios. Matth. XVIII. *Dic Eccleſiæ, quã qui non audierit ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Eandem perſpicuam viſibilitatem indicant parabolæ: *Area*, ubi triticum paleis miſcetur Matth. III. *Sagena* congreganti bonos & malos Matth. XIII. *Nuptiarum*, in quibus erant boni & mali, Matth. XXI. Et de quinque Virginibus prudentibus & totidem fatuis Matth. XXV. Sic & Apoſtolus. 1. Tim. V. *Scripſi tibi hæc ut ſcias quomodo debeas converſari in domo DEI, quæ eſt Eccleſia DEI viventis columna & firmamentum veritatis*; & Epheſ. IV. *Deus poſuit in Eccleſia primum Apoſtolos, deinde Prophetas, Doctores & Paſtores* Act. XX. *Attendite vobis & univerſo gregi, cui conſtituit Spiritus S. vos Epiſcopos regere Eccleſiam DEI.* &c. Certè in his & ſimilibus ſole meridiano clarius eſt indicari cœtum Chriſti Fidelium, qui non poſſit non incurrere in notitiam externam per ejuſdem Fidei profeſſionem, ſacramentorum communionem, ſubjectionem ad legitimum Paſtorem & caput ſimiliter viſibile juxta illud Chriſti Ioan. X. *Et erit unum ovile, & unus Paſtor.* Huc accedunt illa Apoſtoli loca Epheſ. I. Coloſs. I. in quibus Eccleſiam vocat *Corpus Chriſti*, quod certè eſt organicum, habens per varia membra varias functiones & actus, qui in ſenſum viſûs & auditûs incurrunt, charitatem & gratiam ſanctificantem non neceſſario ſupponunt, quæ juxta adverſarios in ſolis veris Eccleſiæ membris invenitur. Ex quibus omnibus

Digitized by Google

bus luce meridianâ clariùs apparet Eccleſiæ militantis conſpicua viſibilitas, & membrorum ejus forma requiſita & ſufficiens vid. ejuſdem Fidei profeſſio & ſacramentorum uſus ſub uno Paſtore, quæ omnia per ſenſus externos innoteſcunt. Quæ Muſæus Diſp. IV. Th. 50. & ſeqq. tribus meis argumentis è SS. Scripturis deductis opponit, præter inania verba nihil habent. I. Negat *corpus myſticum debere organorum diverſitatem habere uti corpus naturale*; quod certe è diametro contradicit Apoſtolo. 1. Cor. XII. ubi organicam diverſitatem officiorum, membrorum & partium Eccleſiæ planè neceſſariam per totum ferè caput oſtendit. II. Ait, *piſces malos non eſſe veras partes congregatorum in ſagena bonorum piſcium.* Præclare! at nunquid ſunt partes piſcium congregatorum abſtrahendo à bonitate & malitiâ? quis dubitet? III. Arguit, *inepte dici cœtum obire munia Eccleſiaſtica,* at non magis ineptè, quàm homo dicitur loqui. ſcilicet. per os & linguam. IV. ait, *per poteſtatem Ordinis & Iuriſdictionis, non vero per formam qua conſtituuntur membra Eccleſiæ, obiri functiones à Miniſtris, adeoque non ut membra, ſed ut inſtrumenta ſunt.* At nonne etiam apud Lutheranos nemo conſtituitur ut inſtrumentum & Miniſter verbi, niſi qui præſumitur & creditur habere fidem ſpecialis miſericordiæ: atque adeo eſſe (juxta Muſæum) inter viva Lutheraniſmi membra? Nemo, qui vel in Rom. Eccleſia, vel in quâlibet ſecta inſtituit miniſtros ſacrorum, ita deſipit, ut admittat ſuſpectos de diverſâ religione. Certè nec ad ſuam cœnam (nedum adminiſterium) nuper admiſiſſent Wigandum Ienenſes, niſi juraſſet in Formulam Concordiæ, adeoque credere, ſe juſtificatum per imputationem meritorum Chriſti, cui proin Fidei connexa ſit Charitas. ſicut ergo Baptiſmus non eſt forma, per quam conſtituitur quis Eccleſiæ Miniſter; & tamen eſt eſſentiale prærequiſitum ad SS. Ordinem: ita & Fides Lutherana apprehendens juſtitiam Chriſti ſibi imputatam. Manet proinde intactum in ſuo robore Argumentum tertium. Muſæus ejus argumenti probationem per puram omiſſionem expedit, inquiens: *NVGÆ SVNT, quibus diſcutiendis nolumus tempus & chartam perdere.* Lepidum caput! In ſuperfluis tam prodigus *chartæ & temporis* cur hic tam tenax? Nimirum nova Muſæi & plane expedita ratio objecta refellendi, dicere: NVGÆ SVNT! dummodò lectores Muſæi auctoritate permoti id mox credant. Ego vero totum argumentum cum ejus probatione reproduco, & cujusvis æqui lectoris judicio permitto: NVGÆNE SINT, an potiùs intentum evincant?

Si Eccleſia conſtat ſolis ſanctis, qui charitate & Spiritu DEI aguntur nemo poterit illam audire, nemo ab eâ doceri, nemo illi obedire &c. (quod tamen unusquisque tenetur præſtare niſi velit haberi tanquam Ethnicus & Publicanus) Atqui ſic reipſâ tollitur à Proteſtantibus omnis Eccleſia, quam in Symbolo profitentur. Sequela Majoris patet, quia ille cœtus de cujus membris non poſſumus habere ſaltem probabilem perſuaſionem, quod habeant formam neceſſariò ad membrum Eccleſiæ conſtituendum requiſitam, non poteſt obire munia Eccleſiæ. Quis enim prudenter de rebus fidei credat infideli? Quis obediat niſi Præpoſito? cur autem habeatur Chriſtianorum Præpoſitus, de quo prudenter dubitari, imò certo-moraliter ſciri queat, quod non ſit verè Fidelis, non verum & aliquo modo vivum Eccleſiæ propriè dictæ membrum? Id verò juxta adverſarios admittendum eſſe convincitur ex eo, quod de ſanctitate & charitate ſupernaturali Miniſtrorum proteſtantium

Digitized by Google

tium nemo prudens poteſt habere qualitercunque probabile judicium. Quis enim niſi temerè ſibi perſuadeat, Miniſtros Lutheranos eſſe homines ſanctos Spiritu DEI actos, nullo peccato etiam leviſſimo deliberato aſperſos? quos tamen paſſim experiatur planè immerſos carni & ſanguini, terrena ſapere, & ſi non in crimina, ſaltem in innumera verba otioſa, ſenſuum oblectamenta &c. quotidiè labi; nunquam autem percipiat, quod culpas illas internâ pœnitudine retractent, adeoque Fidem & charitatem recuperent. *Si ſepties in die cadit juſtus*, & *in multis offendimus omnes*, & ita (juxta Lutheranos & Calviniſtas) Fides & Charitas, ideoque vera Eccleſiæ communio quotidie toties perditur? quis ullum Miniſtrorum Neo-Evangelicorum credet ſanctum, & vivum membrum Eccleſiæ illius, quæ non includit, niſi quos DEI Spiritus agit? Vt nunc ſileam opera & mores illos, ad quos Spiritus DEI agit. Ab ejusmodi enim moribus à S. Auguſtino l. de util. credendi c. 17. & l. de moribus Eccl. c. 3. 30. recenſitis abhorret iſta gens Neo-Evangelica non minùs quam cœnoſa pecus à moribus Angeli. Nihil ibi inter optimos etiam, niſi vulgare, & quod ab homine carnali procedere etiam poſſit, ſoleátque.

CAPUT SECUNDUM.
Idem probat omnis recta ratio.

OMnis congregatio, quæ non eſt turba confuſa, eſſentialiter conſtituitur per ordinem mediorum ad unum eundemque finem conſequendum. Sic enim Civitas & quævis Reſp. politica conſtituitur per unionem in legibus & mediis ad felicitatem temporalem conſequendam: forma autem eſſentialis conſtituens civem & membrum talis Reip. non eſt felicitas, ſed participatio illius unitatis, quâ per homagium & ſubjectionem fidem ſuam bono communi obſtringit. Idem patet in militia ſive exercitu, cujus finis eſt defenſio & victoria ab hoſtibus, ad quam conſequendam ſicut valde diverſa adhibentur media; ſic & munerum functionumque ingens eſt diverſitas. Sunt enim Duces, Tribuni, Vexilliferi, Curatores annonæ, Triarii, Veterani, Tyrones, Lixæ, Calones, &c. omnes Sacramento auctorati ad operam ſuam fideliter impendendam pro defenſione & victoria. Sic in ipſis Religioſorum ordinibus [quorum profeſſio & ſpecialis finis eſt per vota tria ſubſtantialia & Regulas Inſtituti acquirere perfectionem evangelicam] Reverà omnes qui per vota ſubſtantialia incorporati ſunt, cenſentur & ſunt membra ejus Congregationis, quantumvis etiam major ejus pars eſſet laxioris obſervantiæ. Hinc quicunque de ſolis bonis civibus diceret: *Hi ſunt veri cives*; aut de fortibus & victorioſis militibus: *Hi ſunt veri milities*; aut de perfectæ virtutis Regularibus: *Hi ſunt veri Religioſi*, non cenſeri deberet Remp. vel Exercitum, vel Religioſam Congregationem, definire *formaliter*, & per id, per quod in ſeipsâ formaliter in mundo exiſtit; ſed tantùm *finaliter*, ſcil. in quantum eſt in mente & intentione Legislatoris. Sicut & qui diceret veram meſſem eſſe ſolum triticum à paleis ſecretum, non definiret meſſem formaliter prout revera eſt in agro, vel horreo, aut areâ; ſed finaliter per id, quod debet transferri in granarium. Porrò hoc quod de Meſſe, Rep. politicâ, militari, religioſa tam perſpicuæ veritatis eſt, ut nulla ſana ratio id etiam in dubium vocare poſſe videatur; æquè, ſi non magis, etiam

Digitized by Google

locum habet in Eccleſia Chriſti in terris militante, ita ut in ſtatu naturæ lapſæ [quem ſuppoſimus] aliter fieri nequiverit. Vnde *S.* Auguſtinus l. 19. contra Fauſt. Manich. c. 11. univerſaliter affirmat: *In nullum nomen Religionis ſive vera ſive falſa poſſunt homines inſeri, niſi colligati per communem participationem aliquorum ſignorum vel Sacramentorum viſibilium.* Dicet Muſæus, neque ſe hoc inficiari; Paſſim ſe profeſſum, ſemper verè credentes & ſanctos in Eccleſiâ permixtos malis & hypocritis; ſolùm negare ſe, talem mixturam efficere Eccleſiam propriè dictam, cùm ſit tantùm impropriè & ſynecdochicè dicta. *Aliud eſt enim* inquit Diſp. 4. th. ult. *non ſanctos eſſe Eccleſiæ admixtos, & contineri aliquo modo in ea; aliud eſſe Eccleſiæ membra propriè dicta & vera. Plus enim requiritur ad hoc, ut aliquid ſit in Eccleſia tanquam verum ejus membrum, quàm ut in ea utcunque contineatur. Hæretici occulti etiam continentur in Eccleſia, nec tamen ulli ut propriè dicta & vera membra ejus in ea continentur. Cum à quibusdam Pontificiis ſimpliciter excludantur ab Eccleſia, juxta Erbermannum verò in ordine ad ſe & in foro conſcientiæ ſimpliciter, extra Eccleſiam ſint.* Sed contrà eſt, quia mixtura iſta & conjunctio bonorum & malorum non qualiſcunque ſed fundata in mediis ad eundem finem tendentibus planè conſtituit unum verum & propriè dictum corpus aut Congregationem, non autem impropriè & ſynecdochicè dictum, ut fatebuntur omnes ſive Chriſtiani ſive Gentiles Philoſophi; nec ulli etiam Lutheranorum veniſſet [uti planè mihi perſuadeo] unquam in mentem, rem tam apertam & planam in dubium vocare, niſi pervicacia in tuendo ſuo ſchiſmate ad commentum hoc à nocturno Didaſcalo ſuggeſtum de Eccleſiâ propriè, & ſynecdochicè dictâ eos compuliſſet; abſque quo impoſſibile eſt illis ullo colore ſuam à Rom. Eccleſiâ ſeceſſionem fucare, niſi apertè fateantur, periiſſe per mille annos ante Lutherum univerſam Chriſti Eccleſiam, quod nimis violentè contra ſcripturam aſſereretur. Nec quicquam juvat Muſæum, quod hic & alias nobis oggerit de *Hæreticis occultis*, quod etiam hi juxta multos Pontificios non ſint vera Eccleſiæ membra, & juxta me in foro DEI & conſcientiæ non ſint, licet per præſumptionem & in foro externo ut tales habeantur. Reſpondetur enim, eſſe latam diſparitatem inter Hæreticos occultos [uti & qui falsè exiſtimantur baptizati] & Fideles nondum juſtificatos & carnales. Priores enim licet Eccleſia (cùm judicare de occultis in foro exteriore nequeat.) non poſſit è cœtu ſuo excludere, quamdiu in profeſſione Fidei catholicæ, uſu Sacramentorum ſubjiciunt ſe legitimo Paſtori; verè tamen coram Deo talis eſt extraneus, & planè eodem loco haberet etiam quivis ſacerdos, cui in Tribunali conſcientiæ pervicax talis hypocrita innoteſceret. Secùs planè eſt de fidelibus carnalibus, aut non juſtis, præſertim ſi non renuant ſe ad juſtificationem & profectum ſpiritualem diſponere. Tales enim (*etiam infirmos in Fide*) jubet Apoſtolus ſuſcipere. Proinde ut illas Catholicorum in ſpeciem diſcrepantes de Hæreticis occultis in Eccleſiâ ſententias in concordiam reduceremus, jam in Expoſitione Catholicâ dixi, vera & propriè dicta Eccleſiæ membra eſſe omnes & ſolos, qui in Catholicæ Fidei profeſſione, legitimo Sacramentorum uſu, & obedientia Paſtoris DEO hominibusque innoteſcunt. Itaque ſi non etiam DEO ut talis innoteſcit, verè à parte rei membrum Eccleſiæ non eſt, quamvis interim in foro exteriore Eccleſia, quamdiu rationabilem dubitandi cauſam non habet, teneatur ſuis membris accenſere. Plus hic myſterii & difficultatis non eſt, ſed tantum materia chartam & tempus inutiliter à Muſæo conſumendi. Porrò notabit hic benevolus Lector iteratum à Muſæo artificium. Ait

Digitized by Google

ille Dipl.IV. Th. XXVIII. *Supereſt ut dilemmati Erbermanni ſatisfaciamus.* Eſt autem tale ex hactenus dictis conflatum, ut ſi integrum ponatur, videatur catholicam veritatem quaſi ad oculum demonſtrare; Muſæus autem priorem partem ſat verboſè ventilans, poſteriorem, in quâ vis & robur, per puram omiſſionem eliſit, cum non exiguo ornamento Trophæi noſtri primi, meretur proinde hîc reponi.

Illa quæ à Muſæo Th. LXVII. dicitur abſolutè vera Eccleſia vel fingitur talis, vel eſt. Reſpondet Muſæus; *Non fingitur ſed eſt vera Eccleſia.* Et multa prodigè addit. Si eſt abſolutè vera Eccleſia vel eſt talis propter miniſterium incorruptum & puram Fidei profeſſionem publicam, vel eſt talis propter ſanctos occultos in eâ latentes. Reſpondet Muſæus; *Eam talem dici propter utrumq; modo tamen diverſo.* Bene eſt. Si propter utrumque ſimul dicitur & eſt vera Eccleſia, cur ergo Muſæus ſingulas has rationes ſeorſim impugnat, & penitus obmuteſcit ad meam dilemmatis proſecutionem, quâ juxta ejus conceſſionem ſic inſto & rogo; An in totâ ſolum collectione omnium membrorum, an verò in ſingulis membris etiam illa forma (vel quaſi forma) debeat ſimul eſſe conjuncta? ſi prius; ergo idem prorſus dicit, quod Nos, ſcil. Catholicã Eccleſiam debere in omnibus membris habere profeſſionem Fidei puram, & in aliquibus nobilioribus etiam ſanctitatem charitate perfectam. Si poſterius; Ergo illi tui ſancti Latibularii, qui ſe per mille annos Gygis annulo inviſibiles fecere, non fuere vera Eccleſia, quia caruerunt purâ publicaque profeſſione. Ergo evertis ipſe quod operosè hactenus machinatus es, quod erat demonſtrandum. Certè hic nihil penitus ad rem facit, quòd Muſæus utrique parti ſeorſim ſumptæ oppoſuerat, cum omni eo gratis conceſſo, peremptoriè urgeat, remque conficiat utraque pars ſimul ſumpta in jam recitata dilemmatis clauſulâ. Dixi, gratis conceſſo; Quia quod circa priorem partem & negat ſequelam, & plures Catholicos ait negare, quod ego de Profeſſione Fidei dixi, jam è ſuperioribus in hoc ipſo capite expeditum manet; Ad ſecundum verò quod reponit; propter ſanctos in Eccleſiâ contentos tunc demùm hanc dici veram abſolutè, cùm ſancti non latent, ſed eminent & præponderant non ſanctis per publicam eamque puram Fidei profeſſionem &c. Hanc inquam ſanctorum Lutheranorum eminentiam non eſſe niſi ſomnium utopicum, aut Chimæricum oſtendetur infrà, cap. V.

CAPUT TERTIUM.

Conſenſus 15. ſæculorum Lutheranum ſchiſma præcedentium idem confirmat.

DIxeram in Parall. Quæſt. 1. §. 4. pag. 25. Nimirum durum telum neceſſitas! Niſi enim odio Rom. Pontificis excæcatos ſumma vos deſperatio adigeret ad tantas abſurditates, facilè perſpiceretis, jam à tempore Apoſtolorum uſque ad nos, communi omnium ſenſu, eóque planiſſimo & propriiſſimo, eos omnes baptizatos, qui nulli ſectæ & novitati adhærent, appellatos & habitos Eccleſiæ Catholicæ membra, nullo habito in moribus & vitâ diſcrimine, & congregationem ex iis omnibus conflatam dictam ſemper habitamque eſſe verè & pro-

Digitized by Google

priè dictam Catholicam Eccleſiam. Si ita non eſt; producant vel unicum ſui commenti Patronum, qui à 1500. ferè ante Lutherum annis, extra controverſiam fidelis, ſanctus, ſapiens, aperte ſuam mentem declararit pro Proteſtantibus contra Nos; ſive ut in iiſdem Parall. pag. 14. ſimiliter Muſæum &c. provocans dixi, oſtendant vel unicum, qui noſtræ Expoſitioni Catholicæ refragatus, Muſæanæ fuerit ſuffragatus. Quid ad has noſtras provocationes urgentiſſimas Muſæus? Duo reponit. Primò ait: *Mihi tanquam affirmanti incumbere probationem.* Præclara evaſio, quâ poſſet quilibet violentus invaſor juſtum poſſeſſorem nequiter vexare. Videtur enim ſaltem tacendo Muſæus agnoviſſe, verum eſſe quod dixeram pag. 14. Certè neque Lutherani inficiabuntur ſaltem à S. Gregorii M. temporibus omnes Paſtores & Doctores uſque ad Lutherum, ita ſemper uti Nos modo Eccleſiam in ſymbolo creditam intellexiſſe, Muſæanam verò vel neſciviſſe, vel reprobaſſe. Secundò ne tamen Lectores teneat ſuſpenſos, pollicetur ſe citra converſiam fideles, ſanctos & ſapientes orthodoxæ veritatis & liquidiſſimæ patronos adducturum, qui apertè ſuam mentem pro orthodoxis declararint. Ampla pollicitatio! Tum ſuæ expoſitionis patronos allegat Chriſtum, Ioannem Baptiſtam, S. Paulum, quorum quilibet in ſolidum & ſeorſim ſufficeret, ſi claris verbis, nec quodlibetica Muſæi parhermenia in adulterinum ſenſum detortis, poſſet nobis legere è S. codice, Eccleſiam propriè dictam (*quam qui non audit, habendus ſit veluti, Ethnicus & publicanus, adverſus quam uti columnam & firmamentum veritatis, portæ inferorum non ſint prævalituræ, quæ ſimilis eſt areæ, ſagenæ, & 10. Virginibus*) hanc inquam Eccleſiam veram & propriè dictam non eſſe conſpicuam, ſed conſtare ſolum fidelibus & ſanctis, quorum ſanctitas ſit per Iuſtitiam Chriſti illis extrinſecè imputatam, & per fidem ſpecialis miſericordiæ ſibi applicatam & creditam. Hæc utiq; medulla eſt Eccleſiæ propriè dictæ juxta Muſæum. Iam audiamus verba Chriſti Domini. Ioannis Baptiſtæ & Apoſtoli; ſed abſque explicatione in cataſtâ & carnificina Muſæi. CHRISTI verba à Muſæo allegata ſunt hæc ex Matth. XIII. v. 24. & 27. *Simile eſt regnum cœlorum homini ſeminanti BONVM SEMEN in agro ſuo, zizania verò ab inimico hoc eſt Diabolo hominibus dormientibus ſuperſeminata.* Ioannes Baptiſtæ verba ſunt hæc Matth. III. v. 12. *Cujus ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Denique ex Apoſtolo adducit Rom. 1. Cor. I. 2. 2. Cor. I. Phil. I. 2. Col. 1. 2. 1. & 2. Theſſ. I. 1. Vbi in inſcriptione Epiſtolarum ſuarum *Eccleſiam DEI & ſanctos, vocatos ſanctos Fideles & ſanctificatos* collectim ſumptos pro iiſdem accipit. Et ad Epheſ. IV. 16. ait *Corpus Chriſti congruenter coagmentatum per omnes ſuppeditatur commiſſuras & compagines, ut TOTVM PRO MENSVRA CVIVSQVE MEMBRI capiat incrementum corporis conveniens ad ſui ipſius extructionem per CHARITATEM, & TOTVM augeſcat augmento DEI*, & Epheſ. II. 19. dicit *Eccleſiam eſſe ædificium congruenter coagmentatum ſuper Chriſtum, in quo TOTVM creſcat in Templum ſanctum DEI.* Et hæc ſunt verba eorum quos in Patrocinium ſui Muſæus allegat, ex quo ſciſcitor ego: Audeasne dicere verba prædicta eſſe tam perſpicuè pro tuæ ſententiæ patrocinio, ut quilibet etiam à Chriſtiana Religione alienus, ingenioſus tamen & doctus eorum ſenſum abſque gloſſis, expoſitionibus, & diſcurſibus etiam poſt diutinam conſiderationem agniturus ſit, ea æquivalere Eccleſiæ propriè dictæ, qualem nobis Tu obtrudis? Non reor equidem. Cur enim aliàs tam prolixo commentario ea illuſtrare (veriùs obſcura-

ſcurare) ſatageres: Equidem perfacilè foret etiam quadruplò breviore gloſsâ eadem verba Catholicæ accommodare Expoſitioni. Vt taceam quod nimis apertis verbis S. Scriptura affirmet etiam graves peccatores eſſe membra Eccleſiæ. Certè qui Matth. 18. dicitur à Chriſto deferendus ad Eccleſiam, ponitur graviter peccaſſe. Item c. 23. & 24. præpoſitos malos in Eccleſia Chriſti fore ſupponitur & Apoſtolus. 1. Cor. V. jubet inceſtuoſum ejici de communione Eccleſiæ, in quâ certè antea fuerat. Remittetur igitur Muſæus cum ſuis Gloſſis & Commentariis ad ſuum Patriarcham in lib. de ſerv. arb. c. 8. *Si obſcura eſt ſcriptura, quam tu declarare præſumis, quis nos faciet certos, ipſam tuam declarationem eſſe certam? alia nova declaratio? quis & illam declarabit? ita fiet progreſſus in infinitum.* Sed de hâc Sacrarum Scripturarum carnificinâ per Jenenſes exercitâ ex inſtituto agetur infrà, Trophæo III.

E SS. Patribus adducit SS. Cyprianum, Auguſtinum, Pacianum, Chryſoſt. & Hieronymum, nimirum illos ipſos, ad quorum loca jamdudum objecta reſpondit Bellarminus l. 3. de Eccl. cap. 9. & oſtendit perſpicuè, ea nihil ad rem facere, cùm nimis clarum ſit, eoſdem ſanctos, præſertim Cyprianum, Auguſtinum, Hieronymum conceptis verbis frequentiſſimè Catholicam affirmare ſententiam. S. Hieronym. in eodem tractatu, quem pro ſe Muſæus adduxerat, ſcil. in c. 1. Epiſt. ad Epheſ. ait: *D. Ieſus Chriſtus habet pro membris omnes, qui congregantur in Eccleſia tam ſanctos quam peccatores.* Et contra Luciferiam. *Sicut in Arcâ Noë erant animantia omnis generis, ita in Eccleſia homines omnium nationum & morum: Sicut in illâ ſimul erant Pardus & Boves, Lupi & Agni, ita hic ſunt ſimul juſti & peccatores - - -* Item. *Illa non eſt Eccleſia, quæ non habet Sacerdotes - - - Manendum in ea Eccleſia, quæ fundata per Apoſtolos durat uſque huc* Idem Epiſtol. ad Damaſ. *Tuæ Beatitudini communione conjungor, hoc eſt Cathedra. S. Petri, ſcio ſuper hanc Petram eſſe ædificatam Eccleſiam. Quicunque manducaverit agnum extra hanc domum, profanus eſt.* S. Auguſtinus locis propè innumeris conſpicuam Eccleſiæ veræ & propriè dictæ viſibilitatem, ejusque membrorum tantam diverſitatem apertiſſimè ſtatuit, adeoque commentum illud de latibulariis ſanctis paſſim explodit, ut mirum ſit, quâ fronte S. Auguſtinum pro ſe allegare audeat Muſæus, cùm præſertim infrà aperto Marte contra eundem & S. Cyprianum confligat, in ea quæſt. An extra Eccleſiam detur ſalus in cœtibus Hæreticorum, ubi profectò ſemper à ſanctis illis ſupponitur Eccleſia viſibilis conſtans malis & bonis membris. Sufficiat hìc unicum ejus teſtimonium ſole meridiano clarius apponere ex lib. 2. contra Parm. c. 3. *Hæc eſt*, inquit, *conditio omnibus Hæreticis communis non videre rem mundi clariſſimam, conſtitutam in lumine omnium nationum, extra cujus unitatem, quicquid faciant, non poteſt magis eos ab irâ DEI cuſtodire, quàm contra frigus tela aranearum.* Et l. 2. contra Petil. 104. *Habet Eccleſia ſignum hoc certiſſimum, quod abſcondi non poſſit Eſt proinde nota omnibus nationibus.* S. Cypriani ſententia, quam ex ejus Epiſtola ad Maximum adducit Muſæus, ſatis apertè Catholicam noſtram affirmat doctrinam. ſcil. *Zizania*, hoc eſt malos, peccatores graves, *in Eccleſiâ eſſe cernimus.* Sunt ergo formaliter partes in agro adhuc ſtantis meſſis nondum purgatæ & ſeparatæ; finaliter autem non erunt, cùm nempè meſſis colligandæ tempore Zizania in faſciculos collecta deputabuntur incendio. Ex quibus omnibus liquidò patet, non meliore jure Muſæum in ſuæ Eccleſiæ utopicæ patrocinium allegare SS. Patres, Auguſtinum, Cyprianum

Digitized by Google

prianum &c. Ipſum Chriſtum, Joannem Baptiſtam, Paulum, quàm Ioannes Gerardus Bellarminum κακοδοξίας Lutheranæ, Porſchæus S. Thomam Auguſtanæ Confeſſionis, Calvinici & Janſeniſtæ S. Auguſtinum, denique omnes Hæretici Chriſtum & Apoſtolos ſuorum quisque errorum teſtes & Patronos obtorto collo & in cataſtâ explicatos exhibent. Concludo rem totam unico hoc peremptorio Syllogiſmo.

Illa unica juxta SS. Cyprian. Auguſtin. imo & Chriſtum D. eſt vera & propriè dicta Eccleſia, quam & in Symbolo profitemur, *extra quam non eſt ſalus, & quam qui non audierit, habendus eſt tanquam Ethnicus & Publicanus.* Atqui ſola viſibilis continens bonos & malos juxta SS. Cyprianum, Auguſtinum &c. eſt ea Eccleſia *extra quam non eſt ſalus* (ut Muſæus ultro fatetur & ex inſtituto oppugnat Diſp. II. Th. 30. p. 2. F. 45. & ſeqq.) *& quam qui non audit*, ex Chriſti mandato *habendus eſt ut Ethnicus & Publicanus.* Ergo juxta SS. Cyprianum, Auguſtinum, & ipſum Chriſtum, ſola viſibilis Catholica continens bonos & molos eſt verè & propriè dicta Eccleſia, quam in Symbolo profitemur. Et conſequenter Eccleſia ſanctorum Lutheranorum per 1000. annos ſub Papatu eſt ſomnium Vtopicum.

CAPUT QUARTUM.

Ex Auguſtanâ Confeſsione idem evincitur.

ARgueram in Parall. quæſt. V. §. 1. Muſæum, quòd manifeſtè à clariſſimis verbis Auguſtanæ Confeſſionis recedat, dum in Th. 106. uſque ad 116. tractat de notis Eccleſiæ; nunc autem idem Muſæus in ſpiſſo ſuo de Eccleſiâ volumine uſque adeò non contradicit, ut nec leviter eam totam quæſtionem attingendo meritò haberi debeat pro convicto aut confeſſo: niſi fortè velit non ſolùm ea, quæ reflexe & in actu quaſi ſignato, ut NVGAS ſe ait *reſponſo non dignari*, ſed etiam illa, quorũ ne mentionem quidem facit, in eodem NVGARVM cenſu haberi. Iudicium ego cuivis perito & æquo lectori permitto, an non per clara Auguſtanæ Confeſſionis verba evidenter vel formaliter conſtituatur, vel ſaltem conſecutivè inferatur Eccleſia conſpicua propriè dicta latibulariis illis per 1000. annos ante Lutherum in antro Caci abditis minimè conveniens. Verba Confeſſionis Auguſtanæ, quæ ex prima editione anni 1532. apud Andream Rauſcher, una cum ejuſdem Apologiâ vernaculo idiomate impreſſa exſcripſi, ſic habent: **Es wird auch gelehrt / daß allzeit müſſe ein H. Chriſtliche Kirch ſeyn und bleiben / welche iſt die Verſamblung aller Gläubigen / bey welchen das** Evangelium **rein geprediget / und die heilige** Sacrament **laut deß** Evangelii **gereicht werden.** Eadem planè verba, nec literâ mutata legi in *Corpore Doctrinæ* impreſſo Ienæ apud Güntherum Huttich. 1571. Ea latinè reddita ſic ſonant: Docetur etiam, quod ſemper debeat ſancta Chriſtiana Eccleſia eſſe & manere, quæ eſt Congregatio omnium Fidelium apud quos Evangelium purè prædicatur, & SS. Sacramenta juxta Evangelium miniſtrantur. Latina editio, quæ dicitur è prototypo Cæſari exhibita, ſic habet juxta Impreſſionem Wittebergenſem anni 1531. *Item docent quod una ſancta Eccleſia perpetuo manſura ſit. Eſt autem Eccleſia congregatio ſanctorum, in qua Evangelium*

purè

purè docetur & rectè adminiſtrantur Sacramenta. Hoc Cæſar reſpondit non poſſe ſine præjudicio Fidei admitti, quod ſcil. loco *Fidelium* ponatur *Sanctorum* congregatio. Hinc veriſimile ſit Germanicam editionem uno anno poſt latinam, unà cum apologiâ impreſſam correxiſſe id, quod in latinâ Cæſar emendandum cenſuit. Vt ut de hoc ſit, nos Catholici hoc Muſæo & ſequacibus opponimus Ceraſtinum : Vel Auguſtana Confeſſio in hoc articulo falſum dicit, vel verum. Si falſum; quâ conſcientiâ & fronte Muſæus, Wigandus &c. jurant in eam? ſi verum; cur ergo illam vel apertè deſerunt, vel ſaltem violentè in contrarium ſenſum pervertunt ? Sic enim argumentari promptum eſt : Illa unica & ſola eſt vera, & (ut Confeſſio variata anno 1540. ait) *propriè dicta* Chriſti Eccleſia, quæ SEMPER manere debet congregatio, in quâ purè docetur Evangelium, rectè adminiſtrantur Sacramenta. Atqui Latibularia ſanctorum Lutheranorum, 1000. annos Lutherum antegreſſa Congregatio, toto illo tempore caruit purâ doctrinâ Evangelii, & rectâ adminiſtratione Sacramentorum. Ergo illa Latibularia Sanctorum Lutheranorum, 1000. annos Lutherum antegreſſa Congregatio non eſt Eccleſia Chriſti vera & propriè dicta. SED &c. Rurſus ita argumentor. Iuxta Confeſſionem Auguſtanam illa Eccleſia, quæ SEMPER manet, puram prædicationem Evangelii & rectam Sacramentorum adminiſtrationem habet. Sed ſola Romana ſemper manet. Ergo habet ſola puram prædicationem &c. Certè perpetua illa conſpicuitas cum purâ prædicatione Evangelii ab Auguſt. Confeſſ. tam arcto nexu conjuncta nulli alteri cum ullo colore veritatis attribui poteſt, niſi Romanæ Catholicæ. Quid clarius? De Eccleſiâ occultâ ſanctorum manifeſtè falſus eſt articulus ille VII. Confeſſionis Auguſt. Nec magis verificari poteſt etiam de viſibili cœtu, qui per Lutherum cœpit, & à Muſæo dicitur ſynecdochicè Eccleſia, quod multò magis concedet etiam de Calviniano, & quolibet poſtea enato. De Græcis conſtat, quo anno per ſchiſma deſciverint, & etiam juxta Lutheranos circa proceſſionem Spiritûs Sancti non purè prædicent Evangelium. Ergo ut Auguſtana Confeſſio ab omni mendacio vel errore in hoc articulo abſolvi poſſit, neceſſariò concedendum ſolam Rom. Eccleſiam Catholicam eſſe illam veram & propriè dictam Eccleſiam Chriſti. Manet igitur fixum & firmum illud, quòd dudum urſêre Forerus & Wagnerekius, argumentum, nempe : Si Eccleſia (Sanctorum vel Fidelium congregatio) ſemper manet, & habet puram prædicationem Evangelii & rectam adminiſtrationem Sacramentorum, Ergo vel per 1000. annos ante Lutherum habuit eadem Congregatio illas duas notas, vel non habuit. Si non; Ergo falſum eſt eam fuiſſe veram Eccleſiam Si habuit; Ergo vel debent nobis aliud, quam Pontificium, Verbi & Sacramentorum miniſterium oſtendere, vel fateri hoc eſſe purum & legitimum. Repeto; Hoc dilemma ſalvâ Confeſſione Auguſt. nequit ſolvi. Quod enim Muſæus in antiquo ſuo tractatu (in novo enim planè ſilet) Theſ. 100. & 101. diſtinguit inter ſtatum liberum ſeu proprium veræ Eccleſiæ, & inter ſtatum ejus accidentalem & tyrannide preſſum ſub Hæreticis, & ad priorem ſtatum ait requiri miniſterium verbi purum, ad poſteriorem ſufficere, ut doceatur verbum etſi non purè, vaniſſimum commentum eſt ; Nam hanc & quaſvis alias diſtinctiones obtruncat apertiſſimè Confeſſio Auguſtana, cùm pronunciat categoricè, talem Eccleſiam oportere *SEMPER eſſe & manere.* Certè quod debet ſemper eſſe & manere, non poteſt pro varietate circumſtantiarum nunc eſſe & manere, nunc non eſſe & manere. Hoc profectò à nemine ſani cerebri in dubium

Digitized by Google

vocari poſſe videtur. Admittamus tamen gratis commentum Muſæanum quo vult Eccleſiæ in ſtatu connaturali, qualis deberet eſſe, convenire puram prædicationem Evangelii & rectam Sacramentorum adminiſtrationem, in ſtatu autem quocunque alio ſufficere Baptiſmum & Biblia &c. Hoc inquam gratis conceſſo, adhuc evertitur efficaciſſimè omnis illa Latibularia Congregatio. Nam I. Illud non poteſt eſſe nota propriè dicta in quocunque ſtatu, quod æque eſt nota hæreticæ & fanaticæ ſynagogæ. Atqui Baptiſmus & Biblia ſunt æquè nota hæreticæ & fanaticæ ſynagogæ. Ergo &c. Major eſt evidens, quia accidens commune etiam contrario, non poteſt eſſe Nota ſeu proprietas vel eſſentia alterius contrarii. Minor eſt paſſim apud Lutheranos recepta, ut patet apud Muſæum. II. Nec pura nec impura prædicatio Evangelii, itemque nec legitima adminiſtratio Sacramentorum pertinere poteſt ad clancularíam illam Sanctorum Lutheranorum congregationem. Ergo nec pura prædicatio ad ſtatum ejus florentem, nec impura ad ſtatum ejus infelicem & corruptum. Sequela patet: antecedens probatur. Quia Miniſterium Verbi & Sacramentorum non poteſt niſi ſenſibiliter externè exerceri. Ergo nequit ab iſtis clanculariis exerceri, cùm hi præſertim *in ſtatu Eccleſiæ corrupto* (juxta Muſæum) *ita lateant, ut nec ſibi invicem, neque aliis innoteſcant.* III. Id quod eſt in hâc vitâ occultum reſpectu omnium mortalium, illud non poteſt habere extrinſecam aliquam Notam, quâ deveniatur in ejus notitiam. At forma, quâ conſtitui vult Muſæus ſuos ſanctos latibularios, eſt in hâc vitâ planè occulta omnibus mortalibus: nempe juſtitia Chriſti extrinſecè imputata per fidem iſtis ſanctis Latibulariis. Ergo &c. Sed nimirum hæc omnia apud Muſæum non niſi NVGÆ ſunt, quas *reſponſo non dignatur.* Tu verò, Lector candide, decerne, an non ſint opima ſpolia Romano digna Trophæo!

CAPUT QUINTUM.

Eccleſia Utopica Muſæi per ipſa Ejuſdem membra chimærica evertitur.

PRæſtat hoc unicus ſyllogiſmus iſte, à Muſæo hactenus intactus. Eccleſia, quæ non conſtat niſi ſanctificatis per fidem ſpecialem, juſtitiam extrinſecùs imputatam, ſimul & internam operum aut impoſſibilem, aut propter imperfectiones peccaminoſam &c. eſt utopica & chimærica. Talis eſt Eccleſia verbis Muſæi ſuprà initio expoſitionis Lutheranæ expreſſa. Ergo eſt Utopica & Chimærica. Major per partes probatur.

§. *Primo* Itaque Fidem ſpecialem, qua quis firmiter credit, ſibi propter Chriſti meritum remiſſa eſſe peccata non efficere ſanctos, ſed hæreticos aut miſeros errones probatur I. Quia ſine verbis DEI fingit certitudinem ubi nulla eſt, imò ubi S. Scriptura apertè docet oppoſitum Eccl. 9. Vide Bellarm. vind. Tom. IV. lib. V. c. 2. II. Quia hæc ſpecialis fides neque in ſe alicui particulari revelata eſt, ut ſupponitur, nec poteſt evidenter proponi tanquam contenta in aliquâ univerſali revelatâ. Nam omnes ejuſmodi propoſitiones univerſales revelatæ, remiſſionem peccatorum ob meritum Chriſti promittentes, ſunt conditionatæ & reſpe-

Digitized by Google

reſpectu adultorum nunquam alicunde infallibiliter conſtat, eam conditionem eſſe impletam. Ea enim conditio poſita eſt in actibus internis conſcientiæ hominis, qui nec ſunt evidentes in ſe neque per experientiam ſufficienter ipſi homini innoteſcunt. Nemo quippe, ſecluſo ſpeciali privilegio & revelatione divinâ actum ſupernaturalem, etiam quoad rationem genericam, nedum quoad prædicatum ultimum differentiale infallibiliter cognoſcit. III. Quia ſpecialis hæc fides deſtruit ſeipſam. Si enim intellectus fide illâ ſpeciali credit certiſſimè ſibi propter Chriſtum remiſſa eſſe peccata ; quomodo poteſt eandem remiſſionem ſperare voluntas ? Nonne objectum ſpei in viatoribus tale eſt, ut ſecum patiatur formidinem de oppoſito ? (quia ſcil. etſi ſpes ex parte Dei habeat firmitatem infallibilem, non minùs ac Fides ; tamen quia juſtificatio & glorificatio adulti exigit cooperationem, fruſtrari poteſt materialiter) ſicut & timor relinquit aliquam ſaltem ſuſpicionem, quòd poſſit evitari aut differri malum imminens. Et quomodo Chriſtus juberet nos timere gehennam, ſi ſpes cœli in quovis Fideli haberet certitudinem infallibilem ? Ex quibus patet Fidem illam ſpecialem non tam eſſe hæreſin, quàm delirantis ingenii abortum chimæricum.

¶. *Secundò* Juſtitia illa Chriſti extrinſecè imputata Lutheranis, non eſt minùs ſeipſum evertens commentum, ac ſi diceretur : ſtultum eſſe formaliter ſapientem per ſapientiam Salomonis aut Chriſti ſibi imputatam. Certè Apoſtolus 1. Cor. I. 30. eodem modo pronunciat de utroque dicens : *Chriſtus factus eſt à Deo nobis juſtitia & ſanctificatio, ſapientia & Redemptio.* Nimirum omnia iſta factus eſt non formaliter, ſed meritoriè & effectivè. Idem confirmat omnis ſana ratio, & conſtat communi conſenſu Sapientûm & vulgi, Bonitatem, Perfectionem, Beatitudinem eſſe prædicata intrinſeca cuivis enti ; unde axioma illud ubique ratum : Tantundem habere aliquid bonitatis & perfectionis, quantum habet entitatis ; nec dicitur bona vel mala arbor ex diligentia vel negligentia cultoris, aut ex copiâ vel inopiâ humoris, qui poſſit vel non poſſit edere fructus; ſed habet illas denominationes ſecundùm intrinſecam conſtitutionem ipſius arboris. Sic & peccator ab æterno licet prædeſtinatus ad gratiam & gloriam pro toto tempore quo in ſtatu peccati hæret, reverâ malus eſt, nec poteſt ob extrinſecam illam ordinationem ad ſalutem, dici bonus & beatus, niſi poſtquam intrinſecam formam juſtitiæ & gloriæ ſuſceperit. Vide Bellarm. vind. Tom. IV. lib. VI. c. 1. 5. 3.

¶. *Tertiò* Sanctitas illa, quam Muſæus Lutheranis fidelibus dicit inhærere, & Lutherano Evangelio, & ſanæ rationi repugnat. Quod probatur I. Iuxta Evangelium Lutheranum peccatum originale manet ſemper in renatis uſque ad mortem, licet non imputetur. Sed hæc directè repugnat ſanctitati inhærenti, ſicut macula totam animam inficiens opponitur puritati eandem emundanti. II. Iuxta Lutheranos, omnes Iuſtitiæ noſtræ, ſive actualiter ſive habitualiter inhærentes ſimiles ſunt panno menſtruatæ : & omne opus bonum optimè factum, ſecundùm juſtitiam DEI dijudicatum, eſt peccatum mortale, ſecundùm miſericordiam verò veniale. Atqui nemo per peccata etiam venialia ſanctificatur. Ergo. III. Si ſanctitas illa inhærens conſiſtit juxta vos in obſervatione legis, vel erit obſervatio totius legis, vel tantùm reſpectu alicujus partis. Si hoc poſterius dicatur ; quomodo ſanctificabit, cùm qui offendit in uno, fiat omnium reus ? Si prius ; cur ergo impoſſibilem clamatis obſervationem totius legis ? Vide Bellarm. vind. Tom. IV. lib. VI. c. 8.

Digitized by Google

§. *Quartò.* Fides ſpecialis miſericordiæ, quam Muſæus dicit ſolam juſtificare operatur per charitatem, ut idem affirmat. Sed hæc ſe invicem evertunt. Si enim juxta Apoſtolum illa ſola *fides valet* apud Deum, *quæ per charitatem operatur.* Ergo ſola fides non valet apud Deum, & juſtificat. Nam fides quæ valet apud Deum ad juſtitiam (ſive in qua eſt vis & valor ad juſtificandum) eſt illa ſola, quæ per charitatem operatur. Atqui fides ſola juſtificans juxta Lutheranos non eſt fides, quæ per charitatem operatur. Ergo fides ſola juſtificans Lutheranorum non eſt fides, quæ coram DEO valet ad juſtitiam. Minor probatur. Quia id quod excludit cooperationem charitatis in ordine ad juſtificationem, non eſt fides, quæ per charitatem operatur. Atqui fides ſola juſtificans Lutheranorum excludit illam cooperationem charitatis in ordine ad juſtificationem. Ergo Fides ſola juſtificans Lutheranorum non eſt fides, quæ per charitatem operatur. Iam ſic: Actio quæ ſe ſolâ abſolutè ponit effectum, non poteſt exigere coëxiſtentiam cujuſque alterius actionis. Atqui fides Lutheranorum poteſt ſe ſolâ ponere abſolutè effectum juſtificationis. Ergo eadem non poteſt exigere coëxiſtentiam charitatis. Ergo hinc enaſcitur quarta chimæra Lutheranæ ſanctitatis.

§. *Quintò.* Quod ait imperfectiones & motus concupiſcentiæ involuntarios, *qui in renatis & ſanctis Lutheranis adhuc remanent, eſſe ſecundum ſe ex natura ſua peccata mortalia; in credentibus tamen venialia, quia propter Chriſti meritum Fide apprehenſum ipſis condonantur &c.* eſt planè etiam chimæricum. Eſt enim ens morale non liberum. Nam in appetitu ſenſitivo ſive concupiſcibili ſive iraſcibili, ſecluſo rationis conſenſu, nequit eſſe prævaricatio. Quod enim non eſt capax regulæ rationis, non eſt etiam capax peccati moralis, & prævaricationis. Atqui appetitus ſenſitivus ut ſic hominis, non magis eſt capax regulæ rationis, quàm appetitus bovis aut aſini. Ergo nec peccati, ſive mortalis ſive venialis.

§. *Sexto.* Fides illa juſtificans Lutheranos dicitur à Muſæo *ex parte intellectus eſſe aſſenſus, ex parte voluntatis fiducia in promiſſionibus verbi divini poſita: & hanc à ſolo Spiritu S. effici, & ab eo ſolo in eſſe & conſervari dependere.* Si velit conſequenter & principiis Lutheranis inhærendo loqui, intelligi debet de actionibus intellectûs & voluntatis DEI merita ſibi applicantis; has autem actiones à ſolo DEO pendere, & illas potentias merè paſſivè ſe habere, ſicuti motus primò primi & planè indeliberati. Hoc autem repugnat, cùm fides quæcunque ſit eſſentialiter obſequium liberum, quo ob authoritatem loquentis creditur. Nemo enim credit, nemo opinatur niſi liberè volens. Ergo hæc non libera fides Sanctorum Lutheranorum pertinet ad Religionem beſtiarum, quæ ſine dubio chimærica eſt.

§. *Septimo* denique; cùm indubiè Muſæus Eccleſiæ ſuæ propriè dictæ per 1000. annos ſub Papatu, præcipuam partem faciat infantes baptizatos, & quotquot ante plenum rationis uſum baptizati moriuntur, abſque nova chimæra vix ac ne vix quidem oſtendet, quomodo hi non excludantur è numero membrorum Eccleſiæ ſuæ per ipſa prima verba Expoſitionis ſuæ ſuprà recitatæ. Quomodo enim infantes recens nati apprehendunt meritum Chriſti per fidem &c. quod certè ſine rationis uſu fieri nequit? Iuxta Gerhardum quippe infantes baptizati ſtatuendi ſunt, per Spiritûs S. gratiam, Fidem accipere, *quæ non ſit otioſus quidam & nudus habitus, ſed actu aliquo, cujus modus nobis tamen eſt inexplicabilis, Chriſtum induant.* Sed hoc myſterium, quod ille rectè vocat inexplicabile, rectiùs alii vocant chimærum.

ram. Nunquid enim eſt condere Chimæras, ponere ratione non utentes, uti ratione? Vide Bell. vind. Tom. IV. lib. 2. c. 3 Sed hæc omnia à Muſæo inter NUGAS deputabuntur, quibus ejus Excellentia *reſpondere non dignatur*: attamen nolit-velit cuivis æquo lectori fas eſt decernere, an hæc non ſint opima ſpolia Romano digna Trophæo?

CAPUT SEXTUM.

Ex illuſtriſsimis notis concluditur, ſolam Pontificiam eſſe veram, propriè dictam Chriſti Eccleſiam.

DIxerat Muſæus in primo ſuo de Eccleſiâ tractatu Th. 99. ***Eccleſiam Pontificiam per 1000. annos ante Lutherum non habuiſſe veræ Eccleſiæ notas, nec hodie habere, ſiquidem accipiatur Eccleſia vera pro ea, quæ eſt pura.*** Ego viciſſim in Parall. quæſt. IV. è plurimis non niſi ſeptem propoſui, quas etiam Muſæus nunc inter NUGAS *ſuo dedignatus eſt reſponſo*; ſed & ideò & per ſe digniſſima ſunt, quæ hic breviter perſtricta non modicè noſtrum illuſtrent Trophæum.

§. *Primò* itaque ſic arguimus: Ubicunque eſt omne bonum Chriſtianum, ibi neceſſariò ſunt etiam Notæ tam eſſentiales quàm accidentales veræ Eccleſiæ. Quis enim negaverit has eſſe aliquod bonum Chriſtianum? Atqui in Papatu eſt omne bonum Chriſtianum. Ergo etiam Notæ omnes veræ Eccleſiæ. Minor alia probatione non indiget, quam illa celeberrimâ ipſius Lutheri, quo tamen Papatus atrociorem hoſtem nullum habuit, juxta illud Epitaphium Lutheri ſolenniſſimum Bibliis Jenenſium gloſſatis cum figura ænea præfixum: PESTIS ERAM VIVENS; MORIENS ERO MORS TUA, PAPA! Verba Lutheri notiſſima eſſe hæc quis neget? ***Nos fatemur ſub Papatu multum Chriſtiani boni, imò omne Chriſtianum bonum eſſe, & inde ad nos etiam perveniſſe. Nimirum fatemur in Papatu eſſe veram ſcripturam, verum Baptiſmum, verum Altaris ſacramentum, veras claves ad remiſſionem peccatorum, verum Prædicationis miniſterium, verum Catechiſmum &c. imò in Papatu dico eſſe nucleum Chriſtianitatis, multos & magnos ſanctos.*** Hic textus eſt tam apertus, ut nullius gloſſâ in alium ſenſum niſi cum apertâ violentiâ & falſificatione detorqueri poſſit: Nec obſtat, quod Lutherus plerumque aliàs oppoſitum dixerit & ſcripſerit, hoc enim fecit, cum ordinario ſuo & conſueto œſtro, poſt excommunicationis fulmen in Papam exarſit, â quâ rabie, cùm ſubinde lucido intervallo potiretur, ſaniora, etſi aliis ſuis in eo paroxiſmo ſcriptis contradictoria pronunciavit. Unicum certè hoc teſtimonium, non modo Lutherum, ſed etiam omnes ejus aſſeclas, quibus illud innotuit, reddit in ſeveriſſimo DEI judicio omnino inexcuſabiles. Vel enim verum eſt illud Lutheri effatum; cur ergo ſe ſeparant ab omni bono, quod eſt in Papatu? Vel falſum; Quis ergo credat in re graviſſima tam luculentè fallenti? O ſi Proteſtantes ſimile de Lutheraniſmo teſtimonium ab aliquo Papa vel Doctore apud nos præcipuo haberent, quos non triumphos agitarent? Hic verè locum habet illud, quod Muſæus non rarò, ſed perversè

 uſurpat

Digitized by Google

uſurpat epiphonema; *Tanta vis veritatis eſt*, &c. Etiam Wigandi Apologia ſuaviter diſſimulat hoc Ceraſtinum.

§. *Secundò* Quæro ex Muſæo, fuerintne iſtæ Notæ, quas ex S. Auguſtino lib. contra epiſt. fundamenti c.4. & lib. de util. credendi cap. 14. recitavi, veræ & ſufficientes, ut ob eas S. Auguſtinus & alii ſapientiſſimi Doctores in Catholicâ ſedis Apoſtolicæ communione prudenter vixerint & mortui ſint? an non? ſi ita; cur jam ſimiliter non ſint veræ & ſufficientes? cùm nec unicam poſſint aſſignare, quæ non ad unguem noſtris quoque temporibus congruat, imò earum nonnullæ multò ampliùs. Cur ergo jam *dubitamus nos ejuſdem Eccleſiæ condere gremio*, in quâ eaſdem conſpicimus notas & decora, non obſtante tam numeroſâ paleâ, quæ (ſi S. Auguſtino l. 20. contra Fauſtum c. ult. & l. 2. contra Epiſt. Parmen c. 4. 8. 10. & alibi paſſim candidè fatenti credimus) fortè tunc minor non erat? ſi non; Ergo manus dandæ Manichæis, Donatiſtis &c. aut prorſus cum impio Averroë dicendum: *ſit anima mea cum Philoſophis.* Si enim argumenta illa non ſufficiunt ad inducendum, ut Rom. Eccleſiæ gremio condamur & nos; & aliàs cum S. Doctore prudenter nec Evangelio crederemus, niſi nos Catholicæ Eccleſiæ moveret authoritas, quid reſtat, niſi toti Chriſtianiſmo nuntium ut remittamus?

§. *Tertiò* Certum eſt poſt promulgatum Chriſti evangelium, *cui quiſquis non crediderit condemnabitur*, impoſſibile eſſe per notitias evidentes conſequi beatitudinem. Cùm enim ea doctrina Chriſti nec evidenter vera, nec evidenter falſa ſit, ſolùm ſupereſt, attentè conſiderandum, cujuſnam Religionis, aut Cultûs argumenta producantur potiora, quibus unaquæque ſuam reddat credibiliorem tanquam à DEO revelatam. Facilè autem generatim loquendo inter Catholicos & Proteſtantes conſtat, nullam ſectam à Chriſto penitus alienam habere pro ſe plura & graviora argumenta, quibus præſtet cæteris omnibus quam habet Chriſtiana. Nam nulla habuit tot ſectatores ſapientes, nulla tam inſigni & ferè ſuperhumanâ virtute præditos, nulla pro cujus defenſione non fortiter & alacriter, tot myriades hominum in quovis ſexu, ætate, fortunâ ſanguinem ſuum fuderint; nulla quæ tot habuerit contemptores rerum humanarum ex ſolâ ſpe æternorum, quæ Chriſtiana Religio pollicetur; nulla quæ tot ardentiſſimos DEI amatores; nulla cujus veritatem teſtentur tot prodigia ſuper omnes vires naturales effecta; nulla cujus propagatio fuit adeo admirabilis & cum evidentiori Numinis patrocinio; nulla cujus naturalis impoſſibilitas conjuncta cum fide naturaliter æque incredibili, & nihilominus obtinuerit conſenſum à doctis & indoctis, numero credentium innumerabili. His poſitis, itemque quod detur aliquod Numen optimum & benevolum erga creaturas rationales, cui aliqua noſtra opera placeant, alia diſpliceant, ideoque illud Numen ſit colendum & amandum; planè hoc Numine indignum apparet, ſi permittat aliquam Religionem falſam habere pro ſe argumenta ſine comparatione graviora, quàm quælibet alia, ac proinde quàm ea, quæ ſit vera. Atqui non minùs indignum hoc Numine apparet, ut permittat illum ipſum Fidelium cœtum viſibilem univerſum; cui prædictos omnes favores præſtitit, Paſtoréſque & Doctores pollicitus eſt uſque ad conſummationem ſæculi, nihilominus non tantùm *circumferri omni vento doctrinæ* &c. ſed etiam in captivitatem Antichriſti & Satanæ tradi, non modo per 70. annos, ſed per 1000. & nihilominus ſeriò imperare, ut quotquot gen-

tes

tes volent Chriſtiano populo adjungi, non aliis, niſi AntiChriſti & Satanæ Miniſtris utantur. Hæc porrò cùm cuivis prudenti appareant evidenter incredibilia & paradoxa, ejus oppoſitum omnino ut evidenter credibile cuivis prudenti videbitur, & conſequenter noſtra Catholica, quam illi Pontificiam appellant, ſemper habuit veras Eccleſiæ notas, ac præcipuè illas quatuor, quod ſcil. ſit VNA, SANCTA, CATHOLICA, & APOSTOLICA juxta expoſitionem ſuprà allatam.

§. *Quarto.* Sicut Fidei divinæ ſimpliciter repugnat falſitas, ita & veræ DEI Eccleſiæ repugnat poſſe fallere & falli, cùm teſte Apoſtolo, *ſit columna & firmamentum veritatis, contra quam nec portæ inferi poſſint prævalere.* In nullo autem cœtu, niſi in Catholico prætenditur, nedum invenitur illa infallibilitas; quantumvis Saxoniæ Elector inter Germanos Lutheranos, Rex Britanniæ, Batavi, & alii aliquod tribunal decidendis in Religione litibus ſtatuere viſi ſint. In Romanâ Eccleſiâ hæc omnibus ſæculis agnita eſt à ſapientiſſimis & ſanctiſſimis quibusque, ut in 2. parte Irenici Anticalixtini monſtratur. Et certè vel admittendum eſt tale Chriſtianitatis tribunal in fidei cauſis infallibile, vel non. Si ita; habetur intentum. Si non; Ergo Chriſtus imprudens fuit. (quod eſt impium cogitare) cùm nulla alia Reſp. inter homines non omnino barbaros detur, quæ careat ſupremo tribunali, quo finis litibus imponatur. Ergo tota Chriſtiana Religio ruit: Si enim in uno articulo fallit, in omnibus fallere poteſt. Si verò detur, in ſolâ Pontificiâ datur, in quâ ſolâ agnoſcitur & agnita fuit ſemper. Fruſtrà hic ad Scripturas recurrunt Proteſtantes, eásque judicem controverſiarum ſtatuunt. Nam duæ valdè diverſæ, eæque graviſſimæ hic ſunt quæſtiones. Prior: an hæc, quæ traditur, ſit S. Scriptura? Poſterior: quomodo ſit intelligenda? In priori quæſtione S. Scriptura Rei quodammodo perſonam ſuſtinet, nec eſſe judex poteſt, niſi circulus vitioſus admittatur. In poſteriori ipſa non decernit, quænam expoſitio v. g. verborum (*Hoc eſt corpus meum*) ſit vera, quæ falſa? Catholicorúmne an Lutheranorum, an Calvinicorum? Certum quippe eſt omnes illas tres interpretationes eorundem verborum disjunctivè potuiſſe verificari à Chriſto ad libitum. Lis tantùm eſt, quam ſignificationem de facto Chriſtus intenderit in inſtitutione illius Sacramenti. Porrò quamvis ſignanter ad hoc punctum poſtulârim ego olim à Muſæo, quid aliquâ probabilitatis ſpecie hic reſpondere queant Lutherani, ipſe tamen etiam hoc, tanquam NVGAS *reſponſo non dignatur.*

§. *Quintò.* Vel datur inter Chriſtianos infallibilis diſcretio librorum Canonicorum à non-Canonicis, vel non? Si non; ergo & nulla religio certa, nulla fides divina; quæ enim certa & infallibilis non eſt; divina non eſt. ſi maximè ſupponatur, quod falsò prætendunt Lutherani, verbum DEI totum contineri ſcripturâ. Cùm igitur utrinque in confeſſo ſit, dari fidem divinam, verbúmque DEI ſcriptum; unde ſciemus infallibiliter, qui libri ſint divinæ authoritatis, qui non? Dicant ipſi Lutherani, unde ſua Biblia acceperint? Nunquid à Rom. Eccleſiâ? uti fatetur cum Gerhardo Muſæus, imò & Lutherus ſuprà. At unde ſcit manſiſſe incorrupta? Nonne ex eâdem Pontificiâ Eccleſiâ, ejusque doctoribus? Non certè ex textu Bibliorum id cognoſcitur, nec ipſi ſibi (niſi falsò) arrogabunt criterium infallibile. Rurſus unde habent diſcrimen infallibile inter Canonicos & non Canonicos? Verſent ſe, in quamcunque partem velint, nihil aſſignabunt præter Pontificiam Eccleſiam,

à qua

Digitized by Google

à quâ ſe accepiſſe candidè fatentem audivimus ſuprà Lutherum. Ad ſcripturam ipſam nimis abſurdè confugiunt, quia nunquam expedire ſe valebunt ab iſto monſtro dialectico, quod ex eorum propriâ doctrinâ enatum eſt ejusmodi: *Si nihil credendum eſt, niſi quod in S. Scripturâ eſt, nihil omnino erit credendum, quod in Sacrâ Scripturâ eſt. Quia non debet credi hos libros, quibus utimur, eſſe S. Scripturam, cùm eos eſſe S. Scripturam, non ſit in S. Scripturâ. Vnde ſi non debet credi hos libros eſſe Sacram Scripturam, nec credi debent, quæ continentur in iſtis libris.* Ergo dent DEO gloriam Lutherani, fateántúrque Rom. Eccleſiam, unde acceperunt S. Scripturam, habere cum cæteris etiam hanc illuſtriſſimam Infallibilitatis notam.

§. *Sextò*, Idem confirmatur ex mediis ad ſalutem neceſſariis. Cùm enim finis religionis ſit ſalus æterna, illa ſola eſt vera Chriſti Eccleſia, quæ ad illum finem neceſſaria & infallibilia media à Chriſto obtinuit. At hoc nulla præter Pontificiam. Quia inter media alia, eſt etiam eorum cognitio infallibilis, quæ requiruntur neceſſitate medii. Ergo Reip. à ſe inſtitutæ Chriſtus conceſſit infallibilem modum conſequendi veritatem, ſaltem in iis controverſiis, quæ litigant de his, quæ neceſſitate medii neceſſaria dicuntur. At hujusmodi infallibilis modus non eſt apud ullos Proteſtantes, ſed apud ſolos Pontificios. Ergo apud hos ſolos nota infallibilis veræ Eccleſiæ. Probatur ſubſumptum. Quia de Sacramenti Regenerationis, itémque Pœnitentiæ, & bonorum operum neceſſitate ad ſalutem æternam, omnia ſunt lubrica, incerta, controverſa inter Proteſtantes, ut præter antiquum bellum inter rigidos & molles in Colloquio Altenburgenſi, palàm eſt de bello recentiore inter Arndianos Calixtinos &c. ex unâ, & inter Electorales Saxonicos & pleroſque alios Lutheranos ex alterâ parte, de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem æternam; quæ omnia apud ſolos Catholicos in Pontificiâ Eccleſiâ per infallibilem definitionem habentur exploratiſſima. Ergo hæc ſola habet notam veriſſimam CHRISTI Eccleſiæ.

§. *Septimò* Idem firmatur ex neceſſitate Traditionum infallibilium: Conſtat enim circumferri innumeras. Ex his certum eſt, ut fatentur etiam Proteſtantes, non omnes eſſe recipiendas, ſed nec omnes rejiciendæ; ſic enim ipſa quoque S. Scriptura rejiceretur, quæ & traditiones non ſcriptas commendat, & ſine Eccleſiæ Traditione infallibili non innoteſcit. Ergo retinendæ omnes & ſolæ Catholicæ & Apoſtolicæ, rejiciendæ politicæ, provinciales, privatæ &c. At unde ad hoc habetur diſcerniculum infallibile? Certè non è S. Scripturâ ſolâ, ut contendunt Lutherani, nam & ipſa S. Scriptura quoad nos, ut innoteſcat, neceſſariò poſtulat Eccleſiæ authoritatem ac Traditionem, & ipſe ſenſus S. Scripturæ, ſæpè non niſi ex Traditione conſtat. Ergo ad Eccleſiam neceſſariò recurrendum, *eamq; Romanam, in quâ ſemper, quæ ab Apoſtolis eſt, ſervata Traditio*, ut loquitur S. Irenæus.

Porrò his omnibus ſi adjungantur ea, quæ in Bell. vind. Tom. II. lib. 2. c. 4. produximus, evincitur planè ſumma conſpicuitas unius veræ & propriæ dictæ Eccleſiæ Catholicæ, ſub uno viſibili capite Romano Pontifice in terris militante. Libet hîc duo tantùm memorare, quæ vel ſola ſufficere deberent ad permovendos Proteſtantium animos Phariſaïco livore non ſuffuſos. Alterum eſt *converſio tot gentium* partim valdè barbararum, ut in utrâque Indiâ, Braſiliâ, novâ Franciâ, & partim etiam ingenio ac literaturâ præſtantium, ut Chinenſium, Iaponum, ac aliarum. nec unica è tam multis ad Lutherum converſa,

verſa, & quod amplius eſt, nec à præconibus novi Evangelii id unquam tentatum. Credo quod de ſucceſſu deſperarent. Quâ de re extat Epiſtola P. Martini Martinii è Soc. IESV, quam Romæ anno 1654. 8. Octob. antequam ad Sinas rediret, dedit, ad P. Forerum interrogantem, *quid faciant*, (circa Religionem) *Hollandi & Angli in Indiis, ubi rerum potiuntur?* Recitavi hanc Epiſtolam integrè in Examine Examinis Conringiani ad finem Interrog. VII. Scripſeram ego in Parall. p. 80. unum S. Xaverium Indiæ Apoſtolum plures Chriſto per Baptiſmum genuiſſe Filios, quam Lutherus ad ſuum pellexerit Evangelium. Hoc anno ſequenti allatravit Helmſtadii Conringius; Muſæus verò hactenus non attigit. An ne hæc etiam ut NVGAS *non dignatur reſponſo?* Nunquid & illud, quod repoſui Conringio in Bellar. Vind. c. cit. pag. 131 ex Thomâ Bozio, nempe *univerſos Hæreticos ſimul ſumptos per annos 1500. non traduxiſſe ad Hæreſes tot gentes à Chriſto alienas, quot unus Xaverius ad Chriſtum annis undecim?*

Inſurgit hic Wigandus in ſuæ Apologiæ part. 2. pag. 41. ubi Sereniſſimi Landgravii Erneſti ſexto Motivo Converſionis ad fidem Catholicam (quod petitur à Converſione Infidelium ad Chriſtum) hæc præcipue opponit, ut auguſtiſſimum hoc Decus Romanæ Eccleſiæ vel eripiat, vel imminuat. Ait 1. *Si de poſterioribus ſeculis ſit ſermo indubitatum eſſe, quod Angli & Batavi Evangelici & Reformati plurimos infideles ſuis concionibus ad Chriſtum perduxerint.* 2. *Si quid à Romanenſibus addatur, fieri id per Verbum, quod cum Evangelicis commune habent, non autem per humanas Traditiones, uti Acoſta Jeſuita teſtatur, non eſſe medium præſtantius, quàm nude articulos ſymboli ſimpliciterque proponere, quod Evangelici præcipuè factitare conſueverunt.* 3. *Romanenſes non habere unde glorientur multum de hâc Converſione, cùm ipſe de Luſitanis legerit, quàm parum Chriſtianè & ſcandaloſè inter Indos verſentur, vitamque beſtialem agant, quâ Gentiles non modò non convertant, ſed etiam in Infidelitate pertinaciores efficiant. Idem de Hiſpanis in America ſeu Indiis occidentalibus confirmant ipſorum Hiſtorici, Legatur Barthol. de las Caſas Dominicanus: narratis, quod 40. annorum ſpatio per Hiſpanorum tyrannidem 15. milliones infidelium, fame, ærumnis, & cruciatibus necati ab Hiſpanis fuerint. Hæne ſunt præclaræ illæ Gentium converſiones, quas Papiſtæ jactant & quibus Sereniſſ. D. Landgravius ad Pontificiam amplectendum permotus eſt? Gentilis ſi forem, Papiſtica doctrina impedimento potius mihi foret, quam incitamento ad Eccleſiam Pontificiam*, quod deinceps circa cultum Imaginum, Tranſubſtantiationemque Euchariſticam Rhetoricatione ſophiſticâ proſequitur. Reſp. Res ipſa loquitur, vaniſſimas eſſe has Wigandi Exceptiones, ſpiſſis calumniis & mendaciis fartas. Quod milites Hiſpani plurimi in America, Luſitani in Indiis orientalibus malè & ſcandaloſe miſeros Gentiles tractaverint, quid ad SS. Ludovicum Bertrandum, Franciſcum Xaverium, alioſque viros Apoſtolicos? An horum ſanctiſſimis laboribus & fructibus glorioſiſſimis quicquam decerpat improbitas Catholicorum carnalium & ſceleratorum? Ad populum phaleras! Si talia pro concione Ienenſi effudiſſet, poterant invenire locum apud ſimplices & credulos; Sereniſſimo ſic velle fucum facere, quantæ confidentiæ! qualis judicii! De modo, quo Catholici tot Gentes ad Chriſtum converterunt, quid ad rem facit, quod ex Acoſta refert Wigandus? Cur ergo Lutherani non dant ſpecimen vel ſemel, vel unicum pagum aut Reductionem (ut vocant in Paraquaria) ad Chriſtum ſymboli articulos recitando adducunt? Atat, quàm impium, quàm blaſphemum

eſt, quod de innumerabili Gentium (quarum copioſum Catalogum dabit Th. Bozius) à mille annis ab Idololatria vulgari & antiqua ad novam Papiſticam converſione garrit Wigandus ! Si enim Idololatræ ſumus hoſtiam conſecratam adorando, Imagines venerando &c. non ad Chriſtum, ſed ad Dæmonem converſi ſunt, quotquot à mille annis per SS. Kilianum, Bonifacium, Bertrandum, Xaverium, ſimilesq; Apoſtolicos viros traducti ſunt ad Eccleſiam Romanam ; & conſequenter omnes etiam noſtri Majores retrò æque damnati ſunt in æternum, cùm neminem excuſet ignorantia invincibilis de Idololatria, cujus impietas lumine naturæ innoteſcit, ut in cap. 1. ſuæ Parænesis Sectariis Gallis & Anglis probe inculcat Ioa. Barclajus. Denique quàm impudens mendacium; & Lutheranis ipſis probroſum, quod Anglis & Batavis Calviniſtis (hoc eſt judicio Luther: *hæreticis, Sacramentorum hoſtibus æternum damnatis*) falſo adſcribat hanc Gentium converſionem. Ad impudentem hanc fabulam expediendam, & candidam rei veritatem propalandam, non gravabor hìc reponere Epiſtolam, quam Chinas repetiturus R. P. Martinus Martinius Romæ Reſponſioriam dedit ad P. Laurentium Forerum de hoc argumento: Sic ergo ait.

Quærit ex me R. V. Quid faciant in India Holandi, & Angli, ubi rerum potiuntur? 2. Vtrum illorum prædicatores etiam aliquam curam habeant convertendi illic infideles, etiam cum aliquo vitæ periculo apud eos, qui non ſunt ſub eorum poteſtate ? Ad quæ breviter & ſincere reſpondeo ut ſequitur. I. Hollandos Anglosque in India lucro ſolùm inhiare, pejusque paſſim vivere, quàm ipſi Turcæ vel Gentiles. Favet illis regionis libertas, obviæ paſſim occaſiones, captivorum & captivarum copia ad omne obſequium & proſtitutionem pronæ : uxores vix quidem habent, ſed pellicibus abundant, præter paucos, qui in Iacatra uxorem ducunt. Si verò interrogat de eorum prædicatoribus, dico eos Indiam petere ſolùm, qui in Europa valere non poſſunt, & hoc ad tempus determinatum, ob opimum ſtipendium, quod illis dat Societas Orientalis Indica. Ibidem, quantùm occultè poſſunt, mercaturam exercent (prohibita enim omnibus præterquàm mercatoribus Societatis.) mox abſolutis annis domum divites redeunt. Audivi ab ipſis, ſe tantum *ad oves, quæ perierant, domus Iſrael*, hoc eſt, Hollandorum bono, & non ad Indorum converſionem mitti. Vnde non modò non excurrunt ad Eos, qui ſunt ſub eorum poteſtate, ſed nec diligentiam adhibent ibi, ubi vim habent coactivam : puto, quia olim tentarunt, & ſe nihil efficere poſſe cognoverunt. In nova Batavia, quæ Iacatra dicitur, aliquot millia Sinenſium ſunt mercatorum, non pauciores Iavani ; illi Gentiles, hi Mahumeatni : ſubſunt omnes Hollandis, ac ſimul habitant intra eadem urbis mœnia ; tamen nullum hactenus convertunt, cùm tamen non pauci ſint in nova Batavia Prædicantes. Habent quidem Indorum templum, ſeparatum à templo Hollandorum (quia dedignantur ſimul cum illis in eodem templo cantare): ſed illud frequentant ſolùm aliqui, qui olim à Luſitanis baptizati fuerunt, ac deinde ab Hollandis captis perverſi ſunt, unde non paucos habent, at NVLLVM, quod ſciam CONVERSVM. Ipſe andivi à Prædicantibus, cum dicerent, nihil poſſe ſe cum Indis agere, niſi prius DEVM ac Chriſtum agnoſcant. Vnde Ieſuitas mittendas ajebant, à quibus hæc agnoſcerent Indi, deinde illis facile fore, eos ad veram fidem deducere. Nimirum triticum ſeminare neſciunt ; at bene tanquam inimici homines in medio tritici zizania. Ratio autem cur Gentiles convertere non poſſint, inter alias etiam hæc non eſt nulla, (ut ſæpe audivi à Sinis

& In-

& Indis.) quod nihil ſacri habeant, nullas cæremonias, nihil quo videantur DEO honorem dare, in quo conſiſtit Religio. Ac propterea Gentiles potiùs ſua laudant & amant, noſtramque Legem admittunt faciliùs, ob Sacramenta, cæremonias, feſta, & ſimilia, quibus DEUM honoramus. Mahumetani verò dicunt Hollandis nihil deeſſe, ut ſibi æquales ſint, niſi Circumciſionem. Sed vera ratio, cur non ad fidem ſuam hæretici Gentiles convertant eſt, quia *non ſunt de ſemine virorum illorum, per quos ſalus* &c. nec ad illos dictum eſt. *Ite in mundum univerſum, & prædicate*: unde omnino carent Notâ illâ, quæ ſemper fuit veræ Eccleſiæ propria. Quod attinet, an eant Prædicantes cum periculo vitæ ad infideles, tantum abeſt, ut hoc faciant, quin etiam rideant, ſtultosque vocent Ieſuitas, ſi fortè aliquem audiant Martyrio affectum. Illud certò ſciat R. V. nullum hactenus Prædicantem fuiſſe ab Indis vel occiſum, vel vexatum, quia cum ſolis ſuis Hollandis vivunt & agunt. Romæ 8. Octobr. 1654.

Alterum, cum hâc Gentium converſione ferè conjunctum eſt donum illud Miraculorum, & Prophetiæ, quod omnibus, etiam hiſce proximis ſæculis Eccleſiam Rom. illuſtravit, quæ etſi pertinaciter cum Phariſæis contemnant, & Beelzebub Dæmoniorum Principi, ejuſve primogenito Anti-Chriſto adſcribant, graviſſimè tamen in hoc falluntur & fallunt. Nihil certè opponere poſſunt ſeveriſſimo Eccleſiæ judicio approbatis miraculis, quod non pari ratione Phariſæi potuerunt excipere contra Chriſti & Apoſtolorum miracula. Eſt planè res admiratione, vel commiſeratione vel deteſtatione digniſſima, cum iji pſi Lutherani jam ab aliquot annis *Devotiones*, quas vocant *Kegelianas* ab auctore potiùs Armdiano, aut Calixtino quam Saxonico & *γνησίως* Lutherano conſcriptos toties recudunt, & in Præfatione libelli debuccinant tanquam divinum de Cœlo teſtimonium pro ſua Religione, quod is in Haſſia à quodam tubicine Catholico in ignem conjectus manſerit illæſus; idque ipſum tot aliis veſtiunt circumſtantiis, quæ merito rem totam faciunt ſuſpectam; & tamen certum eſt, etſi gratis largiamur omnia, quæ de hoc prædicant, nihil in hoc factum eſſe, quòd non viribus alicujus creaturæ, abſque ſupernaturali DEI brachio perfici potuerit. Cum verò à Catholicis producuntur excitationes mortuorum, ſanationes ſubitaneas deſperatè ægrotantium, prænotio futurorum & ſecretorum cordis, ſimiliumque quæ conſtat nec angelicâ quidem, ſed ſolâ divinâ virtute præſtari poſſe, hìc vociferantur, vel impudenter eſſe conficta, vel illuſoria, vel impiè illa eſſe Dæmonis ope patrata. Ita ſuis Præcones Luthero-Calvinici perſuadere ſatagunt: Sed haud equidem credo, ita illos faſcinare ſuos omnes poſſe, ut opera DEI tam luculenta, cum Iudæis blaſphemantibus, & in Spiritum S. peccantibus Cacodæmoni attribuant. Certè nihil opponere Muſæus cum ſuis poteſt ab Eccleſiâ juridicè approbatis miraculis, quod non pari omnino jure (vel injuriâ potiùs) opponere Phariſæi miraculis Chriſti & Apoſtolorum potuerint, ut luculentè demonſtrat P. Michael ab Elizalda in libro de *Forma veræ Religionis inquirendæ & inveniendæ*, Quæſt. 27. §. 465. & ſeqq. Eſt liber hic impreſſus Neapoli Anno 1662. digniſſimus qui recudatur & legatur in Germania, ubi parùm innotuit. Non pigebit interim ex eo hic deſcribere celeberrimum illud noſtræ ætatis à S. Franc. Xaverio patratum in P. Marcello Maſtrillo miraculum, quod refert in eadem Quæſt. §. 478. & ſeq. Sic ergo inſit.

Vnum hic non ſubiicebo, illudque præclarum miraculum. Neapoli illud ſcribo, ubi non pridem geſtum fuit; ubi teſtes multi ſuperſunt, ubi coargui illndique poſſum, ſi vera haud narrabo. Anno Domini 1634. Comite de Monte Rey Prorege, in ipſius palatio dies feſtus agebatur in honorem Conceptionis Deiparæ. Ex altaribus magnificè apparandis unius cura demandata eſt P. Marcello Maſtrillo noſtræ Societatis ex illuſtri Maſtrillorum familia orto, notoque ſatis Neapoli, ſed celebritatis planè finis mœſtus. Nam cùm quidam in alto parietis peripetaſmata refigeret, bilibris ei malleus per incuriam manu elabitur, atque in Marcelli caput cadens, eo illum ictu affligit, ut ſenſuum expers jacuerit mortuo ſimillimus. Sublatus mox inde manibus, currui que impoſitus ad Collegium Neapolitanum advehitur. Peritiſſimi quiquè Medicis atque Chirurgis acceſſuntur, vulnus examinant, conſultant, & communi ſuffragio lethale dicunt. Mox æger magnâ febri corripitur; os etiam nervorum relaxatione obſtruitur. Ad extremum aliis peractis Chriſtianorum officiis, vigeſimo ſecundo à vulnere die, ſacro oleo inungitur, anima, ut moris eſt, à ſociis P P. DEO commendatur, ad craſtinum exſpectatur funus. Hæc inter cùm hora eſſet quaſi quarta noctis diei 3. Ian. Marcellus ſuo ſe nomine vocari ſentit, ſtantem prope lectum videt Xaverium, veſte quidem peregrinantium ad inſtar, vulgari ſatis, ſed vultu hilari & venuſto, quique deceret cœlitem. Rogatur an mori, an ad Indiam ire præſtaret? Quod mallet Deus, Marcellus reſpondit. Tunc verò Xaverius votum nuncupare incipit; verba præit, quæ Marcellus reſumeret: Patriæ, amicis, conſanguineis renunciatum; renovata religioſa vota: additum aliud de ſuo ad Indiam profectione, promiſſumque ſe, ſi liceret, apud Barbaros mortem pro Chriſto ſubiturum. Adſtantes quidem ſocii Marcellum audiebant loquentem, jam de graviſſimis rebus agere viſum, jam in extremis vitæ anguſtiis delirare, jam quid eſſet mirabantur magis, quàm quidquam judicarent. Voto nuncupato, ſanctiſſimi ligni Crucis fruſtulum, quod apud ſe habebat, Xaverii juſſu Marcellus reverenter oſculatur, ac vulneri applicat. Tunc Xaverius eum bono animo eſſe jubet, valetudinem jam eſſe integram, & his dictis evanuit. Extemplo Marcellus in lecto erigitur, ſe ſanum dicit: viſa factaque memorat, veſtitur, è lecto exilit, cicatrix, pallor, imbecillitas abeunt, reſtituti capilli ad vulneris curationem eraſi? Ex numeroſiſſimo Collegio accurrunt cuncti: Tum Marcellus tum cæteri humi ſtrati DEO gratias habent: ſtupent devotione lacrymiſque perfuſi: omnes Marcellus amplectitur, cibumque poſt ſumit, quo tamdiu fermè caruerat. Mox à ſuperiore juſſus omnia manu ſuâ minutatim ſcribit, ſubſcribitque, & ſequenti die, quando funus expectabatur, coram magnæ frequentia ſacrum facit, cæteraque proſequitur integræ valetudinis officia. Vix in tam patenti miraculo opus informatione fuerat: tamen ea juſſu Archiepiſcopi exactiſſimè facta, ac Medici, Chirurgi, Patres, teſtes omnes jurati miraculum teſtantur. Repugnat

nemo,

nemo, & quaſi in meridiana luce, cujuſcunque indolis vel affectionis homines conveniunt. Ad Indiam quantocyus profectus poſt innumera alia brevi peracta facinora tandem anno 1638. 18. *Octobris in Iaponia Nangaſaquii pro Fide torquetur, cruciatur, occiditur. Eram quidem eo tempore in Hiſpania, & (ut verum ingenuè fatear) licet ſatis hoc in genere incredulus, dubitare tamen de hoc miraculo nunquam potui, iis monumentis convictus planè, quæ prodere juvat. Videbam primùm noſtros homines de eo ubique perſuaſiſſimos, at certè in hoc genere increduli magis plerumque exiſtimus quàm faciles: quod quidem pro me ſatis mihi evidens facit rerum noſtrarum diuturna experientia. Alii advertere facilè poſſunt vix apud Nos in noſtriſque templis ullas miraculis celebres imagines extare. Quod ego nec approbaverim hic vel improbaverim: ſcio utrumque extremum vitioſum, nimiæ, vel tardioris credulitatis. Mihi tot hominum non nimis utique facilium conſtans perſuaſio argumentum veritatis invictum eſt. Iam demum integro fermè triennio Neapoli dego: Cum his hominibus tracto, quorum multi eo in Collegio tunc temporis erant: alius in cubiculo ipſo aderat, vir quidem, ne de ſuperſtite nimiùm dicam, probitatis haud vulgaris. Audio, circumſpicio, attendo, reflecto, & ut vera ſolent, omnia invenio uniformia, viciſſim cohærentia, concordiaque. Nihil eſt quòd Xaverius Marcelluſque noſtri ſint. Nam de eodem Xaverio permulta in hoc ipſo regno vulgata ſunt, quæ creduntur ab aliis quidem, at ab aliis negantur paſſim, vel etiam ſpernuntur. Sed noſtros nunc teſtes omittamus. Italiam Hiſpaniamque totam compello. Invaluit quaquà verſum veritatis vis ingens. Marcellus jam ad Indiam profectus, ſingulari lætitiâque cultuque non ſolito ubique excipitur. Vt infinita circa hoc ſupprimam, illud reliquorum argumentum præclarum, quòd Rex noſter inter tot illa alia pietatis officia eâ illum formâ allocutus ſit tam inuſitata* (V. R. me encommende à Dios.) *Ac rogatus de cauſa, ſibi viſum reſpondit, non cum hominum aliquo, ſed cum ſancto agere. Nimirum tantus Rex à Miniſtris ſuis ex Italia exactè omnium certior erat. Facilior porrò à rege ad cæteros Proceres & Populos, regnaque conjectura. Quanta omnium frequentia? quanta ubique devotio? qua lacrymæ? Felix ille habebatur cui ex paupere ſupellectili aliquid contingeret: ac uno demum verbo, ſic fermè cum Marcello actum ubique, atque cum Cælitum aliquo, qui nos reviſurus veniſſet. At his majus veritatis argumentum Marcellus ipſe, adeo mutatus in alium, ut non tam ſanatus à Xaverio, quàm verſus in Xaverium videretur. Ex ea hora mutata cuncta: nihil viſum in eo, nihil auditum deinceps, quod viri Apoſtolici non eſſet. Flagrabat amore DEI, amore Xaverii, pro Iaponia converſione ardebat: hic totus ſermo, hæc cura. Examinentur tot regna, an in eo levius aliquid viderint vel audierint? Ad orientalem Indiam ſolvit, demum Macaum appulit, inde ad Philippinas tempeſtate jactatur. Ibi dum moratur ad Mindanai expugnationem ducitur. Quippe*

Digitized by Google

pius dux Coquera plus roboris in uno Marcello, quàm in exercitu univerſo ſe ducere ratus eſt: nec ſpes fefellit. Nam fruſtra toties tentata expugnatio expedita feliciter. Inde ad Japoniam ſolvit: cito capitur: inauditis illis foſſæ & aquæ tormentis exponitur: prodit ex tormentis vegetior: beatum caput amputandum Carnifici traditur. Riget ille, fruſtra tentat, atque à Marcello tandem ipſo juſſus crudeli officio fungitur, ac Marcellus, ut promiſerat, felix Chriſto victima cadit. Infinita mari terrâque ab eo edita mirabilia hiſtoria produnt. Nihil pluribus opus, hæc Marcelli vita, hæc factorum ſeries, hic curationis mortiſque conſenſus, totidem haud integro quadriennio peracta facinora, populorum hac illàc ſenſus, regnorum conſenſus, omnium concordia tenorque, ſi quid hoc in genere firmum eſt, miraculi veritatem evidentiſſimam planè conficit. Hinc fit, ut mirer denuò orthodoxos illos tantopere morali evidentiæ repugnantes. Miraculi porrò inſtrumentum ſanctiſſimi ligni crucis fruſtulum, è Philippinis reportatum Excell. Comes de Peneranda, noſter nunc Prorex habet. Quanta verò reverentia aſſervatum, quanto cultum affectu? Totam ad extremum Quæſtionem comprobemus ex S. Congreg. Rituum more exactiſſimo. Licet enim nihil hoc ex loco profecturi ſumus apud Sectarios, qui omnia Romæ geſta hoc ſolo improbant, & vix, quæ eorum impudentia eſt, homines compotes mentis ibi degere concedent: tamen hæc temeritas eſt ipſorum error. Ac deinde apud orthodoxos ſanè audiemur. Quicquid itaque miraculorum in univerſa Eccleſia approbatur, in hoc primùm integerrimo tribunali diſcutitur: eo Theologorum optimi evocantur: ibi Promotor Fiſcalis adeſt, qui magno ſtudio, exquiſita cognitione hinc inde exceptiones tam in jure, quam in facto quærat, opponat: hoc caſu, hâc criſi, hâc dæmonis ope fieri potuiſſe diſputat: hiſtoriæ rerum ſimilium citantur: errores in eo genere committi ſoliti producuntur: collatio inſtituitur: Medicorum ac Philoſophorum ſenſa afferuntur: teſtes eliduntur: circumſtantiæ quæque expenduntur: nihil uno verbo omittitur, quod ab hominibus geri hoc in negotio poſſit. Atq; hoc opinor, concederent, ſi ad miraculum aliquod probandum Romam venirent ipſi etiam procaciſſimi Sectariorum. Sic primùm diſcuſſa causâ denuo coram Rom. Pontifice inſtituitur, & ſi omnia manifeſtiſſima non erunt, nihil factum. Qui Romæ adfuimus, ſatis ſumus hujus veritatis conſcii. Novimus quàm ſit difficilis provincia, vel unius miraculi approbationem poſt diuturnam diſcuſſionem elicere. Aliud eſt itaque quòd ſimplices & indocti de multis mirabilibus per nimiam quandam facilitatem, vel rerum ignorantiam ſint perſuaſi, quæ interea ab aliis in nullo pretio habentur: nec his Nos vel Eccleſia pro veritatis ſuæ confirmatione utitur, curantque de errore Epiſcopi. Aliud ſunt authentica, publica, examinata, approbata Miracula. Hæc omnia nullus non extremè temerarius negaverit. Erraverit certè ſemel vel iterum (de quo non diſputo) S. Congregatio: at id calumniæ nulli oppoſueris Tribunali legitimo, quòd nunquam rectum judicaverit. At vel unū verum

Mira-

Digitized by Google

Miraculum veritatem noſtram concludit. Haud dicas Romam in eo facilem. Experti ſunt inimici, experiuntúrq; quotidie, quanto labore, quanto examine, quamque diuturno, conſtet negotium. Ex magna Miraculorum multitudine vix unum, imò nullum probatur aliquando. Sectarii itaque conſiderent, nec ſatis putent Genevæ oblatare: & Orthodoxi ſaltem vel ex hoc uno loco fateantur veritatem noſtram manifeſtiſſimam. Hactenus P. Michaël ab Elizalda. Aveo nunc criſin audire Muſæi, Wigandi, & ſequacium. Quid hic dicent? negabunt factum? At non tam homines, iique jurati plurimi, ſed rei ipſius & eventuum evidentia omni tubâ clariùs veritatem teſtantur. Dæmonis forte præſtigiis adſcribent? Sed etſi omnes in unum conflet vires ſuas orcus univerſus, nec tale quid poterit, nec etſi poſſet, unquam volet hominem miraculo ſubito transformare ex Imperfecto in virum Apoſtolici fervoris & Martyrii pro Chriſto candidatum ardentiſſimum. Reponet ergo nobis illud ſuum ſolenne: Ω ΒΑΘΥ ΤΟΥ ΣΑΘΑΝΑ! Regeram ego idem ipſi Muſæo &c. Vtri verò juſtiùs hâc exclamatione uti poſſint, ex inſtituto diſcutietur in 2. Trophæis ſequentibus.

CAPUT SEPTIMUM.

Lutheranorum viſibilis, ſive, juxta Muſæum Synecdochicè ſumptus cœtus, convincitur Notis, quibus fit evidenter incredibile, eum pertinere ad veram Chriſti Eccleſiam.

PRopriè dictam Muſæi Eccleſiam ſatis cap. V. monſtratum eſt evertere ſeipſam per ſua membra chimærica, jam etiam oſtendetur, quod ille exterior & viſibilis cœtus Lutheranorum, qui ut Muſæus ait *priſtino nitori Apoſtolico reſtitutus effulget*, ſit evidenter vel falſus vel incredibilis. Ipſi quidem arrogant ſibi communiter celeberrimas illas Notas duas, puram ſcil. prædicationem Evangelii & Sacramentorum legitimũ uſum. Sed hæc eſt ridicula petitio ejus, quod eſt in quæſtione. Quæ enim Secta nõ eaſdem Notas ſibi vendicat, eodem plurimum nixa fundamento communi omnium Hæreticorum: quod in ſequenti Trophæo penitus everſum oſtendetur. Repetenda ſunt igitur ſummatim ſeptem illa ſigna ſive falſitatem ſive incredibilitatem Eccleſiæ Lutheranæ convincentia, quæ à Muſæo hactenus intacta perſtiterunt.

§. *Primum eſt*, Quia illa Confeſſio & Eccleſia, cujus auctor fuit Dæmonis diſcipulus, & qui animum habebat decipiendi, graviſſimisque ſcatebat criminibus, eſt evidenter incredibilis tanquam à Deo profecta. Sed talis eſt Lutherana. Ergo. Majorem neſcio an quis ſanæ mentis in dubium vocare poſſit? Minor pro primâ parte conſtat ex propriâ apertâque confeſſione Lutheri Tom. VII. German. Wittebergæ. f. 479. & Tom. VI. Ienæ fol. 82. Effugia Frid. Balduini & aliorum jam dudum à Nicol. Serario in tract. de Lutheri Magiſtro ita præcluſa ſunt, ut res hæc ſine paſſione conſiderata, in dubium ultra vocari non poſſit. Videatur etiam Anatomia Conf. Auguſtanæ P. Tanneri p. 1. demonſt.

Digitized by Google

VI. & infrà poſt cap. X. duo Dialogi de hoc argumento. Altera pars, quod ſcil. multa contra conſcientiam circa doctrinam admiſerit, patet vel ex eo, quod ipſe ſe agnoverit Hæreticum, ut conſtat ex lib. 2. Epiſt. ad Spalatinum, & quòd Tom. II. Germ. Wittebergæ Epiſtolâ ad Argent. faſsus fuit, *ſe extremam ſibi vim feciſſe, ut Sacramentariis conſentire poſſit, cum intelligeret ejuſmodi ictum longè maximas ad proſternendum Papatum vires habiturum, &c.* Tertia pars ſuâ luce radiat, cum toti Orbi Sanctitas Lutheri nota ſit, ut etiam ſecundum jura Cæſarea ante 1200. annos condita capitis ſupplicium Monialis conſtupratione meritus ſit. Videatur Anatomia Confeſs. Aug. P. Tanneri pars prior per totam, & Anatomia Lutheri apud Ioann. Piſtorium.

¶. *Secundum eſt* ſumma Inconſtantia & Diſcrepantia Doctrinæ. Nam evidenter falſa non tantum incredibilis eſt illa Eccleſia & doctrina, quæ ſemper varia, inconſtans, in ſectas diviſa, quarum ſingulæ contendant ſe purum habere Evangelium, doctrinamque. Talis eſt Auguſtanâ Confeſſio & cœtus Proteſtantium illam ſectantium. Lutherus ejus conditor vix ullum docuit articulum Catholicos inter & Proteſtantes controverſum, quem non jam aſſeruerit jam negaverit. De bello Vbiquiſtico, Calixtino, Saxonico, & ſimilibus videatur Forerus in 2. p. quæſt. vex. l. 6. c. 6. Nec opus eſt in re notoria diutius hærere. Quod Wigandus p. 2. Apologiæ pag. 54. diſcrepantiam Catholicis in doctrina Fidei imponit, circa Tranſubſtantiationis modos diverſos, ſcil. per *actionem adductivam*, juxta Scot. & *productivam*, juxta Thom. puerile & ridiculum eſt; uti & quod ex mendaciſſimo Suave de D. Soto & Amb. Catharino circa certitudinem Juſtificationis objicit. Hoc modo potuiſſet ſexcentas Scholaſticorum controverſias allegare tanquam diſſenſiones in fide, quod cùm ignorare nequeat vanum eſſe, cur, niſi ad lectores vernaculę tantùm per iſtos fallendos, ea protrudere voluit?

¶. *Tertium eſt* impius abuſus Sacrarum Literarum, quem ſole meridiano clariorem exhibebit Trophæum tertium.

¶. *Quartum eſt* Defectus legitimæ Miſſionis. Evidenter quippe eſt incredibile, eos prædicare veritates à Deo revelatas, qui à Deo nec mediatè & ordinariè, nec immediatè & extraordinariè miſſi ſunt ad hoc, ut conſtat ex illo Apoſtoli: *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Atqui Lutherus & ſequaces neutro modo miſſi ſunt. Ergo eorum prædicatio & miniſterium eſt evidenter incredibile. Minor probatur. Quia ſi eſt eorum vocatio & miſſio mediata & ordinaria; nominent ſuum mittentem, ejúsque probent auctoritatem. Si immediata & extraordinaria; probent hanc diplomate ſigillato à DEO *conteſtante ſermonem eorum ſignis & portentis.* Conati ſunt miſelli medium quid inter utramque miſſionem comminiſci, ſed validiſſimè repulſi ſunt, præſertim à Forero in Quæſt. vex. 1. p. Quæ Muſæus 1. p. Diſp. VII. neceſſitati legitimæ miſſionis opponit, capite ſequenti diſcutientur.

¶. *Quintum eſt*, Defectus ſanctitatis eximiæ & perfectæ virtutis, quæ ſaltem in paucis veræ Religionis cultoribus ſemper invenitur. De quo idem Lutherus, qui de Eccleſiâ Pontificiâ faſſus eſt, *quòd in eâ ſint multi & magni ſancti*, de ſuo cœtu & doctrinâ clarè pronunciavit: *Mundus ex hâc doctrinâ* (Evangelii Lutherani) *quotidie fit pejor.* Non negamus eſſe inter Catholicos multos peccatores, carnales, imperfectos, qui media & conſilia perfe-

perfectionis ſanctitatisque conſequendæ non curant, ſed in ſceleribus ac flagitiis immerſi, nec præcepta quidem ſub æternæ damnationis reatu obligantia ſervant: & vice verſâ fatemur eſſe inter Lutheranos non paucos homines modeſtos, honeſtæ converſationis, quales & inter Mahumetanos, alióſque Paganos inveniuntur. At cùm juxta ſcita Lutheri, nulla dentur Conſilia Evangelica ad perfectam ſanctitatem manuducentia; ſubſtantialis autem ſanctitas conſiſtat juxta eundem in imputatione extrinſecâ ſanctitatis Chriſti, inhærens verò & acquiſita omnis ſimilis ſit *panno menſtruato, ita ut bonum opus quodvis etiam optimè peractum, ſi ſecundum DEI juſtitiam dijudicetur, ſit peccatum mortale, ſi ſecundum miſericordiam, veniale.* Ex his dictaminibus quî poſſet Sanctitas aliqua, & virtus perfecta enaſci? Vera autem Religio tanquam optimum ſemen DEI ſemper producit fructum ſpiritualis vitæ & ſanctitatis, in nonnullis triceſimum, in aliis ſexageſimum, in aliis denique centeſimum. Vide dicta ſuprà c. de ſanctitate Lutheranorum, quam egregiè confirmant exempla Sacerdotum & Monachorum, à nobis ad Lutheraniſmum tranſeuntium, ut velipſe Andreæ Wigandi Nuptiatoris ſermo Revocatorius, & Apologia paſſim reipsâ, licet non ex intentione loquentis, teſtatur. Hoc certiſſima fert experientia, neminem unum perfectæ virtutis ſtudioſum, à Catholicis defeciſſe ad Luthero-Calvinicos, ſed meras paleas, quas utique illis non invidemus. Meritò autem confundi, & ad ſaniora converti deberent iidem, dum conſpiciunt, quot jam à tempore Lutheranæ Apoſtaſiæ DEVS Eccleſiæ Romanæ contulerit illuſtria, admirabiliáque magis, quàm imitabilia Sanctitatis exempla, in SS. Thomâ à Villanovâ, Carolo Borromæo, Franciſco de Sales, Petro de Alcantara, Ludovico Bertrando, Philippo Nerio, Cajetano, Tereſâ de Ieſu, Magdalenâ de Pazzis, Roſa Perüanâ, Ignatio de Lojola, Franciſco Xaverio, Franciſco Borgia, &c.

Wigandus Motiva Sereniſſimi Landgravii Erneſti, velut CERBERVS (ut nonnemo ait) allatrans, num. x. pag. 55. ait, *ſe extra dubium ponere, apud Catholicos inveniri multos pios & DEVM timentes. Si verò conſideretur Roma & Curia Pontificia, valdè modicam in ea inventum iri ſanctitatem. Videantur Petrarcha, Bapt. Mantuanus, &c. Quàm præclari fructus Sanctitatis Romanæ ſunt Vrbis Lupanaria! Simoniaca nundinatio Præbendarum, & Indulgentiarum! faſtus & pompa aulæ Papalis! Quæ ſanctitas, docere contra Verbum DEI, adorandam eſſe hoſtiam, latriâ colendas imagines, fiduciam unà cum DEO ponere in ſanctis, aut propriis meritis? In Romana Eccleſia nemo ægrotorum & morientium eſt, de ſuâ ſalute ſecurus: debent SEMPER de ea DVBITARE, & æternam damnationem timere, imo tandem ob ſua peccata DESPERARE. Quodnam ſolatium poſſet talis habere? ſanè nullum niſi* (juxta Evangelium Lutheri) *firmiter credat, ſibi eſſe remiſſa peccata.* Et infrà pag. 71. & ſeqq. rabiosè lacerat univerſim Monaſtica vota profeſſos & tanquam *orbis deceptores* horrendè traducit. *Reſp.* I. Wigandus egregiè implet illud tritum: *Omnis Apoſtata perſecutor eſt* (& calumniator) *ſui Ordinis*; Wigandus omnium. At his nihil inde laudis deperit, imò plurimùm accreſcit, quòd non niſi à Dæmone, Hæreticis, & ſceleratis Catholicis vituperentur, quorum encomia verbo & exemplo deprædicarunt proprio omni tubâ clariùs Sanctiſſimi Baſilius M. Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius M. &c. ita tamen ſapienter & diſcretè, ut cum S. Hieronymo Epiſt. 4.

Digitized by Google

profiterentur, *In omni conditione & gradu optimis mixta eſſe peſſima*, & S Auguſt. in Pſal. 99. *Omnem profeſſionem in Eccleſia habere fictos*, quorum convictu non magis maculatur innocentia proborum, quàm Iſcariotæ conſortio Collegium Apoſtolorum. Meminerit etiam Wigandus (& cum intimâ cordis compunctione conſideret, quem eâ parabola tangat) quòd S. Auguſtin. profeſſus ſit, *ſicuti non viderit meliores iis, qui in Cœnobiis profecerunt*; *ita nec deteriores illis, qui ab iis defecerunt.* Denique nullum Monachum eſſe quantumvis diſſolutiſſimum, cujus improbitatem non ſuperet geminatæ Apoſtaſiæ reus, qui ſic *in profundum venit*, ut etiam ſacrilegum ſuum concubinatum, poſt 40. annos caſtitatis profeſſæ, tanquam *honorabile Matrimonium* cum Sodomâ deprædicare audeat. Nonne hoc eſt *ſpiritu incipere, & carne conſummari*? Itane Wigande, cum Apoſtolo *caſtigas corpus tuum, & in ſervitutem redigis, ne cum aliis prædicaveris, ipſe reprobus efficiâre?* *Reſp.* 2. Eſto, omnia ſint vera, quæ maximâ ex parte conſtat falſò declamari, nihil ea detrahunt gloriæ ſinceriſſimæ *multorum magnorumque ſanctorum*, quos ipſe Lutherus in Papatu agnovit. *Paleas ſupra numerum multiplicatas* etiam ſuo ævo faſſus eſt S. Auguſtinus, ſed ſimul nihil eas officere proborum & perfectorum ſanctitati pronunciavit. Imo jam tum unico ictu præcidit omnes ejusmodi obtrectationes Hæreticorum, qui nuſquam caninam ſuam facundiam profuſius exerunt, quàm cùm contra vitia Cleri declamandum eſt. Opponebat tunc Petilianus, uti nunc Wigandus, S. Auguſtino & Catholicis: *ſi Cathedram vobis miſeri vindicatis, habetis illam profectò, quam Pſalmographus PESTILENTIÆ CATHEDRAM pronunciavit. Vobis enim juſtè ea relicta eſt, in qua ſancti ſedere non poſſunt.* Auguſtinus reſpondit: *Et hæc non vides, non aliqua eſſe documenta, ſed vana convitia? Verùm ſi omnes per totum orbem Epiſcopi tales eſſent, quales vaniſſimè criminaris, Cathedra quid tibi fecit Eccleſia Romana, in quâ S. Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet? Quare appellas Cathedram peſtilentiæ* (Anti-Chriſtianam) *Cathedram Apoſtolicam? ſi propter homines, quos putas legem loqui & non facere; nunquid Dominus noſter IESVS CHRISTVS propter Phariſæos, de quibus ait: (dicunt & non faciunt) Cathedræ, in qua ſederunt, ullam fecit injuriam? Nonne illam Cathedram Moyſis commendavit, & illos ſervato Cathedræ honore redarguit: ait enim*: ſuper Cathedram &c. dicunt & non faciunt. *Hæc ſi cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blaſphemaretis Cathedram Apoſtolicam, cui non communicatis. Sed hoc quid eſt aliud, quàm neſcire quid dicere, & tamen non poſſe niſi maledicere?* Ita S. Doctor jam ante 1200. annos Wigandi Declamationem disjecit. Et quippe hic *locus communis* à nullo Hæreticorum Rabulâ ſtudioſè non pertractatus. De Lupanaribus videatur Flori mundus de Remondo. *Reſp.* 3. Quod de deſperatione morientium in Papatu blatit, dubito ſitne majoris nequitiæ, an apertioris implicantiæ? Quomodo enim ſtat, quod antè faſſus erat, *eſſe inter Catholicos multos pios*, ſi hi ſint *Arto- & Idololatræ*, ac *morituri deſperare debeant*? An quia Catholici illam præſumptionem Luthericam, quâ ſceleribus licet operti certâ fide ſibi pollicentur ſalutem, damnamus; ideò non ſperamus ſuper omnia in miſericordiâ DEI infinitâ, etſi ſimul *cum metu & tremore*, juxta monitum Apoſtoli, *noſtram operamur ſalutem*? Vide Bell. vind. Tom. IV. lib. VI. cap. 2. 3. 4. & contra Mendacia Suaviana Hiſtoriam Concilii Tridentini Card. Pallavicini. At undenam didicit Wigandus, *Dom. Sotum fuiſſe Præceptorem Caroli V. Imperatoris*, quod ex occaſione affirmat

mat pag. 53. ſicut Muſæus pag. 643. ſcripſit, *Eſtium Societatis Ieſuiticæ Doctorem* (fortè quia vidit eum cum Bireto quadrifido in ejus libri Epigrahe depictum) *& interpretem ſcripturæ non contemnendum* ? Sed hoc obiter. Illud intolerabile, quòd pag. 52. ait: *Papam diſpenſare in Decalogo* ? & cur? nempe non puniendo aliqua peccata? Ergone diſpenſant Lutheraniſſimi Saxoniæ Duces in præcepto divino, cùm ebrietatem, avaritiam, & ſimilia non puniunt? Ejuſmodi illationibus ſcatet calumniatoris Apologia.

§. *Sextum eſt*, Defectus Catholiciſmi reſpectu temporum & locorum, adeoque & ſucceſſionis continuæ, cujus certe apud Lutheranos nec Nomen nec Res invenitur, cum ipſe Muſæus cum ſuo Wigando ſe ſuosque *Lutheranos* ſoleat appellare. De re ipsâ ſi agatur; manifeſtum eſt, eos hactenus toties provocatos, nec unicum hominem per 1000. annos ante Lutherum potuiſſe monſtrare præcipuorum Lutheranorum articulorum profeſſorem indubitatum, quales ſunt XVII. illi, quos Ægidio Hunnio, ejuſque Gregalibus propoſitos à P. Tannero fuiſſe, dixi in Parall. pag. 14. Certè non poterit in judicio DEI damnari hæreſis Ariana, Neſtoriana, Sacramentaria, Arminiana, Sociniana &c. ſi in eodem abſolvenda ſit Lutherana. Sunt enim illorum priorum errores, ſolo naturæ lumine ſpectato, probabiliſſimi; improbabiliſſimæ autem & penitùs incredibiles, ſive lumen naturale, ſive Fidei ſpectetur, iſtæ aſſertiones: 1. Chriſtus ſecundùm Humanitatem eſt ubique. 2. in S. Euchariſtiâ non eſt adorandus. 3. S. Scriptura eſt unica Regula credendorum, & omnium in Fide controverſiarum judex. 4. Sanctorum cultus eſt Idololatria. 5. Sola ſpecialis Fides juſtificat. 6. Juſtificatio formalis fit per imputationem extrinſecam. 7. Papa eſt Antichriſtus. 8. Homo tantùm agitur, non agit, ſaltem in ſupernaturalibus &c. Quodſi hîc Muſæus, & Wigandus confugiant ad ſuos Latibularios per 1000. annos ſub Papatu, præter alia abſurda in ſuperioribus excuſſa, ex hoc ipſo effugio naſcitur.

§. *Septimum* ſignum evidentis incredibilitatis & falſitatis, nempe Defectus Conſpicuitatis. Etenim vel ex hoc ſolo, quod per 1000. annos in antro Caci latitaſſe occultam profitentur, pariter convincitur illa eſſe Sathanæ ſynagoga, non Chriſti Eccleſia, quæ ut cum plurimis ſcripturæ ſententiis, S. Auguſtinus loquitur, *certum ſignum hoc habet, quòd cunctis conſpicua ejus claritas abſcondi non poſſit.* Sed hæc omnia, quæ hoc & priori capite producta ſunt, accenſet Muſæus NVGIS, *quas Reſponſo non dignatur*, vel quod verius credo, obmuteſcit ad ea, quia revera non ſuppetit idonea evaſio. Videamus nunc, quanti ponderis ſint tantopere ab eo jactata argumenta, quibus ſuam ſtabilire, Catholicam evertere Eccleſiam molitur.

CAPUT OCTAVUM.

Idem confirmatur evertendo fundamenta Muſæi.

QVinque argumenta pro ſuo errore Muſæus in 1. Tractatu, 17. 18. 24. & 25. propoſuerat, quorum ſolutionem à me datam viſus eſt jam in II. Tractatu, ſuo ſilentio ratifica-

tificare. Nunc igitur p. 1. diſp. IV. n. 19. 24. & 27. tribus aliis evincere conatur intentum. *Primum* deſumit ex quidditate Eccleſiæ. *Eſt enim hac ſpirituale & gratiæ regnum, cujus quidditas conſiſtit in juſtitia, pace, & gaudio per ſpiritum S. Rom. XIV. 17. quibus qui deſtituuntur, illi non poſſunt ad illud, ut propriè dicta, & vera ejus membra pertinere, quòd nihil contineant, quo in eſſe ſpirituali conſtituantur; ſed ſimpliciter ſunt membra regni Diaboli, non obſtante, quod ſpe alicujus temporalis commodi fidem Catholicam profiteantur.* *RESP.* Informe hoc argumentum (ſic enim verbatim ipſe propoſuit) ſimplici inficiatione ſecundum omnes ſuas propoſitiones refellitur. Falſum eſt, quod, non Apoſtolus l. c. ſed Muſæus dicit, *Eccleſiæ quidditatem* in juſtitiâ, pace, & gaudio conſiſtere formaliter, licet veriſſimum ſit, finaliter in iis conſiſtere, hoc eſt, ideo vocari homines ad Eccleſiam Chriſti, ut finem hunc acquirant. Sicut ergo c. 2. dixi, finem Reip. eſſe felicitatem temporalem, & militiæ victoriam ac pacem; abſurde autem hinc inferretur, cives non eſſe aut milites, qui fines iſtos vel non aſſequantur, vel intendant; ita & hîc. Res tota liquidò expedita manet ex dictis cap. 2. Nego proinde ſimpliciter, Apoſtolum l. c. loqui de Eccleſiâ militante, etſi non negem, poſſe illi accommodari aliquo modo, ut nobis nihil obſit. Optimè ſtat abſoluta negatio prioris, cum gratuita conceſſione poſterioris. Porrò quæcunque deinceps Muſæus verbosè inculcat de oppoſitione eſſentiali Filiorum, Civium, Membrorum DEI, cum Filiis, Civibus, Membris Diaboli, tantùm vera ſunt de regno Chriſti *finaliter*, non autem *formaliter* ſpectato. Quod S. Auguſtinus lib. 1. de Bapt. & Eccl. militante c. 15. etiam in ipſis locis à Muſæo citatis, non obſcurè oſtendit, ut mirum ſit, eum pro ſuo errore à Muſæo allegari, qui illius verba, à me in Parall. pag. 19. recitata, ſuaviter diſſimulavit, quantumvis ego mox ſubdiderim. Quibus S. Auguſtini verbis funditus ſubruitur omne commentum inviſibilis Eccleſiæ, ex ſolis ſanctis, qui ſpiritu DEI aguntur, conflatæ. Iuvat hîc integra illa S. Auguſtini verba reponere. Sic ait ille: *Eccleſia omnes per Baptiſmum parit, ſive apud ſe ex utero ſuo, ſive extra ſe ex ſemine viri ſui--- Quotcunque tempore tales homines naſcantur, ſi adhuc carnaliter ſapiant, & carnalia de Deo ſperent, animales ſunt. Eccleſia verò, quæ eſt populus DEI, etiam in iſtius vitæ peregrinatione antiqua res eſt, in aliis hominibus habens animalem portionem, in aliis autem ſpiritualem. Ad animales pertinet vetus Teſtamentum, ad ſpirituales novum: ſed primis temporibus utrumque occultum fuit. Poſtquam Dominus in carne venit, revelatum eſt novum, veteris autem Sacramenta ceſſarunt, concupiſcentiæ tales non ceſſarunt. In illis enim ſunt, quos Apoſt. 1. Cor. 2. ait* non poſſe percipere ea, quæ ſunt Spiritûs DEI. *Sicut enim in Sacram. veteris Teſtamenti vivebant quidem ſpirituales, ad novum Teſtamentum pertinentes: ita nunc in novo vivunt plerique animales, qui ſi nolint proficere, ad vetus teſtamentum pertinebunt. Si verò proficiant, & priuſquam ſpirituales fiant, ex hac vita rapiantur, cuſtoditi per Sacramenti Sanctitatem in terra viventium computabuntur.* Ita S. Auguſtinus, è diametro oppoſitus Muſæo. Hic enim non modò à triumphante, ſed etiam à militante excludit omnes, qui non ſunt ſpirituales, id eſt, qui non ſpiritu DEI aguntur, & qui quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. S. Auguſtinus animales, dummodò proficere conentur, ſi antequam ſpirituales fiant, ex hac vitâ rapiantur, ponit etiam in terrâ viventium ſive in Eccleſiâ triumphante. Et hic eſt ſine dubio ſenſus omnium ante Lutherum certiſſimus. Vnde videtur Muſæus laborare valdè craſ-

Digitized by Google

tâ ignorantiâ iſtarum locutionum [*Diligere Deum ſuper omnia ex motivo charitatis, Spiritu DEI agi, non quærere quæ ſua ſunt, ſed quæ JESU Chriſti* &c.] Hæc & ſimilia certè non præſtantur per ſimplices complacentias, quod etiam carnalibus & animalibus, à criminum cæno emergentibus, non ita difficile eſt; ſed tantùm per actus efficaces tam elicitos quàm imperatos à charitate. Hæc autem eſt tam *rara avis* in cœtu Lutheranorum, *albòque ſimillima corvo*, ut ipſe, qui per 22. annos cum Lutheranis vixi, tantùm non jurare auſim, me neminem unum, qui cum iis perſeveraverit, vidiſſe, de quo vel probabiliter judicare potuerim, eum eſſe Spiritualem, *Spiritu DEI agi, quærere quæ JESU Chriſti, non autem quæ ſua ſunt.* Vide ſuprà c. 2. prope finem.

Ex dictis hactenus evaneſcit etiam *Secundum* Muſæi argumentum, quod ex Rom. VIII. 9. *Si qui Spiritum Chriſti non habent, illi non ſunt vera & propriè dicta membra corporis myſtici ipſius, ſive Eccleſiæ. Sed tales ſunt non Sancti. Ergo.* Majorem eſſe falſam patet ex dd. Vide Parall. p. 23.

Similiter & *Tertium* argumentum quod ex 1. Cor. V. 11. ſic format, *Quorum conſortium fideles vitare debent, illi non ſunt propriè dicta Eccleſiæ membra. Atqui malorum* (id eſt omnium non Sanctorum) *conſortium vitare jubemur. Ergo.* Minor univerſaliter accepta eſt nimis falſa; ſolùm enim ob graviora crimina excommunicatos vitare jubemur, non certè ob verba otioſa, mendacia jocoſa, furtum unius pomi &c. cum plenâ advertentiâ, contra dictamen conſcientiæ admiſſa, de die etiam ſeptuagies ſepties. Vide Parall. p. 24. Ad rem iterum nil facit, ſed ad multas paginas implendas, quæ deinceps Muſæus à num. 31. 32. 33. de mente S. Auguſtini, & n. 34. uſque ad 47. contra diverſum modum, quo conſtituuntur Eccleſiæ membra, à Bellarmino allatum diſputat.

Et hæc quidem ſunt fundamenta, quibus nititur illa Sanctorum Utopicorum Congregatio. Alias machinas adhibet in Diſp. 1. à num. 30. quibus probare nititur, *fidem quâ conſtituuntur membra Eccleſiæ, non eſſe quæ in impiis datur ſine gratiâ & charitate.* Hanc ſuam theſin ut contra Pontificios adſtruat, facit (ut ipſe vocat num. 48.) *diverticulum bene longum*, ventilando per 13. pag. controverſiam purè Scholaſticam: *An ſupernaturalitas actuum & habituum infuſorum petatur ab objectis formalibus, & non à principiis effectivis?* In cujus parte affirmante num. 46. gloriatur ſe habere ὁμόψηφον Georgium de Rhodes. Sed quid tum? & ego facilè huic parti, uti communiori, ita probabiliori accedo. Quid porrò hoc ad noſtram litem cum Lutheranis? in quâ omnes ad unum Catholici, ut certum de fide aſſerimus, fidem quæ eſt initium ſalutis, & quâ in foro interno, & coram DEO conſtituuntur membra Eccleſiæ, eſſe in ſubſtantiâ ſupernaturalem. Hujus ergo oppoſitum, declinatâ verboſitate & diverticulo, videamus ut probet. Num. 48. ſic infit: *Fides illa, quâ in Chriſti corpore myſtico uniuntur membra cum capite, & in eſſe membrorum illius conſtituuntur, trahit originem à capite Chriſto, ejúſque Spiritu, & dependet ab eo in fieri & eſſe. Fides, quæ juxta Pontificios cadit in peccatores, ſine gratiâ & charitate, non trahit originem à capite Chriſto, ejúſque Spiritu, nec dependet ab eo in eſſe & fieri. Ergo fides, quæ juxta Pontificios cadit in peccatores, ſine gratiâ & charitate, non eſt fides illa, quâ in Chriſti corpore myſtico membra uniuntur cum capite, & in eſſe membrorum illius conſtituuntur.* RESP. Conceſſâ Majore, nego Minorem, quam ait conſtare ex illo ſuo *diverticulo* 13.

Digitized by Google

pugnarum, quo *prolixè & operosè oſtenderit ad fidem, quam Pontificii contendunt ſine gratiâ & charitate in peccatoribus dari, per ſe & intrinſecè, nihil requiri, niſi purè naturale. Nam* inquit n. 31 diſp. 1. *Conſiſtit ex mente illorum in aſſenſu credendorum, quem intellectus ex pravio judicio credibilitatis evidenti, ad imperium voluntatis elicit. ad quem proinde non niſi duo requiſita per ſe neceſſaria dici poſſunt. 1. innixum credibilitatis ſignis judicium evidens. 2. Actus voluntatis ex pravio intellectus judicio evidenti elicitus, quo intellectus ad actum credendi eliciendum determinatur. quâ de re vide Valentiam, Suarez &c. Quæ fides tota naturalis eſt ita ut per ſe nullam à Chriſto capite dependentiam importet.* RESP. Hoc totum à me ex inſtituto everſum eſt in 2. parte Ante-Muſæi. qu. III. & IV. Vbi probatum eſt non tantùm ipſum actum credendi, & voluntatem credendi, & judicium credibilitatis, ſed etiam ipſas apprehenſiones, per ſe requiſitas ad aſſenſum fidei, eſſe in ſubſtantiâ ſupernaturales, ſolutis Muſæi objectionibus, quibus tunc nobis omnibus Pelagianiſmum imponebat. Mirum eſt, hominem ea omnia hic in primâ ſuâ Diſputatione diſſimulare, cùm vel maximè id res inter me & illum controverſa poſtulabat. Sed de hoc ſpecialiter in ſeq. Trophæo agendum, ubi oſtendetur ſupernaturalitas Fidei Catholicæ, & vice verſâ objectum formale fidei Lutheranæ juxta Muſæum non tantùm non eſſe divinum & ſupernaturale, ſed etiam revera eſſe ita purè naturale, ut tamen ex orco natum, ſit omnis hæreticæ contumaciæ anima & baſis, in quâ ultimatè Spiritus vertiginis cujusque fundatur.

Secundò ex IV. Eph. v. 16. ſic arguit num. 56. *Qui Chriſto capiti uniti per fidem veram, ejúſque vera membra ſunt, illi capiunt incrementum Chriſti corpori conveniens per charitatem. Sed peccatores, in quibus eſt fides ſine gratia & charitate, non capiunt incrementum, Chriſti corpori myſtico conveniens per charitatem, &c. Ergo peccatores, in quibus eſt fides ſine gratiâ & charitate, non ſunt uniti Chriſto per fidem veram, nec vera ejus membra ſunt.* Major fundatur in verbis Pauli. *Si qua enim eſſent vera membra corporis myſtici Chriſti, quæ non caperent incrementum corpori ejus conveniens per charitatem, tum non totum corpus, ſed tantùm aliqua ejus partes caperent incrementum per charitatem. quod è diametro repugnat Paulo.* Simile argumentum ducit ex Ephel. II. ℣. 20. *Quicunque ſunt membra Eccleſiæ vera, illi ſunt in Chriſto ita congruenter coagmentati in unum ſpirituale ædificium, ut ſint templum ſanctum Domino. Sed qui nudo credendorum aſſenſu ſine gratia & charitate pollent, non ſunt ita in Chriſto congruenter coagmentati, ut ſint templum ſanctum Domino. Ergo qui nudo credendorum aſſenſu ſine gratia & charitate pollent, non ſunt membra Eccleſiæ vera.* RESP. In utroque argumento Major propoſitio falſa eſt univerſaliter accepta, ut recens nati & baptizati, quique ante uſum rationis moriuntur, maniſeſtè evincunt. Hos enim maximam partem ſuæ Eccleſiæ Latibulariæ communiter Lutherani docent, nec inficiatur Muſæus: & tamen certum eſt, tales, omnibus illis infantiæ annis, non *capere incrementum in charitate.* Dicendum proinde non loqui Apoſtolum de membris Eccleſiæ *formaliter*, ſed *finaliter* acceptis: hoc videl. ſenſu, *ut ſinguli*, juxta menſuram gratiæ à Chriſto capite ſibi conceſſæ, incrementum capiant *in charitate.* Pro quo bene notat Cornel. à Lapide in eum locum, Eccleſiam eſſe quaſi hominem politicum, ſuámque habere animam & corpus. Corpus ſunt ipſi fideles, qui ſenſibiliter exteriùs Chriſti fidem profitentur,

tentur, quique ſub eodem capite Chriſti Vicario communicant in iiſdem Sacramentis, Sacrificio, Doctrinâ, Regimine, & Politiâ. Hæc enim eſt exterior forma corporis Eccleſiæ, prout & reſpublica viſibilis. Anima hujus corporis Eccleſiaſtici eſt fides, ita ut quicunque credunt, vivant animâ Eccleſiæ. Eſt autem in eâdem Eccleſiâ anima adhuc nobilior, ſcilicet Charitas. Sicut enim Embryo vivit priùs animâ vegetante, & ſenſitivâ, quàm vivat animâ rationali; ita fidelis per fidem priùs vivit veréque & vivens pars Eccleſiæ, etiamſi needum habeat charitatem. Et de hâc ſecundâ formâ loquitur hîc, & alibi Apoſtolus, ut ſolos ſanctos charitate præditos, vocet corpus & Eccleſiam Chriſti; non quaſi fideles, qui in peccato ſunt, inde velit excludere, ſed quòd ſancti, qui charitate pollent, ſint nobiliſſima membra & Corpus Chriſti, perfectiſſimámque Eccleſiæ formam & animam habeant: alii autem fideles, vitâ gratiæ carentes, ſint quidem membra Chriſti, ſed imperfectiora, utpote quæ vivant tantùm animâ Fidei. Sicut ergo in homine alia membra exercent tantùm munus animæ ſentientis, unicum verò caput exercet officium animæ rationalis, ut meritò ſolum caput dici poſſit corpus animæ rationalis, quià rationalis eſt, & ratione utitur: ita fideles in peccato mortali hærentes, exercent officia fidei, ſuntque membra Eccleſiæ, quæ nihil aliud eſt, quàm convocatio & cœtus fidelium: ſoli tamen ſancti exercent officia charitatis, quæ eſt quaſi anima rationalis & perfectiſſima Chriſti vita & Eccleſiæ. Et inde hi ſoli dicuntur à Paulo eſſe corpus (id eſt Eccleſia Chriſti) intellige nobiliſſimum. Vnde etiam tanquam à nobiliori parte Eccleſia denominatur *SANCTA.* Hanc P. Cornelii obſervationem oppoſuit quidem ſibi etiam Muſæus, ſed valdè truncatè. Vnde viſum eſt eam integrè recitare, quia rem optimè declarat: nec eam enervat Muſæus per ſuum illud: *πᾶν σῶμα TOTVM CORPVS*; id enim apertè inſtatur in infantibus baptizatis, ante uſum rationis decedentibus.

Quæ deinceps à num. 61. ad 72. de neceſſitate fidei ſpecialis diſſerit, expedita manent ex iis, quæ ſuprà cap. V. contra eandem ut chimæricam contorſimus. Nec quicquam horum luxatur per ea, quæ Muſæus vel hic, vel in Diſp: III. de converſione peccatorum c. 2. à num. 105. uſque ad finem verboſiſſimè & accommodatiſſimè ad rem per ſe claram, tot offuciis obtenebrandam diſſeruit. Quod ipſe eodem tract. infrà de Analyſi fidei Pontificiorum falsò, nos verè de ſuâ illâ Fiduciâ pronunciamus; eam ſcil. *tot argutiarum & ſtropharum involucro* à Muſæo reddi obſcuram & perplexam, *ut vix* (ac ne vix quidem) *etiam ab eruditis intelligi queat.* Certè Theologica virtus non eſt, cùm juxta Ipſum Spes non ſit, multò minùs Charitas, aut nuda apprehenſio, aut aſſenſus Fidei. Videamus tandem argumenta, quibus Muſæus à num. 73. uſque ad finem primæ diſputationis probatum ivit, Fidem in Chriſtum ſine ſanctitate inhærente, hoc eſt, ſine charitate & virtutibus Chriſtianis, eſſe non poſſe.

Primò ſic arguit: *Fides dependet à Spiritu S. tam in fieri, quàm in eſſe. Ergo non eſt in peccatoribus, qui gratiâ & charitate deſtituuntur. Ergo in quibuscunque eſt, ſemper cum charitate inhærente conjuncta eſt. Ratio prima conſequentiæ eſt, quia peccatores hoc ipſo, quòd peccatores ſunt, propellunt à ſe Spiritum Sanctum, per peccata & obſtinatam voluntatis malitiam, ejúſque gratiæ fidem in ipſis accenſuræ obicem ponunt, qui proinde nec fidei nec*

aliorum

aliorum ſupernaturalium, & in fieri & in eſſe à Spiritu S. dependentium effectuum participes reddantur. Sublatâ enim vel impeditâ cauſâ effectum tolli vel impediri notius eſt, quàm ut hic ipſum probari debeat. Deinde antecedens fusè, & (quia minimè negamus) ſuperfluè probat. RESP. Negando ſequelam, quæ ſi efficax foret, probaret pariter, nulli peccatori conferri ulla gratiæ auxilia vocantia, excitantia, adjuvantia, & cooperantia ad voluntariam converſionem à ſtatu peccati ad juſtitiam, cùm tamen manifeſtum ſit, vel exemplo Pauli ex Saulo perſecutore in Apoſtolum mutati, ſæpe veriſſimum eſſe, quod ipſe poſtea ſcripſit Rom. V. *Vbi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* Non ergo negamus peccatorem voluntariè ſe reddere indignum donis ſupernaturalibus. Sed congruit planè divinæ miſericordiæ, ut etiam homini peccanti (ſubinde ex malitiâ, non rarò etiam ex fragilitate) relinquat ſemen & principium reparandæ vitæ Spiritualis, quatenus ſcil. fides divina eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis.

Secundum argumentum deſumit *ex habitudine objecti fidei ad facultates animæ, ad intellectum & voluntatem, & facultatum animi inter ſe. Inter objecta Fidei præcipua ſunt CHRISTVS crucifixus, & Deus per Chriſtum nobis reconciliatus &c. Atqui hæc proponit ſcriptura peccatoribus non ut in nudâ cognitione ipſorum intellectus ſiſtat, ſed ut cognita porrò voluntati exhibeantur, & repræſententur. &c. RESP.* Hæc & reliqua, quæ verboſè proſequitur, probant, valdè quidem congruum eſſe, & ex intentione Spiritûs ſancti, ut non ſolùm intellectus liberè aſſentiatur objectis illis nobiliſſimis, gratioſè revelatis, ſed etiam affectus in ea ferantur, non modò concupiſcentiæ per ſpem, ſed etiam benevolentiæ & charitatis: Hoc tamen non obſtante ſemper liberrimum manet voluntati, ut vel in ſolo aſſenſu credendorum ſiſtat, vel etiam ex creditis, moveatur ad timorem gehennæ, & ſpem beatitudinis, quin ultrà per generoſiorem abnegationem ſui, & pravarum cupiditatum, proficiat ad illum vitæ ſpiritualis gradum, quo nullo ſui commodi temporalis, vel æterni etiam habitâ ratione, ſolùm quæ IESV Chriſti ſunt quærat, & Deum ſuper omnia diligat. Quòd verò Muſæus num 58. contendit, *non obſtante voluntatis libertate, ita cohærere objecta ſupernaturalia, ut ſine his illi locum in homine non inveniant*; nullâ probabili ratione perſuadet. Quomodo enim ſequitur: Gratiâ excitans ad Fidei aſſenſum eſt efficax; ergo etiam neceſſariò ſimul eſt efficax ad excitandos Spei, & Charitatis actus? Negatur igitur ſimpliciter, quod gratis aſſumendo, principium petit. Nec ad rem facit, *quòd* (ut Cardinalis de Lugo affirmat) *connaturale ſit habitui fidei infuſa, ut ex parte voluntatis cum eo ſimul conjuncti ſint Charitatis & alii ſupernaturales habitus.* Hic quippe non eſt quæſtio de ſimultaneâ infuſione iſtorum habituum (quam nonnulli Scholaſtici, ut perpetuam & neceſſariam docent probabiliter, alii autem fortè probabiliùs negant, quod ad controverſiam fidei Catholicos inter & Hæreticos non pertinet) ſed an poſſit cum auxiliis gratiæ divinæ peccator primò velle credere, quæ ad ſalutem ſunt ſcitu neceſſaria, necdum reſolvendo ſe an velit vel ob metum Gehennæ, vel ob ſpem æternæ beatitudinis, vel etiam ex ſolo amore Dei ſuper omnia diligendi, è cæno peccatorum eluctari, & uni Deo perfectè adhærere & uniri. Denique etiam, quæ deinceps num. 80. & ſeqq. aſſumit, eâdem facilitate, quâ ipſe affirmat, negantur, cùm præſertim præter verba nihil novi roboris afferant. Quidquæſo ad rem facit, quòd

quidam

Digitized by Google

quidam celebriores Scholaſtici doceant, ſimultaneam infuſionem habituum ſupernaturalium (quod Muſæus num. 82. & ſeqq. iteratò & multis urget:) cùm alii nec pauciores nec minùs celebres oppoſitum teneant, & utraque pars tanquam de fide certiſſimum fateatur, reipſâ quotidie ſeparari illos habitus, quoties ſcil. fidelis peccat mortiferè non tamen contra Fidem & Spem. Denique ut abſolvam omnia, repeto quod in Bellarmin. vind. Tom. IV. lib. V. c. 4. §. 1. pag. 246. ſcripſi, ſemper urget illud ineluctabile argumentum: Poteſt peccator credere ſicut oportet, & ſperare remiſſionem peccatorum à Deo ſe obtenturum, ſi arduum actum illum dilectionis DEI ſuper omnia exercuerit, quem poteſt certò ſcire, ſe necdum elicuiſſe. Nec umbra repugnantiæ eſt in hâc ſeparatione reali: imò ita plerumque fit, ut magni peccatores inter fideles, primò Gehennæ metu perculſi, incipiant amore Spei & concupiſcentiæ, ac fortè etiam affectu inefficaci & ſimplici charitatis, ac non niſi poſt multam & longam ſui abnegationem, pertingant ad unionem dilectionis Dei ſupra omnia. Atqui in hoc caſu poſſibili, imò perfrequenti & quotidiano, realiter ſeparantur Fides & Spes à Charitate. Ergo optimè poſſunt exiſtere illi duo actus, quantum eſt ex ſuâ parte, juſtificativi, (ſeu ad juſtificationem diſponentes,) etſi abſit ultima diſpoſitio complens vim illarum duarum. Si Luthero-Calvinici non ſponte clauderent oculos tam liquidæ veritati, poſſent id manifeſtâ experientiâ deprehendere in ſuis cœtibus neo-Evangelicis, in quibus perpauci ſunt, (ſi tamen ulli,) in quibus appareat vel umbra illius perfectæ dilectionis Dei, *non quærentis quæ ſua ſunt*, neque in tempore neque in æternitate, ſed tantùm *quæ JESV Chriſti*: & tamen quis ex omnibus unus eſt, qui non ſibi perſuadeat, ſe illâ fide ſpecialis miſericordiæ munitum, de ſuâ ſalute ſecurum, cum magnâ dulcedine hinc emigrare, etſi metaphyſicam certitudinem habeat, ſe carni & ſanguini rebúſque ſæculi ſemper immerſum, nunquam purè DEUM amaſſe ſuper omnia, & absque ſui commodi ſive temporalis ſive æterni reſpectu. Auſim ego hîc conteſtari ipſam conſcientiam Muſæi, & aliorum Lutheranorum, an non ita ferat quotidiana praxis inter ipſos: & ſi Wigandus oppoſitum etiam cum 1000. juramentis aſſerere auderet, conſuetis id ejus mendaciis & perjuriis meritò accenſeretur.

CAPUT NONUM.

Extra unam, veram, propriè dictam, viſibilem Eccleſiam Catholicam, nullam dari ſalutem oſtenditur contra Muſæum.

QVod in Proœmio ex anonymo Doctore retuli de nimiâ diffuſione & verboſitate Muſæi, præcipuè in hâc, quam proponimus, quæſtione locum habet. Cùm enim in cæteris facilè pleroſque alios faſtidioſâ ſuâ prolixitate ſuperet, hîc jam ſuperat ſeipſum: Vt enim contra SS. Cyprianum, Auguſtinum & Catholicos omnes pertendat, *extra Eccleſiam Catholicam etiam dari ſalutem*, per pluſquam quinquaginta quaterniones hæc ordine paradoxa ſtabilire ſatagit:

Digitized by Google

I. Cœtus in ſubſtantialibus corrupti, non ſunt omnino falſa, ſed aliquo modo vera Eccleſia Chriſti.

II. Eccleſia impura poteſt eſſe Fidelium mater.

III. Lutherani Fideles per 1000, annos ſub Papâ AntiChriſto ſine Hypocriſi latere potuerunt.

IV. Verbi divini vis & efficacia (*dicere debebat infallibilitas, & certitudo*) non pendet à propoſitione, & proponentis miſſione legitima.

V. Ad fidem generandam ſufficit, à quocunque proponatur.

VI. SS. Cyprianus, Auguſtinus, Hieronymus, &c. cum Pontificiis nimium coarctant Eccleſiam, cùm in Hæreticorum cœtibus ſalutem dari negant.

QVid porrò nos ad vaſtam hanc diſputationum molem? Ejus veſtigia premere nec libet, nec opus eſt. Præſtat compendi-facere laborem. Hoc autem opportunè fier, ſi SS. Patrum & communem Catholicorum doctrinam (*nimirum, quòd extra Eccleſiam Catholicam viſibilem, in cœtibus Hæreticorum & Schiſmaticorum nulla detur ſalus*) vindicemus ab eo, quem Muſæus & olim & jam p. 2. Diſp. II. num. 46. contorſit, feroculo, ſed imbelli Ariete; ac deinceps ex hoc certiſſimo & perpetuo Catholicorum dogmate inferamus oppoſita illis ſex Paradoxis Muſæanis corollaria. Sic ergo habet Muſæus (noctua Lutherana) Aquilam Eccleſiæ illuminaturus. *Extra quam Eccleſiam reperiuntur cœtus alii, in quibus datur ſalus, illa non eſt Catholica Chriſti Eccleſia, eo quidem ſenſu, quo Catholica dicitur in oppoſitione ad particulares Eccleſias, & idem eſt quod Eccleſia univerſalis. Sed extra Eccleſias, quæ tempore Patrum Catholicam fidem profitebantur integram & incorruptam, & Charitatis ac Pacis vinculo erant conjunctæ, reperti ſunt olim, & extra eam, quæ à Pontificiis hodie pro Catholica venditatur, reperiuntur adhuc alii cœtus, in quibus detur ſalus. Ergo Eccleſiæ illæ non ſunt Catholica Chriſti Eccleſia, eo quidem ſenſu, quo Catholica dicitur in oppoſitione ad particulares. Major eſt ita evidens, ut à partibus diſſidentibus in dubium vocari non poſſit. Minor probatur. Extra quam* Eccleſiam *Chriſti Baptiſmus in ſuis eſſentialibus viget, extra illam datur ſalus. Atqui extra* Eccleſias *numeratas viget Chriſti Baptiſmus in ſuis ſubſtantialibus, & docetur verbum Dei.* Ergo extra Eccleſias *enumeratas datur ſalus. Major patet. Quia Baptiſmus & Verbum Dei ſunt duo media, per quæ Deus in hominibus ſalutem operatur. Minorem confirmat ipſa experientia, inprimis quoad Baptiſmum: Deinde verbum Dei docebatur & docetur in omnibus*

omnibus illis cœtibus Novatianorum, Donatiſtarum, Eutychianorum, Neſtorianorum, & cæteris per orientem Eccleſiis, ut & in occidente & ſeptentrione, in Auguſtanâ Confeſſione, & reformatis Eccleſiis. Arieti huic convellendo reſpondi in Parall. qu. 17. §. 2. in Majore magnam latere ambiguitatem, quoad Cætus alios extra Catholicam Eccleſiam, qui reſpectu conferendæ ſalutis ſpectari poſſint, vel formaliter, vel merè materialiter &c. Muſæus verò hîc num. 50. contendit, & ſuam Majorem expertem eſſe omnis ambiguitatis, & in Minori illos cætus alios prorſus *imperitè & ridiculè diſtingui*, ut in ſpectatos vel formaliter vel materialiter. Verùm ut non occæcati, aut ſtupidi videant perſpicuè, meâ reſponſione planè elidi ridiculum ejus arietem, variemus tantùm phraſin, reipsâ eadem vi manente, & Majorem ſic proponamus: (Et primò quidem de Baptiſmo tantùm: de verbo Dei poſteà ſeparatim agemus) Extra quos Chriſtianorum cætus reperiuntur alii homines, in quibus, ſive per quos datur ſalus, illi non ſunt omnes Chriſtiani, ſive non ſunt univerſa Chriſti congregatio. Hæc Major revera coincidit cum Muſæanâ Majore, ſervatâ ſcil. proportione inter Catholicam Eccleſiam, & Hæreticorum cœtus, ex unâ parte, ex alterâ parte inter cœtus omnium Chriſtiano nomine gloriantium, & cœtus Iudæorum ac Gentilium. Eam autem eſſe falſiſſimam, ſtatim patet, ſi ſubſumatur: Sed extra omnes Congregationes Chriſtianorum datur, aut poteſt dari per Iudæos, Turcas, Paganos &c. Baptiſmus, & conſequenter ſalus. Ergo extra omnes cœtus Chriſtianorum, datur Congregatio Chriſtianorum. Hæc concluſio eſt apertè falſa & abſurda. Minor eſt evidenter vera. Quis enim negat, poſſe Iudæum, vel Turcam diſcere, quæ ſit materia & forma baptiſmi, ac velle facere id, quod ſolent Chriſtiani facere baptizando? Quid igitur ſupereſt, niſi ut dicatur vitium latere originaliter in Majore? Sic ergo reformari debet Aries, ut Muſæanam inferat concluſionem. Extra quam Eccleſiam dantur cœtus alii, in quibus & per quos (ſpectatos formaliter ut alii ſunt) per ſe, ordinariè, & ex inſtitutione Chriſti datur Baptiſmus & conſequenter ſalus; illa non eſt Catholica Eccleſia. Sed extra Eccleſiam Rom. Catholicam dantur cœtus (Lutheranorum, Calviniſtarum, Iudæorum, Turcarum) in quibus poteſt dari per ſe, ordinariè, & ex inſtitutione Chriſti Baptiſmus, & conſequenter ſalus. Ergo Eccleſia Rom. Pontifici adhærens non eſt Catholica Eccleſia, extra quam non datur ſalus. Sic autem manifeſtè falſa eſt Minor, & conſequenter ipſa etiam concluſio. Quis enim etiam γνησίως Lutheranorum dixerit, Calviniſtas per ſe, & ex inſtitutione Chriſti, eſſe miniſtros Baptiſmi potiùs, quàm Iudæos vel Turcas? Denique obſervandum in eâdem Majore, illam particulam (*cœtus alii in quibus datur ſalus*) ſummâ laborare ambiguitate. Vel enim ſenſus eſt, dari in iis cætibus (Hæreticorum, Iudæorum, Turcarum) ſalutem infantibus (aut adultis, qui alias ſine baptiſmo cogerentur decedere) ita ut taliter baptizati nihilominus pertineant ad membra Catholicæ Eccleſiæ, & ſic vera eſt Major. Vel eſt ſenſus, dari talibus mediante baptiſmo ſalutem, ita ut ſimul maneant membra ejus cœtûs Hæretici, Iudaici, Mahumetani: & ſic manifeſtè falſa eſt Major. Cum enim, ut paſſim docet S. Auguſtinus, etiam à Muſæo allegatus num. 57. Baptiſmus ſit veræ Catholicæ Eccleſiæ; cuicunque is extra Catholicam communionem à quocunque fructuosè confertur, efficit membrum veræ Catholicæ Eccleſiæ. Cuicunque autem datur Baptiſmus, ita ut is cui datur, nolit (ſive formaliter ſive virtualiter) membrum fieri Eccleſiæ Catholicæ,

ſed manere membrum Hæreticæ, Schiſmaticæ &c. Congregationis, certiſſimum eſt non conferre ſalutem, ſed perditionem. Hoc ipſum cùm S. Auguſtinus docuiſſet clariſſimè verbis à Muſæo num. 61. recitatis ſcil. [*Itaque eſt una Catholica Eccleſia, quæ ſola catholica nominatur, & quidquid ſuum habet in communionibus diverſorum à ſuâ unitate ſeparatis, per hoc quod ſuum in eis habet, ipſa utique generat, non illæ. Neque enim ſeparatio eorum generat, ſed quod ſecum de iſtâ tenuerunt. Quod ſi & hoc dimittant, omnino non generant.*) Non erubuit is tamen commentarium illis adhibere quodlibeticum, ut extorqueat, quod ejus menti apertiſſimè eſt contrarium. Non negat enim, nec negare poteſt Muſæus, S. Auguſtini certiſſimam eſſe ſententiam, extra Catholicam in nullo Schiſmaticorum, vel Hæreticorum cœtu eſſe Eccleſiam veram & ſalutem, & in hoc ipſe Muſæus ex profeſſo refutare Auguſtinum conatur; & tamen idem ex hujus verbis, in quodlibeticam cataſtam actis, extorquere ſatagit oppoſitam doctrinam, quod ſcil. (ut num. 60. infert) *non planè extra Catholicam Eccleſiam regenerentur, qui per Eccleſiæ Sacramentum apud Schiſmaticos, vel Hæreticos regenerantur. Repugnat enim inquit quempiam regenerari ſimpliciter extra Catholicam Eccleſiam, & tamen ab ipſâ Catholicâ Eccleſiâ regenerari per id, quod ipſa ſuum ibi habet, ubi regeneratio peragitur. Quod enim ea ibi habet tanquam ſuum, id hoc ipſo habet ibi, ut ad ſui conſtitutionem pertinens. Quod autem peragitur ibi, ubi Eccleſia Catholica habet aliquam ſui partem, id non peragitur planè extra ipſam.* Sic Muſæus, cujus verba ſi nihil aliud vellent, quàm infantes in & ab Hæreticis cœtibus accipientes Baptiſmum eſſe partem Eccleſiæ Catholicæ, nihil a vero & à Catholico dogmate alienum pronunciaret. At quod ex collatione Baptiſmi infantibus factâ per Miniſtros cœtuum Hæreticorum ipſe infert, illos conferentes Baptiſmum eſſe partem Eccleſiæ Catholicæ, non modò S. Auguſtino aperte repugnat, ſed etiam in duabus illis ultimis propoſitionibus manifeſtè falſum, imò abſurdum enunciat, ut palàm conſtabit, ſi ponamus exempli gratia Muſæi pecudem detineri ab abigeo in ſuo ſtabulo, ibique generare pullum: quis ſani cerebri ideo dixerit; non planè extra Muſæi domum eſſe genitum pullum, qui per Muſæi pecudem apud furem genitus eſt? Repugnat enim pullum generari ſimpliciter extra Muſæi domum, & tamen ab ipsâ generari per id, quod ipſe ſuum ibi habet, ubi generatio peragitur. Quod enim Muſæi domus ibi habet tanquam ſuum, id hoc ipſo habet ibi, tanquam ad ſui conſtitutionem pertinens. Quod autem peragitur ibi, ubi Muſæi domus habet aliquam ſui partem, id non peragitur planè extra ipſam. Nónne hæc abſurda ſatis? At eſt utrobique, ſi formaliter ſpectetur, quod agitur, par omnino ratio. Sunt Hæreticorum cœtus *fures & latrones*, ut expreſſe affirmat S. Irenæus, imò Chriſtus Joan. 10. Apud hos fures detinetur Eccleſiæ Baptiſmus, cujus collatione regeneratur Chriſto infans, ad Eccleſiam Catholicam jure pertinens, non minùs quam pullus ex pecude furtivâ genitus apud furem. Det gloriam DEO Muſæus, fateatúrque ingenuè, auſitne affirmare, vetus teſtamentum, quod Chriſtiana Eccleſia tanquam ſuum habet apud Iudæos, hoc ipſo habere ibi, ut partem ad ſui conſtitutionem pertinentem? Piget in re tam perſpicuâ diutiùs hærere, in quâ pertractandâ tamen Muſæus ſupra 12. quaterniones inſumpſit, & diſp. 3. n. 68. expoſtulat, *quòd nobis ſua prolixitas, & inde nata perſpicuitas tædio ſit. Neque enim* inquit *veritatis lucem, ut ſolis noctua, ferre poſſunt homines, qui erroribus incruſtandis & veritati obſcurandæ ſe ſemel manciparunt.* Verùm

ex pro-

ex prolixitate vel brevitate per ſe nemo peritus & prudens judicium feret de veritate, aut falſitate doctrinæ ; cùm veriſſimum ſit illud, quod initio hujus opuſculi ex S. Auguſtino præfixi : *Facile eſt cuiquam videri reſpondiſſe, qui tacere noluerit; aut quid eſt loquacius vanitate ? quæ non ideo poteſt, quod veritas, quia ſi voluerit, etiam poteſt plùs clamare, quàm veritas.* Quæ ſententia, ſi in ullum, certè in Muſæum quadrat, qui jam binis tractatibus 106 quaterniones implevit loco Commentarii, quo unicum articulum ſymboli expoſuit, quid nomine *Eccleſia* intelligatur ? qui tamen eſt creditu neceſſarius, & creditu neceſſaria omnibus ſunt ſolis radiis clariùs in ſymbolo & Bibliis expoſita. Qui hæc poteſt capere, capiat ; legátque, cui vacaverit libueritque, totum opus Muſæi, ac noſtra cum eo conferat, poſteáque ſine paſſione judicet ; an non optimè S. Auguſtinus & nos cum illo veræ Catholicæ Chriſti Eccleſiæ cauſam agamus, cùm nullam extra ejus communionem dari ſalutem aſſerimus ; Muſæum verò cauſam agere non Lutheranorum modò, ſed omnium omnino Hæreticorum, qui Baptiſmum quidem ſervant, ſed verbis S. Scripturæ idola ſuorum phantaſmatum obvelant ? Et quæ hactenus dixi, intelligi velim de ſolo Baptiſmo inter Hæreticos & Mahumetanos collato infantibus, vel adultis in extremo ſalutis periculo aliàs conſtitutis. Quæ quidem res quoad infantes, non debet haberi pro caſu valdè raro, & quaſi metaphyſico, cùm conſtet ex Augerii BusbeckI Epiſtolis Turcicis, non rarò ſolere matres Turcicas ſuis prolibus impetrare Baptiſmum Chriſtianum, perſuaſas, illo non rarò etiam corporibus ſalutem reſtitui ; eadémque de causâ M. Navarrus in Conſil. excuſat Sacerdotes, qui compulſi à Turcis, inter quos ad S. Chriſti ſepulchrum habitant, eorum prolibus Baptiſmum impertiuntur. Iam ſeorſim agemus de prædicatione verbi divini in cœtibus Hæreticorum ſubſtantialiter corruptâ ; circa quam etſi in Parall. Quæſt. 11. §. 5. & 7. viſus ſim liberaliter admittere, dari poſſe invincibilem & inculpatam ignorantiam articulorum de verâ Eccleſiâ, & cæteris neceſſariis à quolibet adulto credendis; (quòd quidem ſub opinione eſt inter Catholicos, cùm utraque pars probabiliter ſuſtineatur à variis) nunc tamen, quia video Muſæum ſuper hâc baſi ſuperſtruere tot ſuos errores, relicto eo, quod olim dixi de caſu extraordinario, pronuncio nunc & aſſero, In cœtibus Hæreticorum, de lege ordinariâ non dari in homine ad ſufficientem ætatem, & prudentiam provecto, ignorantiam inculpatam & inſuperabilem. Sicut enim cum omnibus Catholicis contra Lutherum, Calvinum, Bajum, Janſenium, eorúmque aſſeclas certum habemus, admittendam eſſe ignorantiam inculpatam & invincibilem, non tantùm de quæſtionibus facti, ſed etiam in pluribus quæſtionibus juris naturalis & divini : ita viciſſim in iis, quæ requiruntur neceſſitate medii ad ſalutem, æquè certum debet eſſe, neminem excuſari ob ignorantiam inſuperabilem, vel potiùs, nullam dari horum mediorum ignorantiam innoxiam, ita ut eorum notitia debeat haberi, vel in re, vel ſaltem in voto. Idque, niſi fallor, admittent omnes illi Lutherani etiam, qui cum G. Calixto neceſſitatem articulorum Symboli ſtatuunt. Ille enim Tract. 1. quem meis vindiciis oppoſuit, expreſsè docuit num. 62. & 66 *omnes ſymboli articulos neceſſitate medii & præcepti credendos*, & num. 71. eandem doctrinam etiam S. Thomæ ſuffragio roborare voluit. Proinde, ſic quaſi ad hominem arguendo pronuncio, poſt promulgatum Chriſti evangelium, de lege ordinariâ, & ſecluſo privilegio, neminem ſalvari Eccleſiæ Catholi-

Digitized by Google

tholicæ non incorporatum, juxta illud , Non habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem. Dixi, *de lege DEI ordinaria & ſecluſo privilegio* &c. Non enim auſim negare, quòd plurimi Recentiores ut probabile docent, in caſu (rarò quidem, ſed non impoſſibili) quo inter Mahumetanos v.g. vel Idololatrās quis viſo miraculo à Chriſtiano inſtrueretur, & antequam de myſterio Incarnationis, & ſequentibus articulis plenè edoctus eſſet, raperetur à Tyranno ad mortem in odium fidei, quam diſcere intendebat : talem ſi cum eâ fide (necdum explicitâ de myſterio Incarnationis, & merito Chriſti) conjunxerit actum ſpei & dilectionis DEI, & ſic deceſſerit, è numero ſalvandorum non excluſum iri. Hoc igitur eventu, itémque gratiâ extraordinariâ ac quaſi - privilegiata ſecluſis, Probo Aſſertionem. I. Quia poſt promulgatum in orbe Chriſti Evangelium, qui non crediderit in Chriſtum, & in nomine SS. Trinitatis baptizatus fuerit, condemnabitur. Ergo etiam damnabitur, qui non conjunxerit ſe Eccleſiæ : Ergo nemo per ejus ignorantiam excuſatur. Sequela prior probatur. Quia nemo poteſt prudenter credere ſuper omnia & fide divinâ, articulos naturaliter impoſſibiles, & incredibiles, niſi proponantur cum auctoritate infallibili. At talis auctoritas nullibi eſt, niſi in Catholicâ Eccleſia, de qua ideo Chriſtus dixit, *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Major probatur. Quia omnis aſſenſus verus & certus, vel habetur ex evidentia objecti, (quod in fide nullum habet locum,) vel ex immediata revelatione divina, (quam ſpecialiter ſibi factam Lutherani non audent ſibi arrogare) vel ſi ab aliquo auctoritatis irrefragabilis proponatur. Et quoad hoc, ſola Eccleſia Catholica, ab Apoſtolis uſque huc conſpicua perſeverans, culmen auctoritatis indefectibilis ſemper obtinuit. Probo. II. Eandem aſſertionem. Sine notitia certa mediorum neceſſariorum nemo poteſt obtinere ſalutem. Atqui extra Eccleſiam nemo poteſt habere notitiam certam mediorum neceſſariorum ad acquirendam ſalutem. Ergo extra Eccleſiam Catholicam nemo poteſt ſalvari, & conſequenter nemo citra culpam poteſt illam ignorare. Major à nemine, ut reor, negari poteſt. Minor conſtat ex dictis quæſt. VI. §. 6. Probo III. Aſſertionem. In diluvio nemo extra arcam Noë ſalvatus eſt. Ergo etiam nemo extra Eccleſiam, cui nemo adultorum, niſi præviâ ejus cognitione jungitur. Sequela patet. ex 1. Pet. 3. *Cùm fabricaretur arca, in quâ pauca, id eſt octo animæ, ſalvæ factæ ſunt per aquam ; quod & nos nunc ſimilis forma ſalvat baptiſma.* Vnde S. Cyprian. *ſi potuit evadere quiſquam qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Eccleſiam foris fuerit, evadit.* Probo IV. Quia fundavit Chriſtus Eccleſiam perpetuò duraturam, & conſpicuam omnibus, ita ut teſte. S. Auguſtino, *habeat hoc ſignum, quòd abſcondi non poſſit.* Ergo nemo per illam fidei articulos ad ſalutem neceſſarios edoceri quærens, illam invenire non poterit ; omnis enim qui quærit invenit id, quod eſt obvium, & patens omnibus. Ergo quiſquis non invenit, ſuâ culpâ non invenit, quia non cum debita diligentiâ quærit. Probo V. Quia oppoſita ſententia videtur favere errori indifferentiſtico Caſſandri, Marci Antonii de Dominis, Calixti &c. Si enim ſalus obtineri poteſt, in quālibet ſectâ, quæ Baptiſmum, & Biblia retinet, quid opus eſt ſolicitè inquirere in veram Eccleſiam, & puram ejus doctrinam ? Nonne hic locus foret illi monito, quod olim G. Dorſchæus ad Theologos Ienenſes perſcripſit. *Timendum ne ex ſilentio, & conniventiâ [illegible] Lutheranorum res tota pereat, & brevi orbis totus Germanicus miretur ſi tam cito factum*

ſtum eſſe Calixtinum. Confirmatur VI. Ex celeberrimâ illa doctrina S. Thomæ communiter receptâ de verit. qu. 14. art. 11. *Certiſſimè tenendum eſt, ſi aliquis nutritus in ſylvis ductum rationis naturalis ſequatur in appetitu boni & fugâ mali, quòd ei DEVS vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt credenda, vel aliquam fidei prædicationem ad eum dirigeret.* Quod pronunciatum planè concinit illi S. Auguſtini Ep. 49. ad Deo gratias: *Ita,* inquit, *ſalus Religionis hujus, per quam ſolam veram ſalus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.* Item Epiſt. CLXX. Eccleſiam Catholicam Nulli ignorare licet, *ideò ſecundum verbum Domini abſcondi non poteſt.* Nec aliud indicat Apoſtolus, cùm Rom. 10. poſtquàm neceſſitatem Fidei in Chriſtum ſtatuiſſet, mox ſibi objicit: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* Anne hic Apoſtolus excipit eos, qui non audierunt? Nonne hoc reſpondet: *Sed dico nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum*: & mox; *Iſaias autem dicit, Inventus ſum à non quærentibus me, palàm apparui eis, qui me non interrogabant.* Tantùm abeſt, ut Apoſtolus non audientes ullos excipiat, ut caſum potiùs neget. Invenitur quippe Chriſtus & Eccleſia ejus etiam à non quærentibus; quantò magis ab eo, ſiquis eſt, qui ductum rationis ſecutus fuerit: & ſiquis eſt, qui non audiit, culpâ ſuâ non audiit. Quomodo autem hinc non inferatur, Bona opera naturalia mereri de congruo gratiam ſupernaturalem, & juſtificationem, vide Bell. vind. Tom. IV. lib. III. c. 5. num. 3. Denique Confirmatur VII. Omnes ſi volunt, poſſunt ſalvari. At ſine verâ Eccleſia, & Religione nemo poteſt ſalvari. Ergo omnes poſſunt in verâ ſalvari. Ergo harum notitia eſt poſſibilis. Vbi ergo manet inculpata ignorantia? Ex hactenus dictis apparet DEVM omnes ſeriò quærentes ſuam ſalutem, aut per ordinariam providentiam perducturum, ad Eccleſiæ Catholicæ agnitionem, aut extra ordinem etiam per Angelum, aut privilegiatam revelationem illuminaturum, & conſequenter nullum ſupereſſe locum ignorantiæ inculpatæ inſuperabilique. Nec deſunt exempla ejuſmodi illuminationis, non modò in SS. Literis, de Cornelio, Lydiâ, Eunucho; ſed etiam in Hiſt. Eccleſ. de SS. Clemente Rom. Iuſtino, Hilario, Gregorio Thaumaturgo, &c. Nec deſunt etiam recentiora ex Hiſt. Indicis &c. ut adeò nunquam providentia divina fieri velit, ut veritatis doctrina à Magiſtris errorum diſcatur.

¶. *Dices.* Raró contingit, ut ex cœtibus Hæreticorum procul à Catholicâ communione diſſitis ad hanc aſpirent, & pertingant, etſi vitam innocenter agere videantur. Durùm autem eſt, omnes in Communione Hæreticorum, & Schiſmaticorum perſeverantes uſque ad mortem æterno ſupplicio addicere. Reſp. 1. Divinæ providentiæ facile eſſe, etiam abſque miraculo, & extraordinariâ privilegiataque illuminatione efficere, ut ad veræ Eccleſiæ communionem perveniant legis naturalis obſervatores, modis innumeris caſus illos præoccupando, ſi velit, immiſſo hominibus conſilio belli, pacis, negotiationis, peregrinationis, legationis, ſervitutis &c. Reſp. 2. Non eſſe in cœtibus Infidelium & Hæreticorum multos, ſed perquam raros, qui criminis expertes ſceleriſque puri, per juveniles annos ductum rationis naturalis ſtrenuè ſectentur, vel ex eo colligitur, quòd

Digitized by Google

quòd inter ipſos Catholicos plurimis ſingularibus auxiliis fide, doctrinâ, Sacramentis ad probitatem adjutos, pauci tamen inveniantur, qui etiam contra ipſam legem naturalem nunquam graviter deliquerint.

¶. *Dices iterum.* Non deſunt plures è Scholaſticis, qui etiam ipſius divinæ exiſtentiæ ignorantiam invincibilem admittant. Ergò multò magis admittenda erit circa veram Religionem, & Eccleſiam. Reſp. Quicquid nonnulli Recentiores cum Victoriâ viſi ſint rem velle dubiam facere, tenendum omnino eſt, ut communiter à Theologis receptum: Non poſſe dari talem ignorantiam inculpatam pro longo tempore vitæ; eſto contingere poſſit, ut pro brevi tempore detur. Moraliter quippe impoſſibile eſt, ut uſum rationis adepto non occurrat in decurſu vitæ cogitatio de ultimo fine, ad quem ſuis operationibus tendat, aut Domini & Architecti, à quo admirabile univerſum eſt conditum, & conſequenter etiam non occurrat cogitatio de obligatione tendendi in ultimum ſuum finem, & colendi ſuum & rerum omnium conditorem ac Dominum. Similiter ergo non poteſt dari pro longo tempore inculpata ignorantia veræ Eccleſiæ & Religionis, quâ coli Deus debet.

¶ *Replicabis.* Non datur ignorantia culpabilis, niſi cui occurrat aliqua ſaltem ſuſpicio, aut cogitatio de obligatione indagandi tale objectum. At videntur innumeri in omnibus Infidelium & Hæreticorum cœtibus, quibus nunquam ſuboritur ullus ſcrupulus, vel cogitatio de eâ Religione, in quâ nati ſunt, dubitandi. Ergò in iiſdem datur ignorantia inculpata veræ Religionis, & Eccleſiæ. Reſp. Nego Maj. Nam ut optimè monet P. Michael ab Elizalda quæſt. 37. Vt ignorantia ſit invincibilis, non ſatis eſt, ut res ignorata nunquam venerit in mentem; poſſunt quippe eſſe ignorantiæ culpabiles, & vincibiles rerum, quarum nec ſpeciem accepimus unquam, aut nomen. Ecce! Ingrederis Religioſum, vel Clericalem ſtatum, vel gubernacula alicujus Regni, vel Reip. Das te totum voluptati, aut curioſitati & nugis, nunquam ſolicitus es de his, quæ ſtatûs, & muneris tui ratio exigunt, nec de iis, vel ſimplices apprehenſiones admittis, & verſas animo omnia potiùs alia, quàm ea, quæ ſi non unicè, ſaltem præcipuè agitare deberes. Quis hîc te ob ignorantiam invincibilem excuſabit? & non potiùs de craſſâ & affectatâ condemnet? Idem videre eſt, prô dolor! in pleriſque hominibus reſpectu finis ultimi æternæ Beatitudinis, & mediorum illam aſſequendi. An ſi Deus ad hanc ipſam temporalem felicitatem, tanquam finem ultimum nos condidiſſet, aliud facere poſſent, quam nunc plerique omni conatu ſatagunt? Num ſi dixiſſet ſalvator: Quærite primùm felicitatem hujus ſæculi, & regnum Cœlorum adjicietur vobis, potuiſſent pleriq; hoc mandatum ſtudioſiùs implere, quàm nunc, cùm è diametro oppoſitum extet præceptum? I nunc, & mortalium ſocordiam in re omnium ſummâ, per inſuperabilem ignorantiam excuſa! imò ſi ſapis accuſa, quòd eam miſerè vices mutent, quòd aliud agant, vel nihil, vel contrà. Eſt utique voluntarium culpabile in ſummâ rerum. In hâc univerſaliſſimâ cauſâ neceſſe eſt mala plurima, inconvenientia maxima, ignorantias craſſas involvi, aſſumi, devorari. Quod ſi non advertant, nolunt intelligere ut bene agant. Ergo in hâc ſaltem univerſaliſſimâ cauſâ, eſt cunctis voluntaria culpabiliſque veræ Religionis, & mediorum acquirendæ beatitudinis ignorantia pernicioſiſſima.

Porrò

Digitized by Google

Porrò hâc veritate ſtabilitâ, ultrò in fumum abeunt & evaneſcunt, quæ ſuprà in capitis hujus initio recenſuimus, Muſæi Paradoxa, in Eccleſiâ DEI ante defectionem Lutheranam inaudita. Non diſputationem, ſed abominationem meretur, quòd I. Muſæus 1. p. Diſp. V. num. 33. & ſeqq. nullâ mentione factâ vel SS. Scripturæ, vel SS. Patrum, ſed ex ſolis ſuæ ſectæ proceribus, Luthero, Gerhardo, Zææmanno, Mylio, Huttero, &c. hâc ipsâ in re inter ſe diſſidentibus, novam fabricat diſtinctionem rationis, nec ratiocinatæ nec ratiocinantis, ſed delirantis conſequenter, & idoneæ ad miſcendos greges Hæreticorum, unico ovili CHRISTI. *Dicitur*, inquit, *vera & falſa Eccleſia, vel quatenus ſibi invicem opponuntur contradictoriè, vel quatenus contrariè.* Lepida diſtinctio, quam, qui volet, apud eum verbis explicatam legat. Perinde eſt, ac ſi quis diceret: Homo mortuus poteſt dici verus homo, quatenus opponitur contradictoriè falſo homini, quia etiam mortuus homo eſt aliquis homo; quatenus autem opponitur contrariè vero homini, non eſt verus, ſed falſus homo. Idem dicere oportebit de calceo ligneo. Prô, quàm longè latéque recedit in hoc â communi ſenſu SS. Patrum, qui omnes ejuſmodi Hæreticorum cœtus, vocant non Eccleſiam Chriſti, ſed conceptis verbis *Synagogam AntiChriſti*, ut S. Irenæus l. de Hæres. S. Hieronymus. dial. adverſus Lucif. Nec Hæreticos illos nomine *Chriſtianorum* dignati ſunt. Sic enim Tertullianus in præſcript. *Si Hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt.* Et lib. de pudic. *Quis propriè Chriſtianus? Ideo Chriſtianus non intelligendus, qui ab Eccleſiæ grege aberraverit.* S. Athanaſius orat. 2. contra Arian. *Qui ab Eccleſiâ ad Hæreſin tranſitum faciunt, nomen Chriſti derelinquunt.* S. Auguſtinus in Enchir. c. 5. *Chriſtus nomine tenus invenitur apud quoslibet Hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, re verò ipsâ non eſt apud eos.* Idem Serm. 81. refert verba S. Cypriani Epiſt. 52. *Quisquis ille eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſiâ non eſt.* Idem S. Martyr Epiſt. 78. peremptoriè contra Muſæi paradoxum ſic arguit: *Eccleſia una eſt; quæ vera, & quæ una, & intùs eſſe & foris non poteſt. Si enim apud Novatianum eſt, apud Cornelium* (Rom. Pontificem) *non fuit. Si verò apud Cornelium fuit, Novatianus in Eccleſiâ non eſt.*

Sed inſurgit Muſæus num. 53. & ſeqq. contra id, quòd dixeram cœtum, cujus profeſſio publica vel unicâ Hæreſi contaminata eſt, eſſe meriſſimam paleam &c. Objicitque 1. Septem millia, qui tempore Eliæ, in defectione 10. tribuum ad cultum Baal, huic genua non flexiſſent. 2. Quia juſſit Chriſtus ſervare & facere, quæ ſuper Cathedram Moyſis ſedentes Scribæ & Phariſæi dicerent, à quorum tamen fermento, id eſt Hæreſi, juſſit cavere. Matth. 16. 3. Tempore Apoſtolorum, plures ex converſis volebant ſimul cum Evangelio circumciſionem & cætera legalia ſervare, de quo Galatæ præcipuè ab Apoſtolo arguuntur. 4. Teſtantur SS. Hilarius & Auguſtinus ſub medio Arianiſmo multos verè credentes & ſanctos, DEI gratiâ fuiſſe conſervatos. Reſp. ad primum. Ad rem illud non facere. Neque nos negamus poſſe Catholicos in eodem cætu latere, & tamen Hæreſin nullo ſigno profiteri. Aſſertio tantùm procedit de omnibus & ſolis, qui Hæreſin quovis modo in communione Acatholicâ profitentur. Illa 7000. tempore Eliæ non ibant in Dan & Bethel, ubi colebatur Baal. Quid mirum, quòd etſi corpore conjungerentur Baal-cultoribus, animo tamen aliениſſimi ab idololatriâ, reipsa connumerarentur fidelibus Iſraëlitis duarum tribuum. Quodſi replicet Muſæus, etiam tribum Juda cum

 Roboamo

Digitized by Google

Roboamo *dereliquiſſe legem Domini* 2. Paral. XII. ℣. 1. & adhuc diſtinctiùs 3. Reg. XIV. ℣. 23. Reſpondeo. Etſi ante Captivitatem Babylonicam ſubinde ad Idololatriam declinâ-rit etiam tribus Iuda, ſemper tamen Hieroſolymis remanſiſſe in templo à Salomone ex-ſtructo veri DEI cultum; colligitúrque ex jam cit. capitis verſu 28. Roboamum non planè & palàm divinum cultum deſerüiſſe, nec illum in ſuo regno prohibuiſſe. Dicitur enim ibi: *Cùmque ingrederetur Rex in domum Domini* &c. Quánquam, etſi totum hoc, quod Lutherici de defectione univerſali Synagogæ viſibilis contendunt, largiremur; nihil hinc contra Eccleſiam Chriſti viſibilem inferretur, cùm hæc, uti aliis plurimis prærogativis ſupra Synagogam, ita & in hoc longiſſimè præcellat, quòd *uſque ad conſummationem ſanctorum*, habitura ſemper ſit *Doctores & Paſtores, ne omni vento doctrinæ circumferatur* &c. Reſp. ad ſecundum. Chriſtum Dominum non dixiſſe, ſuper Cathedram Moyſis *ſedent*, ſed *ſederunt*, ut indicaret, ſe non loqui de præſente Pontifice Caiphâ, ex Sadducæorum Hæreſi ad Pontificatum per Romanos promoto, ſed de iis decretis, quæ antea legitime è tribubus 12. electi Pontifices & LXXII. Seniores decreviſſent. Vt enim Thom. Bozius lib. V. cap. 7. de ſignis Eccleſiæ, bene ex Ioſepho obſervat, jam paulò ante Chriſti adventum, per Herodem contra præceptum DEI mutatam eſſe conſtitutionem concilii illius magni *Sanhedrim* dicti, ita ut Proſelyti ab Herode intruderentur, cùm deberent ſeni è ſingulis tribubus eligi, Pontifices etiam cœptos intrudi ex Sadducæis, pro libitu Præſidum Syriæ à Cæſare miſſorum. Nec mirum, quòd Cathedra Moyſis cœperit exſpirare, dum jam verus ſummus Pontifex inciperet CHRISTVS, & ſuam fundaret Eccleſiam. Alia huc pertinentia de fermento Phariſæorum, vide in P. Serarii Trihæres. l. 2. c. 9. Vnde hæc pauca addo. *Si Phariſæi non peccatores tantùm, ſed etiam Hæretici fuiſſent, an cum eis comediſſet Dominus toties tam familiariter? An qui iis Hypocriſin & alia vitia objecit, Hæreſin nunquam objeciſſet? An hoc iiſdem, & alia tam multa tam gravia nuſquam impegiſſet Scriptura? An judaici cultûs, id eſt, ejus quo verè tunc colebatur DEVS, ſectam hanc dixiſſet Apoſtolus certiſſimam, accuratiſſimam? Quid de Sadducæis unquam ſimile?* Reſp. ad tertium. Galatæ, & ſimiles judaïzantes Neophyti errabant ſine dubio in fide, ſed abſque pertinaciâ. Sicut multoties in Eccleſiâ controverſiæ enatæ, uti ante 30. annos circa Propoſitiones Bajanas à Ianſenio renovatas, quarum pleræque erant erroneæ, aut aliâ notâ graviore dignæ, non tamen cenſebantur Hæreticæ, niſi poſtquam ab Innocentio X. quinque illarum præcipuæ Hæreſis ſtigmate & Anathematiſmo inuſtæ fuerunt, & conſequenter, qui ante eam ſententiam Eccleſiæ cum Ianſenitis communicaret in ſacris, non cenſebatur extra Eccleſiam. Idem in ſimilibus quocunque ævo. Reſp. ad quartum, uti ad primum. Deinde *ſimplices illi & parvi ſenſu*, Arianis mixti, inſcii fraudis hæreticæ perſuaſi erant, ſe ſub fuco phraſium fraudulentarum concipere verum DEI Filium, (quod etiam in Concil. Ariminenſi tot Epiſcopis Latinis à Græcanicâ Hæreſi deceptis contigit.) Quid ergo mirum, quòd ſic nequiſſimis mixti permanſerint ſancti? Ex his patet etiam futilitas exceptionum, quas Muſæus num. 61. & ſeqq. quinque meis argumentis oppoſuit. Verbum non addo, ſed periti & æqui Lectoris, etiam è proteſtantibus, judicio ſubmitto. Nimirum etiam in his locum habet illud

illud S. Auguſtini. *Quid loquacius vanitate? quæ non ideo poteſt quod veritas, quia ſi voluerit, etiam plùs poteſt clamare, quàm veritas.* Verùm eadem loquacitas adhuc multò profuſiùs exurrit totâ Diſp. VI. à pag. 267. ad 381. circa ſecundum paradoxum ſuum nempe: *Cœtum Hæreticum aut AntiChriſtianum eſſe Fidelium matrem.* & tertium: *Quòd ſancti Lutherani potuerint ſine Hypocriſi latere ſub Papatu.* Quibus omnibus præter hactenus dicta nihil reponendum cenſeo, cùm hoc poſterius nihil penitus contineat, niſi purum putum ſomnium utopicum, quale Anabaptiſtarum, Socinianorum, Quackerorum &c. Sectariorum quilibet de ſuis gregalibus pari cum Muſæo jure nobis narrare poſſet. Loquacitate autem tantâ ad unicum meum argumentum ita exundat, ut huic refellendo à num. 57. uſque ad 121. 63. paginas impleverit. Itàne veritas tanto multi loquio gaudeat & egeat? Prius autem non modò apud quoslibet piè de Chriſti fidelitate & miſericordiâ ſapientes, horrorem mox ingenerat; ſed etiam tale eſt, ut ſi cui Philoſophorum Gentilium proponeretur, indubiè & meritò univerſam Chriſti Religionem, ut crudelem & abominandam averſaturus eſſet. Sed Lutheranus Muſæi ſtomachus deglutire & concoquere valet quidvis, quod pro ſuâ voluntariâ cœcitate non perſpicit apertam involvere contradictionem, ideóque hoc ipſo non reformidat tam indigna & horribilia divinæ affingere fidelitati & miſericordiæ erga dilectam ſibi ſponſam Eccleſiam. Repeto. Decumanum abſurdum eſt, & quo non facilè magis injurioſum Chriſto excogitari poteſt, dicere: *Eum ædificaſſe quidem Eccleſiam, cui portæ inferorum non prævaleant; poſuiſſe eam columnam & firmamentum veritatis, idque pollicitum eſſe, ſe uſque ad ſæculi conſummationem ſervaturum per media ordinaria, Paſtores ſcil. & Doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in aſtutiâ, ad circumventionem erroris*; his tamen minimè obſtantibus, per 1000. annos ſubtractis veris Paſtoribus & Doctoribus, permiſiſſe ſubſtitui à Diabolo in eâdem Eccleſiâ AntiChriſtum cum miniſtris ab eo auctoratis; ad quorum inſtructionem ſe deberent conferre, quotquot vellent ſalutem conſequi; Sanctos verò (utopicos illos latibularios) haud ab aliis, quam ab AntiChriſti Miniſtris inſtructos, ſpeciali Spiritûs S. dono diſcernere verum à falſo, Chriſtianum ab AntiChriſtiano &c. Hæc & ſimilia paradoxa concoquere qui poteſt, & ſibi perſuadere eſſe vera, imò gloriari noſtra *infirma omnia & arenoſis niti fundamentis: ſuum verò dogma ſtare invictum* &c. iſte inquam, an habeat ſanum ſyncipur, & an contra mentem non loquatur, non poſſum non vehementer dubitare. Iudicent his lectis, quo quot ſunt viri aliàs periti & moraliter boni, etiam inter Proteſtantes, (extra tribum illam Levi,) & decernant, an non grandiſſimi paradoxi aſſertor ſit Muſæus. Nec dubitem hâc unâ conceſsâ machinâ Muſæanâ, Atheos & Paganos, quicquid eſt Chriſtianiſmi, funditùs evertere poſſe. Nunquam Muſæus Sinenſi Philoſopho talia objicienti in dialogo ſatisfaciet, ſed potiùs ab omni Chriſtianâ Religione avertet.

Circa IV. Paradoxum ſuum, de efficaciâ Verbi divini independente à proponentis miſſione legitimâ &c. Muſæus pro ſuâ nervoſitate Laconicâ, quatuor Diſputationibus

 tantùm

Digitized by Google

aliorum ſupernaturalium, & in fieri & in eſſe à Spiritu S. dependentium effectuum participes reddantur. Sublatâ enim vel impeditâ cauſâ effectum tolli vel impediri notius eſt, quàm ut hic ipſum probari debeat. Deinde antecedens fusè, & (quia minimè negamus) ſuperfluè probat. RESP. Negando ſequelam, quæ ſi efficax foret, probaret pariter, nulli peccatori conferri ulla gratiæ auxilia vocantia, excitantia, adjuvantia, & cooperantia ad voluntariam converſionem à ſtatu peccati ad juſtitiam, cùm tamen manifeſtum ſit, vel exemplo Pauli ex Saulo perſecutore in Apoſtolum mutati, ſæpe veriſſimum eſſe, quod ipſe poſtea ſcripſit Rom. V. *Vbi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* Non ergo negamus peccatorem voluntariè ſe reddere indignum donis ſupernaturalibus. Sed congruit planè divinæ miſericordiæ, ut etiam homini peccanti (ſubinde ex malitiâ, non rarò etiam ex fragilitate) relinquat ſemen & principium reparandæ vitæ Spiritualis, quatenus ſcil. fides divina eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis.

Secundum argumentum deſumit *ex habitudine objecti fidei ad facultates animæ, ad intellectum & voluntatem, & facultatum animi inter ſe. Inter objecta Fidei præcipua ſunt CHRISTVS crucifixus, & Deus per Chriſtum nobis reconciliatus &c. Atqui hæc proponit ſcriptura peccatoribus non ut in nudâ cognitione ipſorum intellectus ſiſtat, ſed ut cognita porrò voluntati exhibeantur, & repræſententur. &c. RESP.* Hæc & reliqua, quæ verbosè proſequitur, probant, valdè quidem congruum eſſe, & ex intentione Spiritûs ſancti, ut non ſolùm intellectus liberè aſſentiatur objectis illis nobiliſſimis, gratiosè revelatis, ſed etiam affectus in ea ferantur, non modò concupiſcentiæ per ſpem, ſed etiam benevolentiæ & charitatis: Hoc tamen non obſtante ſemper liberrimum manet voluntati, ut vel in ſolo aſſenſu credendorum ſiſtat, vel etiam ex creditis, moveatur ad timorem gehennæ, & ſpem beatitudinis, quin ultrà per generoſiorem abnegationem ſui, & pravarum cupiditatum, proficiat ad illum vitæ ſpiritualis gradum, quo nullo ſui commodi temporalis, vel æterni etiam habitâ ratione, ſolùm quæ IESV Chriſti ſunt quærat, & Deum ſuper omnia diligat. Quòd verò Muſæus num 58. contendit, *non obſtante voluntatis libertate, ita cohærere objecta ſupernaturalia, ut ſine his illi locum in homine non inveniant*; nullâ probabili ratione perſuadet. Quomodo enim ſequitur: Gratiâ excitans ad Fidei aſſenſum eſt efficax; ergo etiam neceſſariò ſimul eſt efficax ad excitandos Spei, & Charitatis actus? Negatur igitur ſimpliciter, quod gratis aſſumendo, principium petit. Nec ad rem facit, *quòd* (ut Cardinalis de Lugo affirmat) *connaturale ſit habitui fidei infuſæ, ut ex parte voluntatis cum eo ſimul conjuncti ſint Charitatis & alii ſupernaturales habitus.* Hic quippe non eſt quæſtio de ſimultaneâ infuſione iſtorum habituum (quam nonnulli Scholaſtici, ut perpetuam & neceſſariam docent probabiliter, alii autem fortè probabiliùs negant, quod ad controverſiam fidei Catholicos inter & Hæreticos non pertinet) ſed an poſſit cum auxiliis gratiæ divinæ peccator primò velle credere, quæ ad ſalutem ſunt ſcitu neceſſaria, needum reſolvendo ſe an velit vel ob metum Gehennæ, vel ob ſpem æternæ beatitudinis, vel etiam ex ſolo amore Dei ſuper omnia diligendi, è cæno peccatorum eluctari, & uni Deo perfectè adhærere & uniri. Denique etiam, quæ deinceps num. 80. & ſeqq. aſſumit, eâdem facilitate, quâ ipſe affirmat, negantur, cùm præſertim præter verba nihil novi roboris afferant. Quidquæſo ad rem facit, quòd

quidam

Digitized by Google

quidam celebriores Scholaſtici doceant, ſimultaneam infuſionem habituum ſupernaturalium (quod Muſæus num. 81, & ſeqq. iteratò & multis urget:) cùm alii nec pauciores nec minùs celebres oppoſitum teneant, & utraque pars tanquam de fide certiſſimum fateatur, reipſâ quotidie ſeparari illos habitus, quoties ſcil. fidelis peccat mortiferè non tamen contra Fidem & Spem. Denique ut abſolvam omnia, repeto quod in Bellarmin. vind. Tom. IV. lib. V. c. 4. §. 1. pag. 246. ſcripſi, ſemper urget illud ineluctabile argumentum: Poteſt peccator credere ſicut oportet, & ſperare remiſſionem peccatorum à Deo ſe obtenturum, ſi arduum actum illum dilectionis DEI ſuper omnia exercuerit, quem poteſt certò ſcire, ſe necdum eliciuiſſe. Nec umbra repugnantiæ eſt in hâc ſeparatione reali: imò ita plerumque fit, ut magni peccatores inter fideles, primò Gehennæ metu perculſi, incipiant amore Spei & concupiſcentiæ, ac fortè etiam affectu inefficaci & ſimplici charitatis, ac non niſi poſt multam & longam ſui abnegationem, pertingant ad unionem dilectionis Dei ſupra omnia. Atqui in hoc caſu poſſibili, imò perfrequenti & quotidiano, realiter ſeparantur Fides & Spes à Charitate. Ergo optimè poſſunt exiſtere illi duo actus, quantum eſt ex ſuâ parte, juſtificativi, (ſeu ad juſtificationem diſponentes,) etſi abſit ultima diſpoſitio complens vim illarum duarum. Si Luthero-Calvinici non ſponte clauderent oculos tam liquidæ veritati, poſſent id manifeſtâ experientiâ deprehendere in ſuis cœtibus neo-Evangelicis, in quibus perpauci ſunt, (ſi tamen ulli,) in quibus appareret vel umbra illius perfectæ dilectionis Dei, *non quærentis quæ ſua ſunt*, neque in tempore neque in æternitate, ſed tantùm *quæ JESV Chriſti*: & tamen quis ex omnibus unus eſt, qui non ſibi perſuadeat, ſe illâ fide ſpecialis miſericordiæ munitum, de ſuâ ſalute ſecurum, cum magnâ dulcedine hinc emigrare, etſi metaphyſicam certitudinem habeat, ſe carni & ſanguini rebúsque ſæculi ſemper immerſum, nunquam purè DEUM amaſſe ſuper omnia, & abſque ſui commodi ſive temporalis ſive æterni reſpectu. Auſim ego hîc conteſtari ipſam conſcientiam Muſæi, & aliorum Lutheranorum, an non ita ferat quotidiana praxis inter ipſos: & ſi Wigandus oppoſitum etiam cum 1000. juramentis aſſerere auderet, conſuetis id ejus mendaciis & perjuriis meritò accenſeretur.

CAPUT NONUM.

Extra unam, veram, propriè dictam, viſibilem Eccleſiam Catholicam, nullam dari ſalutem oſtenditur contra Muſæum.

QVod in Prœmio ex anonymo Doctore retuli de nimiâ diffuſione & verboſitate Muſæi, præcipuè in hâc, quam proponimus, quæſtione locum habet. Cùm enim in cæteris facilè pleroſque alios faſtidioſâ ſuâ prolixitate ſuperet, hîc jam ſuperat ſeipſum: Vt enim contra SS. Cyprianum, Auguſtinum & Catholicos omnes pertendat, *extra Eccleſiam Catholicam etiam dari ſalutem*, per pluſquam quinquaginta quaterniones hæc ordine paradoxa ſtabilire ſatagit:

Digitized by Google

I. Cœtus in ſubſtantialibus corrupti, non ſunt omnino falſa, ſed aliquo modo vera Eccleſia Chriſti.

II. Eccleſia impura poteſt eſſe Fidelium mater.

III. Lutherani Fideles per 1000. annos ſub Papâ AntiChriſto ſine Hypocriſi latere potuerunt.

IV. Verbi divini vis & efficacia (*dicere debebat infallibilitas, & certitudo*) non pendet à propoſitione, & proponentis miſſione legitima.

V. Ad fidem generandam ſufficit, à quocunque proponatur.

VI. SS. Cyprianus, Auguſtinus, Hieronymus, &c. cum Pontificiis nimium coarctant Eccleſiam, cùm in Hæreticorum cœtibus ſalutem dari negant.

QVid porrò nos ad vaſtam hanc diſputationum molem? Ejus veſtigia premere nec libet, nec opus eſt. Præſtat compendi-facere laborem. Hoc autem opportunè fiet, ſi SS. Patrum & communem Catholicorum doctrinam (*nimirum, quòd extra Eccleſiam Catholicam viſibilem, in cœtibus Hæreticorum & Schiſmaticorum nulla detur ſalus*) vindicemus ab eo, quem Muſæus & olim & jam p. 2. Diſp. II. num. 46. contorſit, feroculo, ſed imbelli Ariete; ac deinceps ex hoc certiſſimo & perpetuo Catholicorum dogmate inferamus oppoſita illis ſex Paradoxis Muſæanis corollaria. Sic ergo habet Muſæus (noctua Lutherana) Aquilam Eccleſiæ illuminaturus. *Extra quam Eccleſiam reperiuntur cœtus alii, in quibus datur ſalus, illa non eſt Catholica Chriſti Eccleſia, eo quidem ſenſu, quo Catholica dicitur in oppoſitione ad particulares Eccleſias, & idem eſt quod Eccleſia univerſalis. Sed extra Eccleſias, quæ tempore Patrum Catholicam fidem profitebantur integram & incorruptam, & Charitatis ac Pacis vinculo erant conjunctæ, reperti ſunt olim, & extra eam, quæ à Pontificiis hodie pro Catholica venditatur, reperiuntur adhuc alii cœtus, in quibus detur ſalus. Ergo Eccleſiæ illæ non ſunt Catholica Chriſti Eccleſia, eo quidem ſenſu, quo Catholica dicitur in oppoſitione ad particulares. Major eſt ita evidens, ut à partibus diſſidentibus in dubium vocari non poſſit. Minor probatur. Extra quam Eccleſiam Chriſti Baptiſmus in ſuis eſſentialibus viget, extra illam datur ſalus. Atqui extra Eccleſias numeratas viget Chriſti Baptiſmus in ſuis ſubſtantialibus, & docetur verbum Dei. Ergo extra Eccleſias enumeratas datur ſalus. Major patet. Quia Baptiſmus & Verbum Dei ſunt duo media, per quæ Deus in hominibus ſalutem operatur. Minorem confirmat ipſa experientia, inprimis quoad Baptiſmum: Deinde verbum Dei docebatur & docetur in omnibus*

Digitized by Google

omnibus illis cœtibus Novatianorum, Donatiſtarum, Eutychianorum, Neſtorianorum, & cæteris per orientem Eccleſiis, ut & in occidente & ſeptentrione, in Auguſtanâ Confeſſione, & reformatis Eccleſiis. Arieti huic convellendo reſpondi in Parall. qu. 17. §. 2. in Majore magnam latere ambiguitatem, quoad Cætus alios extra Catholicam Eccleſiam, qui reſpectu conferendæ ſalutis ſpectari poſſint, vel formaliter, vel merè materialiter &c. Muſæus verò hîc num. 50. contendit, & ſuam Majorem expertem eſſe omnis ambiguitatis, & in Minori illos cætus alios prorſus *imperitè & ridiculè diſtingui*, ut in ſpectatos vel formaliter vel materialiter. Verùm ut non occæcati, aut ſtupidi videant perſpicuè, meâ reſponſione planè elidi ridiculum ejus arietem, variemus tantùm phraſin, reipsâ eadem vi manente, & Majorem ſic proponamus: (Et primò quidem de Baptiſmo tantùm: de verbo Dei poſteà ſeparatim agemus) Extra quos Chriſtianorum cœtus reperiuntur alii homines, in quibus, ſive per quos datur ſalus, illi non ſunt omnes Chriſtiani, ſive non ſunt univerſa Chriſti congregatio. Hæc Major reverà coincidit cum Muſæanâ Majore, ſervatâ ſcil. proportione inter Catholicam Eccleſiam, & Hæreticorum cœtus, ex unâ parte, ex alterâ parte inter cœtus omnium Chriſtiano nomine gloriantium, & cœtus Iudæorum ac Gentilium. Eam autem eſſe falſiſſimam, ſtatim patet, ſi ſubſumatur: Sed extra omnes Congregationes Chriſtianorum datur, aut poteſt dari per Iudæos, Turcas, Paganos &c. Baptiſmus, & conſequenter ſalus. Ergo extra omnes cœtus Chriſtianorum, datur Congregatio Chriſtianorum. Hæc concluſio eſt apertè falſa & abſurda. Minor eſt evidenter vera. Quis enim negat, poſſe Iudæum, vel Turcam diſcere, quæ ſit materia & forma baptiſmi, ac velle facere id, quod ſolent Chriſtiani facere baptizando? Quid igitur ſupereſt, niſi ut dicatur vitium latere originaliter in Majore? Sic ergo reformari debet Aries, ut Muſæanam inferat concluſionem. Extra quam Eccleſiam dantur cœtus alii, in quibus & per quos (ſpectatos formaliter ut alii ſunt) per ſe, ordinariè, & ex inſtitutione Chriſti datur Baptiſmus & conſequenter ſalus; illa non eſt Catholica Eccleſia. Sed extra Eccleſiam Rom. Catholicam dantur cœtus (Lutheranorum, Calviniſtarum, Iudæorum, Turcarum) in quibus poteſt dari per ſe, ordinariè, & ex inſtitutione Chriſti Baptiſmus, & conſequenter ſalus. Ergo Eccleſia Rom. Pontifici adhærens non eſt Catholica Eccleſia, extra quam non datur ſalus. Sic autem manifeſtè falſa eſt Minor, & conſequenter ipſa etiam concluſio. Quis enim etiam γνησίως Lutheranorum dixerit, Calviniſtas per ſe, & ex inſtitutione Chriſti, eſſe miniſtros Baptiſmi potiùs, quàm Iudæos vel Turcas? Denique obſervandum in eâdem Majore, illam particulam (*cœtus alii in quibus datur ſalus*) ſummâ laborare ambiguitate. Vel enim ſenſus eſt, dari in iis cætibus (Hæreticorum, Iudæorum, Turcarum) ſalutem infantibus (aut adultis, qui alias ſine baptiſmo cogerentur decedere) ita ut taliter baptizati nihilominus pertineant ad membra Catholicæ Eccleſiæ, & ſic vera eſt Major. Vel eſt ſenſus, dari talibus mediante baptiſmo ſalutem, ita ut ſimul maneant membra ejus cœtûs Hæretici, Iudaici, Mahumetani: & ſic manifeſtè falſa eſt Major. Cum enim, ut paſſim docet S. Auguſtinus, etiam à Muſæo allegatus num. 57. Baptiſmus ſit veræ Catholicæ Eccleſiæ; cuicunque is extra Catholicam communionem à quocunque fructuosè confertur, efficit membrum veræ Catholicæ Eccleſiæ. Cuicunque autem datur Baptiſmus, ita ut is cui datur, nolit (ſive formaliter ſive virtualiter) membrum fieri Eccleſiæ Catholicæ,

Digitized by Google

ſed manere membrum Hæreticæ, Schiſmaticæ &c. Congregationis, certiſſimum eſt non conferre ſalutem, ſed perditionem. Hoc ipſum cùm S. Auguſtinus docuiſſet clariſſimè verbis à Muſæo num. 61. recitatis ſcil. [*Itaque eſt una Catholica Eccleſia, qua ſola catholica nominatur, & quidquid ſuum habet in communionibus diverſorum à ſuâ unitate ſeparatis, per hoc quod ſuum in eis habet, ipſa utique generat, non illæ. Neque enim ſeparatio eorum generat, ſed quod ſecum de iſtâ tenuerunt. Quod ſi & hoc dimittant, omnino non generant.*) Non erubuit is tamen commentarium illis adhibere quodlibeticum, ut extorqueat, quod ejus menti apertiſſimè eſt contrarium. Non negat enim, nec negare poteſt Muſæus, S. Auguſtini certiſſimam eſſe ſententiam, extra Catholicam in nullo Schiſmaticorum, vel Hæreticorum cœtu eſſe Eccleſiam veram & ſalutem, & in hoc ipſe Muſæus ex profeſſo refutare Auguſtinum conatur; & tamen idem ex hujus verbis, in quodlibeticam cataſtam actis, extorquere ſatagit oppoſitam doctrinam, quod ſcil. (ut num. 60. infert) *non planè extra Catholicam Eccleſiam regenerentur, qui per Eccleſiæ Sacramentum apud Schiſmaticos, vel Hæreticos regenerantur. Repugnat enim inquit quempiam regenerari ſimpliciter extra Catholicam Eccleſiam, & tamen ab ipsâ Catholicâ Eccleſiâ regenerari per id, quod ipſa ſuum ibi habet, ubi regeneratio peragitur. Quod enim ea ibi habet tanquam ſuum, id hoc ipſo habet ibi, ut ad ſui conſtitutionem pertinens. Quod autem peragitur ibi, ubi Eccleſia Catholica habet aliquam ſui partem, id non peragitur planè extra ipſam.* Sic Muſæus, cujus verba ſi nihil aliud vellent, quàm infantes in & ab Hæreticis cœtibus accipientes Baptiſmum eſſe partem Eccleſiæ Catholicæ, nihil à vero & à Catholico dogmate alienum pronunciaret. At quod ex collatione Baptiſmi infantibus factâ per Miniſtros cœtuum Hæreticorum ipſe infert, illos conferentes Baptiſmum eſſe partem Eccleſiæ Catholicæ, non modò S. Auguſtino apertè repugnat, ſed etiam in duabus illis ultimis propoſitionibus manifeſtè falſum, imò abſurdum enunciat, ut palàm conſtabit, ſi ponamus exempli gratia Muſæi pecudem detineri ab abigeo in ſuo ſtabulo, ibique generare pullum: quis ſani cerebri ideo dixerit; non planè extra Muſæi domum eſſe genitum pullum, qui per Muſæi pecudem apud furem genitus eſt? Repugnat enim pullum generari ſimpliciter extra Muſæi domum, & tamen ab ipsâ generari per id, quod ipſe ſuum ibi habet, ubi generatio peragitur. Quod enim Muſæi domus ibi habet tanquam ſuum, id hoc ipſo habet ibi, tanquam ad ſui conſtitutionem pertinens. Quod autem peragitur ibi, ubi Muſæi domus habet aliquam ſui partem, id non peragitur planè extra ipſam. Nónne hæc abſurda ſatis? At eſt utrobique, ſi formaliter ſpectetur, quod agitur, par omnino ratio. Sunt Hæreticorum cœtus *fures & latrones*, ut expreſſe affirmat S. Irenæus, imò Chriſtus Joan. 10. Apud hos fures detinetur Eccleſiæ Baptiſmus, cujus collatione regeneratur Chriſto infans, ad Eccleſiam Catholicam jure pertinens, non minùs quàm pullus ex pecude furtivâ genitus apud furem. Det gloriam DEO Muſæus, fateatúrque ingenuè, auſitne affirmare, vetus teſtamentum, quod Chriſtiana Eccleſia tanquam ſuum habet apud Iudæos, hoc ipſo habere ibi, ut partem ad ſui conſtitutionem pertinentem? Piget in re tam perſpicuâ diutiùs hærere, in quâ pertractandâ tamen Muſæus ſupra 12. quaterniones inſumpſit, & diſp. 3. n. 68. expoſtulat, *quòd nobis ſua prolixitas, & inde nata perſpicuitas tædio ſit. Neque enim* inquit *veritatis lucem, ut ſolis noctua, ferre poſſunt homines, qui erroribus incruſtandis & veritati obſcurandæ ſe ſemel manciparunt.* Verùm ex pro-

ex prolixitate vel brevitate per ſe nemo peritus & prudens judicium feret de veritate, aut falſitate doctrinæ; cùm veriſſimum ſit illud, quod initio hujus opuſculi ex S. Auguſtino præfixi: *Facile eſt cuiquam videri reſpondiſſe, qui tacere noluerit; aut quid eſt loquacius vanitate? quæ non ideo poteſt, quod veritas, quia ſi voluerit, etiam poteſt plùs clamare, quàm veritas.* Quæ ſententia, ſi in ullum, certè in Muſæum quadrat, qui jam binis tractatibus 106 quaterniones implevit loco Commentarii, quo unicum articulum ſymboli expoſuit, quid nomine *Eccleſia* intelligatur? qui tamen eſt creditu neceſſarius, & creditu neceſſaria omnibus ſunt ſolis radiis clariùs in ſymbolo & Bibliis expoſita. Qui hæc poteſt capere, capiat; legátque, cui vacaverit libueritque, totum opus Muſæi, ac noſtra cum eo conferat, poſteáque ſine paſſione judicet; an non optimè S. Auguſtinus & nos cum illo veræ Catholicæ Chriſti Eccleſiæ cauſam agamus, cùm nullam extra ejus communionem dari ſalutem aſſerimus; Muſæum verò cauſam agere non Lutheranorum modò, ſed omnium omnino Hæreticorum, qui Baptiſmum quidem ſervant, ſed verbis S. Scripturæ idola ſuorum phantaſmatum obvelant? Et quæ hactenus dixi, intelligi velim de ſolo Baptiſmo inter Hæreticos & Mahumetanos collato infantibus, vel adultis in extremo ſalutis periculo aliàs conſtitutis. Quæ quidem res quoad infantes, non debet haberi pro caſu valde raro, & quaſi metaphyſico, cùm conſtet ex Augerii Busbeckl Epiſtolis Turcicis, non raró ſolere matres Turcicas ſuis prolibus impetrare Baptiſmum Chriſtianum, perſuaſas, illo non raro etiam corporibus ſalutem reſtitui; eadémque de causâ M. Navarrus in Conſil. excuſat Sacerdotes, qui compulſi à Turcis, inter quos ad S. Chriſti ſepulchrum habitant, eorum prolibus Baptiſmum impertiuntur. Iam ſeorſim agemus de prædicatione verbi divini in cœtibus Hæreticorum ſubſtantialiter corruptâ; circa quam cùm in Parall. Quæſt. 11. §. 5. & 7. viſus ſim liberaliter admittere, dari poſſe invincibilem & inculpatam ignorantiam articulorum de verâ Eccleſiâ, & cæteris neceſſariis à quolibet adulto credendis; (quòd quidem ſub opinione eſt inter Catholicos, cùm utraque pars probabiliter ſuſtineatur à variis) nunc tamen, quia video Muſæum ſuper hâc baſi ſuperſtruere tot ſuos errores, relicto eo, quod olim dixi de caſu extraordinario, pronuncio nunc & aſſero, In cœtibus Hæreticorum, de lege ordinariâ non dari in homine ad ſufficientem ætatem, & prudentiam provecto, ignorantiam inculpatam & inſuperabilem. Sicut enim cum omnibus Catholicis contra Lutherum, Calvinum, Bajum, Ianſenium, corúmque aſſeclas certum habemus, admittendam eſſe ignorantiam inculpatam & invincibilem non tantùm de quæſtionibus facti, ſed etiam in pluribus quæſtionibus juris naturalis & divini: ita viciſſim in iis, quæ requiruntur neceſſitate medii ad ſalutem, æque certum debet eſſe, neminem excuſari ob ignorantiam inſuperabilem, vel potiùs, nullam dari horum mediorum ignorantiam innoxiam, ita ut eorum notitia debeat haberi, vel in re, vel ſaltem in voto. Idque, niſi fallor, admittent omnes illi Lutherani etiam, qui cum G. Calixto neceſſitatem articulorum Symboli ſtatuunt. Ille enim Tract. 1. quem meis vindiciis oppoſuit, expreſsè docuit num. 62. & 66 *omnes ſymboli articulos neceſſitate medii & præcepti credendos*, & num. 71. eandem doctrinam etiam S. Thomæ ſuffragio robo rare voluit. Proinde, ſic quaſi ad hominem arguendo pronuncio, poſt promulgatum Chriſti evangelium, de lege ordinariâ, & ſecluſo privilegio, neminem ſalvari Eccleſiæ Ca-

Digitized by Google

tholicæ non incorporatum, juxta illud, Non habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem. Dixi, *de lege DEI ordinaria & ſecluſo privilegio* &c. Non enim auſim negare, quòd plurimi Recentiores ut probabile docent, in caſu (rarò quidem, ſed non impoſſibili) quo inter Mahumetanos v. g. vel Idololatras quis viſo miraculo à Chriſtiano inſtrueretur, & antequam de myſterio Incarnationis, & ſequentibus articulis plenè edoctus eſſet, raperetur à Tyranno ad mortem in odium fidei, quam diſcere intendebat: talem ſi cum eâ fide (necdum explicitâ de myſterio Incarnationis, & merito Chriſti) conjunxerit actum ſpei & dilectionis DEI, & ſic deceſſerit, è numero ſalvandorum non excluſum iri. Hoc igitur eventu, itémque gratiâ extraordinariâ ac quaſi-privilegiata ſecluſis, Probo Aſſertionem. I. Quia poſt promulgatum in orbe Chriſti Evangelium, qui non crediderit in Chriſtum, & in nomine SS. Trinitatis baptizatus fuerit, condemnabitur. Ergo etiam damnabitur, qui non conjunxerit ſe Eccleſiæ: Ergo nemo per ejus ignorantiam excuſatur. Sequela prior probatur. Quia nemo poteſt prudenter credere ſuper omnia & fide divinâ, articulos naturaliter impoſſibiles, & incredibiles, niſi proponantur cum auctoritate infallibili. At talis auctoritas nullibi eſt, niſi in Catholicâ Eccleſia, de qua ideo Chriſtus dixit, *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Maior probatur. Quia omnis aſſenſus verus & certus, vel habetur ex evidentia objecti, (quod in fide nullum habet locum,) vel ex immediata revelatione divina, (quam ſpecialiter ſibi factam Lutherani non audent ſibi arrogare) vel ſi ab aliquo auctoritatis irrefragabilis proponatur. Et quoad hoc, ſola Eccleſia Catholica, ab Apoſtolis uſque huc conſpicua perſeverans, culmen auctoritatis indefectibilis ſemper obtinuit. Probo. II. Eandem aſſertionem. Sine notitia certa mediorum neceſſariorum nemo poteſt obtinere ſalutem. Atqui extra Eccleſiam nemo poteſt habere notitiam certam mediorum neceſſariorum ad acquirendam ſalutem. Ergo extra Eccleſiam Catholicam nemo poteſt ſalvari, & conſequenter nemo citra culpam poteſt illam ignorare. Major à nemine, ut reor, negari poteſt. Minor conſtat ex dictis quæſt. VI. §. 6. Probo III. Aſſertionem. In diluvio nemo extra arcam Noë ſalvatus eſt. Ergo etiam nemo extra Eccleſiam, cui nemo adultorum, niſi prævia ejus cognitione jungitur. Sequela patet. ex 1. Pet. 3. *Cùm fabricaretur arca in quâ pauca, id eſt octo animæ, ſalvæ factæ ſunt per aquam; quod & nos nunc ſimilis formæ ſalvat baptiſma.* Vnde S. Cyprian. *ſi potuit evadere quiſquam qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Eccleſiam foris fuerit, evadit.* Probo IV. Quia fundavit Chriſtus Eccleſiam perpetuò duraturam, & conſpicuam omnibus, ita ut teſte. S. Auguſtino, *habeat hoc ſignum, quòd abſcondi non poſſit.* Ergo nemo per illam fidei articulos ad ſalutem neceſſarios edoceri quærens, illam invenire non poterit; omnis enim qui quærit invenit id, quod eſt obvium, & patens omnibus. Ergo quisquis non invenit, ſuâ culpâ non invenit, quia non cum debita diligentiâ quærit. Probo V. Quia oppoſita ſententia videtur favere errori indifferentiſtico Caſſandri, Marci Antonii de Dominis, Calixti &c. Si enim ſalus obtineri poteſt, in qualibet ſectâ, quæ Baptiſmum, & Biblia retinet, quid opus eſt ſolicitè inquirere in veram Eccleſiam, & puram ejus doctrinam? Nonne hic locus foret illi monito, quod olim G. Dorſchæus ad Theologos Ienenſes perſcripſit. *Timendum ne ex ſilentio, & conniventiâ γνησίως Lutheranorum res tota pereat, & brevi orbis totus Germanicus miretur ſe tam cito factum*

Digitized by Google

ſtum eſſe Calixtinum. Confirmatur VI. Ex celeberrimâ illa doctrina S. Thomæ communiter receptâ de verit. qu. 14. art. 11. *Certiſſimè tenendum eſt, ſi aliquis nutritus in ſylvis ductum rationis naturalis ſequatur in appetitu boni & fugâ mali, quòd ei DEUS vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt credenda, vel aliquam fidei prædicationem ad eum dirigeret.* Quod pronunciatum planè concinit illi S. Auguſtini Ep. 49. ad Deo gratias: *Ita,* inquit, *ſalus Religionis hujus, per quam ſolam veram ſalus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.* Item Epiſt. CLXX. Eccleſiam Catholicam Nulli ignorare licet, *ideò ſecundum verbum Domini abſcondi non poteſt.* Nec aliud indicat Apoſtolus, cùm Rom. 10. poſtquàm neceſſitatem Fidei in Chriſtum ſtatuiſſet, mox ſibi objicit: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* Anne hic Apoſtolus excipit eos, qui non audierunt? Nonne hoc reſpondet: *Sed dico nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum*: & mox: *Iſaias autem dicit, Inventus ſum à non quærentibus me, palàm apparui eis, qui me non interrogabant.* Tantùm abeſt, ut Apoſtolus non audientes ullos excipiat, ut caſum potiùs neget. Invenitur quippe Chriſtus & Eccleſia ejus etiam à non quærentibus; quantò magis ab eo, ſiquis eſt, qui ductum rationis ſecutus fuerit? & ſiquis eſt, qui non audiit, culpâ ſuâ non audiit. Quomodo autem hinc non inferatur, Bona opera naturalia mereri de congruo gratiam ſupernaturalem, & juſtificationem, vide Bell. vind. Tom. IV. lib. III. c. 5. num. 3. Denique Confirmatur VII. Omnes ſi volunt, poſſunt ſalvari. At ſine verâ Eccleſia, & Religione nemo poteſt ſalvari. Ergo omnes poſſunt in verâ ſalvari. Ergo harum notitia eſt poſſibilis. Vbi ergo manet inculpata ignorantia? Ex hactenus dictis apparet DEUM omnes ſeriò quærentes ſuam ſalutem, aut per ordinariam providentiam perducturum, ad Eccleſiæ Catholicæ agnitionem, aut extra ordinem etiam per Angelum, aut privilegiatam revelationem illuminaturum, & conſequenter nullum ſupereſſe locum ignorantiæ inculpatæ inſuperabilique. Nec deſunt exempla ejuſmodi illuminationis, non modò in SS. Literis, de Cornelio, Lydiâ, Eunucho; ſed etiam in Hiſt. Eccleſ. de SS. Clemente Rom. Iuſtino, Hilario, Gregorio Thaumaturgo, &c. Nec deſunt etiam recentiora ex Hiſt. Indicis &c. ut adeò nunquam providentia divina fieri velit, ut veritatis doctrina à Magiſtris errorum diſcatur.

§. *Dices.* Raò contingit, ut ex cœtibus Hæreticorum procul à Catholicâ communione diſſitis ad hanc aſpirent, & pertingant, etſi vitam innocenter agere videantur. Durùm autem eſt, omnes in Communione Hæreticorum, & Schiſmaticorum perſeverantes uſque ad mortem æterno ſupplicio addicere. Reſp. 1. Divinæ providentiæ facile eſſe, etiam abſque miraculo, & extraordinariâ privilegiataque illuminatione efficere, ut ad veræ Eccleſiæ communionem perveniant legis naturalis obſervatores, modis innumeris caſus illos præoccupando, ſi velit, immiſſo hominibus conſilio belli, pacis, negotiationis, peregrinationis, legationis, ſervitutis &c. Reſp. 2. Non eſſe in cœtibus Infidelium & Hæreticorum multos, ſed perquam raros, qui criminis expertes ſceleriſque puri, per juveniles annos ductum rationis naturalis ſtrenuè ſectentur, vel ex eo colligitur,

quòd

Digitized by Google

quòd inter ipſos Catholicos plurimis ſingularibus auxiliis fide, doctrinâ, Sacramentis ad probitatem adjutos, pauci tamen inveniantur, qui etiam contra ipſam legem naturalem nunquam graviter deliquerint.

§. *Dices iterum.* Non deſunt plures è Scholaſticis, qui etiam ipſius divinæ exiſtentiæ ignorantiam invincibilem admittant. Ergò multò magis admittenda erit circa veram Religionem, & Eccleſiam. Reſp. Quicquid nonnulli Recentiores cum Victoriâ viſi ſint rem velle dubiam facere, tenendum omnino eſt, ut communiter à Theologis receptum: Non poſſe dari talem ignorantiam inculpatam pro longo tempore vitæ; eſto contingere poſſit, ut pro brevi tempore detur. Moraliter quippe impoſſibile eſt, ut uſum rationis adepto non occurrat in decurſu vitæ cogitatio de ultimo fine, ad quem ſuis operationibus tendat, aut Domini & Architecti, à quo admirabile univerſum eſt conditum, & conſequenter etiam non occurrat cogitatio de obligatione tendendi in ultimum ſuum finem, & colendi ſuum & rerum omnium conditorem ac Dominum. Similiter ergo non poteſt dari pro longo tempore inculpata ignorantia veræ Eccleſiæ & Religionis, quâ coli Deus debet.

§. *Replicabis.* Non datur ignorantia culpabilis, niſi cui occurrat aliqua ſaltem ſuſpicio, aut cogitatio de obligatione indagandi tale objectum. At videntur innumeri in omnibus Infidelium & Hæreticorum cœtibus, quibus nunquam ſuboritur ullus ſcrupulus, vel cogitatio de eâ Religione, in quâ nati ſunt, dubitandi. Ergò in iiſdem datur ignorantia inculpata veræ Religionis, & Eccleſiæ. Reſp. Nego Maj. Nam ut optimè monet P. Michael ab Elizalda quæſt. 37. Vt ignorantia ſit invincibilis, non ſatis eſt, ut res ignorata nunquam venerit in mentem; poſſunt quippe eſſe ignorantiæ culpabiles, & vincibiles rerum, quarum nec ſpeciem accepimus unquam, aut nomen. Ecce! Ingrederis Religioſum, vel Clericalem ſtatum, vel gubernacula alicujus Regni, vel Reip. Das te totum voluptati, aut curioſitati & nugis, nunquam ſolicitus es de his, quæ ſtatûs, & muneris tui ratio exigunt, nec de iis, vel ſimplices apprehenſiones admittis, & verſas animo omnia potiùs alia, quàm ea, quæ ſi non unicè, ſaltem præcipuè agitare deberes. Quis hîc te ob ignorantiam invincibilem excuſabit? & non potiùs de craſſâ & affectatâ condemnet? Idem videre eſt, prô dolor! in pleriſque hominibus reſpectu finis ultimi æternæ Beatitudinis, & mediorum illam aſſequendi. An ſi Deus ad hanc ipſam temporalem felicitatem, tanquam finem ultimum nos condidiſſet, aliud facere poſſent, quam nunc plerique omni conatu ſatagunt? Num ſi dixiſſet ſalvator: Quærite primùm felicitatem hujus ſæculi, & regnum Cœlorum adjicietur vobis, potuiſſent pleriq; hoc mandatum ſtudioſiùs implere, quàm nunc, cùm è diametro oppoſitum extet præceptum? I nunc, & mortalium ſocordiam in re omnium ſummâ, per inſuperabilem ignorantiam excuſa! imò ſi ſapis accuſa, quòd eam miſerè vices mutent, quòd aliud agant, vel nihil, vel contrà. Eſt utique voluntarium culpabile in ſummâ rerum. In hâc univerſaliſſimâ cauſâ neceſſe eſt mala plurima, inconvenientia maxima, ignorantias craſſas involvi, aſſumi, devorari. Quod ſi non advertant, nolunt intelligere ut bene agant. Ergo in hâc ſaltem univerſaliſſimâ cauſâ, eſt cunctis voluntaria culpabiliſque veræ Religionis, & mediorum acquirendæ beatitudinis ignorantia pernicioſiſſima.

Porrò

Digitized by Google

Porrò hâc veritate ſtabilitâ, ultrò in fumum abeunt & evaneſcunt, quæ ſuprà in capitis hujus initio recenſuimus, Muſæi Paradoxa, in Eccleſiâ DEI ante defectionem Lutheranam inaudita. Non diſputationem, ſed abominationem meretur, quòd I. Muſæus 1. p. Diſp. V. num. 33. & ſeqq. nullâ mentione factâ vel SS. Scripturæ, vel SS. Patrum, ſed ex ſolis ſuæ ſectæ proceribus, Luthero, Gerhardo, Zææmanno, Mylio, Huttero, &c. hâc ipsâ in re inter ſe diſſidentibus, novam fabricat diſtinctionem rationis, nec ratiocinatæ nec ratiocinantis, ſed delirantis conſequenter, & idoneæ ad miſcendos greges Hæreticorum, unico ovili CHRISTI. *Dicitur, inquit, vera & falſa Eccleſia, vel quatenus ſibi invicem opponuntur contradictoriè, vel quatenus contrariè.* Lepida diſtinctio, quam, qui volet, apud eum verbis explicatam legat. Perinde eſt, ac ſi quis diceret: Homo mortuus poteſt dici verus homo, quatenus opponitur contradictoriè falſo homini, quia etiam mortuus homo eſt aliquis homo; quatenus autem opponitur contrariè vero homini, non eſt verus, ſed falſus homo. Idem dicere oportebit de calceo ligneo. Prô, quàm longè latéque recedit in hoc à communi ſenſu SS. Patrum, qui omnes ejuſmodi Hæreticorum cœtus, vocant non Eccleſiam Chriſti, ſed conceptis verbis *Synagogam AntiChriſti*, ut S. Irenæus l. de Hæreſ. S. Hieronymus. dial. adverſus Lucif. I Nec Hæreticos illos nomine *Chriſtianorum* dignati ſunt. Sic enim Tertullianus in præſcript. *Si Hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt.* Et lib. de pudic. *Quis propriè Chriſtianus? Ideo Chriſtianus non intelligendus, qui ab Eccleſiæ grege aberraverit.* S. Athanaſius orat. 2. contra Arian. *Qui ab Eccleſiâ ad Hæreſin tranſitum faciunt, nomen Chriſti derelinquunt.* S. Auguſtinus in Enchir. c. 5. *Chriſtus nomine tenus invenitur apud quoslibet Hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, re verò ipsâ non eſt apud eos.* Idem Serm. 81. refert verba S. Cypriani Epiſt. 52. *Quisquis ille eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſiâ non eſt.* Idem S. Martyr Epiſt. 78. peremptoriè contra Muſæi paradoxum ſic arguit: *Eccleſia una eſt; quæ vera, & quæ una, & intùs eſſe & foris non poteſt. Si enim apud Novatianum eſt, apud Cornelium* (Rom. Pontificem) *non fuit. Si verò apud Cornelium fuit, Novatianus in Eccleſiâ non eſt.*

Sed inſurgit Muſæus num. 53. & ſeqq. contra id, quòd dixeram cœtum, cujus profeſſio publica vel unicâ Hæreſi contaminata eſt, eſſe meriſſimam paleam &c. Objicitque 1. Septem millia, qui tempore Eliæ, in defectione 10. tribuum ad cultum Baal, huic genua non flexiſſent. 2. Quia juſſit Chriſtus ſervare & facere, quæ ſuper Cathedram Moyſis ſedentes Scribæ & Phariſæi dicerent, à quorum tamen fermento, id eſt Hæreſi, juſſit cavere. Matth. 16. 3. Tempore Apoſtolorum, plures ex converſis volebant ſimul cum Evangelio circumciſionem & cætera legalia ſervare, de quo Galatæ præcipuè ab Apoſtolo arguuntur. 4. Teſtantur SS. Hilarius & Auguſtinus ſub medio Arianiſmo multos verè credentes & ſanctos, DEI gratiâ fuiſſe conſervatos. Reſp. ad primum. Ad rem illud non facere. Neque nos negamus poſſe Catholicos in eodem cœtu latere, & tamen Hæreſin nullo ſigno profiteri. Aſſertio tantùm procedit de omnibus & ſolis, qui Hæreſin quovis modo in communione Acatholicâ profitentur. Illa 7000. tempore Eliæ non ibant in Dan & Bethel, ubi colebatur Baal. Quid mirum, quòd etſi corpore conjungerentur Baal-cultoribus, animo tamen alieniſſimi ab idololatriâ, reipsa connumerarentur fidelibus Iſraëlitis duarum tribuum. Quodſi replicet Muſæus, etiam tribum Juda cum

illud S. Auguſtini. *Quid loquacius vanitate? quæ non ideo poteſt quod veritas, quia ſi voluerit, etiam plùs poteſt clamare, quàm veritas.* Verùm eadem loquacitas adhuc multò profuſiùs exurrit totâ Diſp. VI. à pag. 267. ad 382. circa ſecundum paradoxum ſuum nempe: *Cœtum Hæreticum aut AntiChriſtianum eſſe Fidelium matrem.* & tertium: *Quòd ſancti Lutherani potuerint ſine Hypocriſi latere ſub Papatu.* Quibus omnibus præter hactenus dicta nihil reponendum cenſeo, cùm hoc poſterius nihil penitus contineat, niſi purum putum ſomnium utopicum, quale Anabaptiſtarum, Socinianorum, Quackerorum &c. Sectariorum quilibet de ſuis gregalibus pari cum Muſæo jure nobis narrare poſſet. Loquacitate autem tantâ ad unicum meum argumentum ita exundat, ut huic refellendo à num. 57. uſque ad 121. 65. paginas impleverit. Itàne veritas tanto multiloquio gaudeat & egeat? Prius autem non modò apud quoslibet piè de Chriſti fidelitate & miſericordiâ ſapientes, horrorem mox ingenerat; ſed etiam tale eſt, ut ſi cui Philoſophorum Gentilium proponeretur, indubiè & meritò univerſam Chriſti Religionem, ut crudelem & abominandam averſaturus eſſet. Sed Lutheranus Muſæi ſtomachus deglutire & concoquere valet quidvis, quod pro ſuâ voluntariâ cœcitate non perſpicit apertam involvere contradictionem, ideòque hoc ipſo non reformidat tam indigna & horribilia divinæ affingere fidelitati & miſericordiæ erga dilectam ſibi ſponſam Eccleſiam. Repeto. Decumanum abſurdum eſt, & quo non facilè magis injurioſum Chriſto excogitari poteſt, dicere: *Eum ædificaſſe quidem Eccleſiam, cui portæ inferorum non prævaleant; poſuiſſe eam columnam & firmamentum veritatis, idque pollicitum eſſe, ſe uſque ad ſæculi conſummationem ſervaturum per media ordinaria, Paſtores ſcil. & Doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in aſtutiâ, ad circumventionem erroris*; his tamen minimè obſtantibus, per 1000. annos ſubtractis veris Paſtoribus & Doctoribus, permiſiſſe ſubſtitui à Diabolo in eâdem Eccleſiâ AntiChriſtum cum miniſtris ab eo auctoratis; ad quorum inſtructionem ſe deberent conferre, quotquot vellent ſalutem conſequi; Sanctos verò (utopicos illos latibularios) haud ab aliis, quàm ab AntiChriſti Miniſtris inſtructos, ſpeciali Spiritûs S. dono diſcernere verum à falſo, Chriſtianum ab AntiChriſtiano &c. Hæc & ſimilia paradoxa concoquere qui poteſt, & ſibi perſuadere eſſe vera, imò gloriari noſtra *infirma omnia & arenoſis niti fundamentis: ſuum verò dogma ſtare invictum* &c. iſte inquam, an habeat ſanum ſynciput, & an contra mentem non loquatur, non poſſum non vehementer dubitare. Judicent his lectis, quotquot ſunt viri aliàs periti & moraliter boni, etiam inter Proteſtantes, (extra tribum illam Levi,) & decernant, an non grandiſſimi paradoxi aſſertor ſit Muſæus. Nec dubitem hâc unâ conceſſâ machinâ Muſæanâ, Atheos & Paganos, quicquid eſt Chriſtianiſmi, funditùs evertere poſſe. Nunquàm Muſæus Sinenſi Philoſopho talia objicienti in dialogo ſatisfaciet, ſed potiùs ab omni Chriſtianâ Religione averte[t].

Circa IV. Paradoxum ſuum, de efficaciâ Verbi divini independente à proponentis miſſione legitimâ &c. Muſæus pro ſuâ nervoſitate Laconicâ, quatuor Diſputationibus

Digitized by Google

tantùm 278. paginas implevit, è quibus nonnulla (præſertim quæ Diſp. 8. de propoſitione ſufficiente juxta Lutheranos & Diſp. 9. de propoſitione ſufficiente juxta Catholicos) examinabuntur infrà, cùm in ſecundo Trophæo Motivum Fidei Lutheranæ excutietur. Hic modò obſervandum. I. Per negatam à nobis in adultis ignorantiam invincibilem veræ Eccleſiæ & Fidei, illa ſimul & ſemel præciſa eſſe univerſa, quæ de propoſitione Fidei per quemcunque factâ, huic Hypotheſi Muſæus ſuperſtruit. II. Muſæum vel imperitè vel fraudulenter confundere, ***efficaciam vimque verbi divini, cum infallibilitate doctrinæ propoſitæ***, indéque mox Diſp. VII. initio Catholicis ***purum putum Donatiſmum*** ab orco revocatum opprobrat, ſed iniquiſſime. Quicquid enim de hoc Donatiſtæ ſenſerint, Nos non efficaciam prædicationis, ſed infallibilitatem ex connexione & dependentiâ prædicationis, cum Auctoritate Eccleſiæ mittentis & inſtituentis Miniſtrum dicimus dependere. Quæ hic vel umbra Donatiſmi? Nihil ad rem faciunt, quæ deinceps à num. 36. ad 55. de intruſis in ſedem Romanam per vim Romanis Pontificibus, qui proinde cum ipſimet legitimè miſſi non ſint, neque alios mittere, & auctoritatem conferre potuerunt; & quæ à num. 68. ferè uſque ad finem de praxi veteris Eccleſiæ contra eos, qui Baptiſmum vel Ordinem extra Eccleſiam Catholicam collata, irrita pronunciarunt. Idem nos planè damnamus; nec efficaciam prædicationis à probitate Prædicatoris per ſe dependentem ſtatuimus, ut dixi. Vis autem illa, quam à Tyrannis, vel quomodocunque paſſa eſt. S. Sedes Apoſtolica, ſæculo præſertim illo ferreo, nihil præjudicavit Catholicæ Eccleſiæ, cùm non ſecùs acſi interea ſedes vacaſſet, cæteri Antiſtites auctoritatem à ſede Apoſtolicâ anteà obtentam potuerint in alios propagare. Neque enim requiritur ad legitimam miſſionem, ut immediatè à Rom. Pontifice, eóque indubitanter legitimo proceſſerit, ſufficit ſaltem mediata, quæ etiam, cum tempore Schiſmatis incertus eſt pontifex, quovis modo approbata, etiam à tali incerto cognoſcitur: ſic enim ſufficienter conſulitur Catholicæ doctrinæ infallibilitati.

III. In 1. partis Diſp. ultimâ *Erbermanni argumentum ex doctrinâ de propoſitione Fidei petitum, quo verbum DEI in aliis extra Papatum Eccleſiis efficax non eſſe probatum ivit, impugnatur: noſtrum verò ex promiſſione divinâ Eſai. LV.* 10. *deſumptum, quæ in iisdem eſt, efficax eſſe evincitur, ab Erbermannianis exceptionibus vindicatur,* inquit Muſæus in ipſo diſputationis titulo. Conferamus nunc meam objectionem, ſeu expoſtulationem cum Muſæanâ reſponſione. Sic inquiebam ego: Quis niſi excors jam credat Muſæo & Sociis cum Luthero vociferantibus; etiam ubi AntiChriſtus & Spiritus fanatici regnant, ibi, quamdiu manet baptiſmus cum Bibliis, manere quoque ſemen aliquod veræ Eccleſiæ proprium, & conſequenter ſanctos; ſiquidem ***Verbum DEI nunquam redit vacuum.*** Iſai. 55. 10. Heu miſeros Saxones, quibus tam cœca nox uſque huc incumbit, ut ipſiſſima hæc τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ non penetrent. Pari modo diabolus Matth. 4. Scripturâ uſus eſt, truncando nempe, quæ ſi integrè è Prophetâ recitentur, mox vaniſſimum ſubruitur commentum. Sic verò ille ex ore DEI infit: ***Quomodo deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc non revertitur, ſed inebriat terram, & germinare facit eam, ut det ſemen ſeminanti & panem comedenti; Sic erit verbum meum, quod egredietur de***

Digitized by Google

ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quod uſque volui, & proſperabitur in iis, ad quæ miſi illud. Quomodo ergo verbum DEI in vobis ſimilibúſque Erronibus proſperabitur, cùm vel ad vos miſſum non ſit, aut ſi legitimè miſſum advertiſtis, præfractè tamen repudiaſtis? Verbum DEI non eſt ſolus exterior cortex Literæ, qui ſpiritu S. teſte occidit, ſed eſt potiùs verus ſenſus & ſpiritus, qui vivificat. Vos verò affines eſtis illis prophetis, quos DEVS apud Ierem. c. 23. queritur *ſomniantes mendacium furari verbum ſuum* &c. Quid? nunquid & Hebræi adhuc hodie in ſuis ſynagogis tam bene verbum DEI recitant (vel potiùs corticem literæ) ac ulli Lutherani? An ideo in illis proſperatur? Et cur magis apud vos? Hactenus ego in parall. qu. 111. §. 10. Item in Oſtens. Summariâ Titii §. 20. Quid ad hoc reponit Muſæus? Poſt recitatam G. Sanctii paraphraſin [*quòd ſicut nubes &c. ſic Verbum DEI fœcundet & impinguet animos*] ſubdit: *Hæc promiſſio nec ad certum tempus, locum aut gentem reſtricta, ſed ad peccatores ubique.* Bene! quid tum? *Non tamen intelligenda in ſenſu diſtributivo, & determinato, ſed in disjunctivo & confuſo, quòd ubi prædicatur, vel in his, vel in aliis quibusdam efficax evadat.* Tranſeat & hoc. *Vt autem in cœtibus amplioribus Proteſtantium & Reformatorum* (cur non & addis Anabaptiſtarum, Quackerorum, Iudæorum &c.) *planè prædicetur abſque fructu, tam non fieri poteſt per iſtam promiſſionem DEI, quàm fieri non poteſt, ut &c.* Sed hæc eſt gloſſa voluntaria Muſæi, non textus Iſaiæ, qui certè nomine DEI promittit, verbum ſuum *effecturum, quodcunque volet* &c. Vbi autem voluit Deus, ut verbum ſuum proſperetur in his, ad quos vel non miſſum eſt, vel qui nihil certum & infallibile habent de verbo DEI non ſcripto, & de ſcripti Canone, Textu, Senſu: tales quippe ſegreges nihil habent, præter corticem verbi divini, & ideo juxta S. Hieronymum dicuntur *cum pſeudoprophetis furari verbum*, id ſcil. detorquendo ad ſuorum phantaſmatum idola. Auſitne hoc Muſæus negare de Quackeris? At idem eſt de Lutheranis &c. Nec aliud ex totâ hâc diſp. X. Muſæi extundi poteſt, quo ſplendidæ illi in titulo exhibitæ pollicitationi ſatisfiat. Sed manet manebitque ſemper hoc non poſtremum ex innumeris exemplis exercitæ impiæ carnificinæ in ſacram paginam; de quâ infrà Trophæo III.

DIGRESSIO OPPORTUNA

Expoſtulans de atroci calumniâ Admodum Reverendo Patri N. Generali, JOANNI PAULO OLIVÆ inflictâ.

VIx nupero menſe Novembri orſus eram hæc Trophæa, cùm accepi cujuſdam Anonymi (ut ferebatur, Nemetis Pædotribæ, vel Polyhiſtoris) COMPARATIONEM inter Jacobum Reihing, & Andream Wigand Ex Jeſuitas; in quâ Rapſodiâ, præter alias ineptias, deprehendi quoque calumniam impingi Adm. R. P. N. OLIVÆ, dum pag. 42. in carmine vernaculo hos protruſit rhythmos:

Hatt nicht OLIVA ſelbſt vor kurtzer zeit geſtanden/
In dem beruffenem Rom/ wie zeugnüß iſt vorhanden/
Daß in dem Lutherthumb man nicht den Irrweg gehe/
Und ihnen eben wohl der Himmel offen ſtehe?

Id eſt. *Nunquid ipſe P. OLIVA non ita pridem Romæ faſſus eſt, ut teſtibus idoneis conſtat, Lutheraniſmum non eſſe viam perditionis, & illam ſectantibus æquè patere cœlum?* Hanc porrò aſſertionem probat è libro Sigiſmundi de Bircken, qui in VLYSSE à ſe anno 1669. edito, peregrinationis Sereniſſimi D. CHRISTIANI ERNESTI Marchionis Brandeburgici hiſtoriam iſto commento pag. 127. 128. 154. 155 fœdè contaminavit. Quæ ubi perlegi, de impoſturâ dubitare non potui. Vt tamen rei veritatem ex ipſo fonte haurirem, eas ipſas paginas 42. & 43. è parallelis Anonymi Nemetis abſciſſas miſi P. Athanaſio Kirchero Romam, ut ipſo interprete cognoſceret Adm. R. P. N. Generalis OLIVA, quid Calumniæ de ipſo, non ſine gravi ſcandalo, jactaretur per Germaniam. Reſpondit P. Athanaſius 2. Ianuarii ut ſequitur: *Prælegi ſtatim Adm. R. P. N. Generali ultimas, prout à me Rev. V. efflagitaverat. P. N. primum quidem hæſit attonitus ad tantam novitatem; poſtea tamen ſe recolligens, Calumniam animo tulit, quo ſolent viri DEO dati, & Apoſtolico ſpiritu pleni. Arriſit quoque Eidem liber, quem præ manibus habet Rev. V. cui titulus TROPHÆA ROMANA &c. ad calumniam editis libellis jam ſparſam penitùs opprimendam, quod omninò à Rev. V. fieri deſiderat.* Et infrà ſubdit. *Ego ſanè præſens fui, quando hìc Romæ nuper Adm. R. P. N. viſitavit Epiſcopiſſam Oſnabrugenſem in præſentiâ Mariti Sereniſſimi Ducis Luneburgici, & ad eam hinc diſceſſuram in hæc verba prorupit:* Sereniſſima Domina, Forſan nec ego, nec Ser. V. neque in hâc neque in alterâ vitâ nos unà videbimus, niſi (quod unicè opto) à viâ erroris diſceſſerit, & vitam duxerit Chriſtiana-Catholicâ dignam. Hactenus P. Athanaſius. His pro utrâque parte lectis & conſideratis.

§. *DICO I.* Anonymum illum Nemetem, niſi vellet haberi *levis corde*, non debuiſſe tam facilem eſſe credendo, & rem per ſe improbabilem, & relationi Vlyſſis iſtius non uno ex capite ſuſpectæ. Nam & aliqua miſcet aperte falſa, ut: quòd P. OLIVA fuerit tunc etiam Confeſſarius ALEXANDRI Papæ VII. quòd fuerit Vicarius Generalis; cùm tamen conſtet, Eum non niſi æſtate ſequenti 7. Iunii à Congregatione Generali, quæ ante Majum cœpta non erat, electum. Item pag. 153. dicit, Papam Alex. VII. in *Cavalcata* ad Templum PP. Dominicanorum, ornatum Pontificalibus, & triplici coronâ redimitum, & poſt meridiem ſimiliter ad S. Petrum iviſſe &c. Et plura tam malè inter ſe cohærent, ut cuivis ſagaci, nec temerè credulo juſtam præbeant cauſam ſi non negandi, ſaltem ſuſpendendi ſuum aſſenſum. Quis prudens ſibi perſuadeat, P. Olivam, quem Vlyſſes fingit ſimul,

Digitized by Google

mul & Papæ Confeſſarium, & Concionatorem, & Societatis univerſæ Vicarium Generalem *negotiorum mole obrutum* (ut ipſe his ipſis in vernaculâ verbis pag. 154. refert) quinque horis cum Lilio diſputaſſe de Religione, eundem (cùm jam fortè ſciret eſſe Lutheranum Miniſtrum) ad ſe invitaſſe, arctiſſime complexum, eidemque elegantem picturam in ſui memoriam donaſſe? Hæc & ſimilia non poſſunt ulli iſtarum rerum perito (qualis tamen Polyhiſtor ille vel maximè in ſuis Parallelis haberi vult) & prudenti veriſimilia videri.

§. *DICO. II.* Sigiſmundus ille Vlyſſis Brandeburgici Homerus non honoravit, ſed ignominiâ affecit Sereniſſimi Principis ſui Peregrinationis Hiſtoriam, tot fœdis maculis, imò calumniis conſpurcando; ſive id egerit prece, vel pretio conductus à Superintendente Lilio, ſive motu proprio, quòd crederet ſe præſtare obſequium DEO, hâc occaſione Evangelio Lutherano tam gnaviter velificando. Nam inprimis non refert Sigiſmundus prædicta, tanquam à ſe coram viſa-&-audita. Ergò vel ea confinxit ipſe è proprio cerebro, vel hauſit ab aliis, aut aliquo eorum, qui iis actionibus inter fuére. Si primum; infamavit totum ſuum opus, & ſereniſſimo Principi poſuit, quantum in ſe, maculam in gloriâ. Si ſecundum; ergò particeps eſt veluti inſtrumentum voluntarium per totam Germaniam debuccinantis thraſoniſmos, & mendacia Superintendentis Lilii. Ex hoc uno enim ferè omnia eſſe excerpta (niſi Sigiſmundus à ſe conficta, ſponte fateatur) non obſcurè ex ipſo narrationis contextu colligitur. Nam in actis diſputationis neminem refert fuiſſe præſentem, præter ſereniſſimi Præfectum D. Borckium, dudum ante Vlyſſis editionem defunctum, & quendam aulicum Pontificium. E quo ergò alio, niſi ex Superintendente Lilio? Huic autem victoriam de Generali Ieſuitarum obtentâ jactanti, quomodo poterat prudenter adhibere indubitatam fidem? cùm & præſumptio ſtaret pro P. Olivâ Ieſuitarum Generali, & nullam habeat apparentiam, Patrem *mole negotiorum obrutum*, ſponte ſuâ capturum occaſionem diſputandi, tot horis continuandam, de materiâ tam gravi & multiplici. Omitto alia, quæ cuivis prudenti facilè ſuſpectam reddent jactantiam vaniſſimam Lutherani Inſpectoris.

§. *DICO III.* Non niſi per atrocem calumniam, & peſtilens ſcandalum, gemino illo Opuſculo (& Beyreutenſis Vlyſſis & Nemetis Polyhiſtoris) per univerſam Germaniam ſparſum eſt, P. N. Generalem Olivam ſenſiſſe, aut ſaltem allegatis verbis ſignificaſſe, *ſperare ſe bene de ſalute à Lutheranis per fidem ſpecialem in meritis Chriſti defixam obtinendâ.* Thraſonicum iſtud ac olidum mendacium eſt (ſi Homerus Beyreutenſis non ipſe finxerit) Inſpectoris Lilii, quòd P. Olivam ſuorum argumentorum pondere ita oppreſſerit, & inclinârit, ut inde hic in illius amplexus ruens arctiſſimos, proruperit in affectus & verba, quæ nec in qualicunque Catholico Laïco tolerari poſſent. Malignum genus hominum Lutherani Prædicantes, *quibus & cùm benefeceris, pejores fiunt*, identidem vociferabantur antehac, ſuiſque perſuaſum ibant, Romæ *beſtiam Apocalypticam*, ſive magnum Anti-Chriſtum illum, *ſanguine Sanctorum* (Lutheranorum ſcilicet) *ebrium*, incredibilem & in conſcientias & in corpora tyrannidem exercere. Nunc, cùm experientiâ tot Sereniſſimorum, & Illuſtriſſimorum Romam peregrinantium conſtet, à Curiâ Romanâ, & ipſis etiam Ieſuitis, (quos juratos, & hæreditarios Proteſtantium

hoſtes

Digitized by Google

herrühren und bey Menſchen mehr auff der Zung als im Hertzen ſitze / welches endlich / wo es anders noch einiges Liecht hat / bey Chriſto und deſſen Verdienſt ſein letztes Refugium ſuchet / und krafft ſolches Glaubens auß lieb / dem Nechſten den der Mund verdammet / neben ſich den Himmel gunnen und zuſchätzen muß. *Hoc eſt.* Hinc claret, quòd Zelus Religionis indiſcretus oriatur ex merâ pervicaciâ, & commodi temporalis reſpectu, & apud nonnullos linguæ potiùs quàm cordi inhæreat: qui tandem, modò aliquid adhuc lucis retineat, apud Chriſtum ejúſque merita refugium quærat, & vi talis fiduciæ ex Charitate, proximum, quem ore condemnat, cœleſtis gloriæ olim fore participem, fateri cogitur. Ita inſignis ille Criticus, qui ſanè præter jam explicatam calumniam, & nimis temerarium judicium de intentione talis viri, oſtendit quo tendant omnia ſua commenta, nimirum ut in Errore ſive Lutherano ſive Indifferentiſtico firmet credulos Lectores, & perſuaſum reddat, etiam è Pontificiis præcipuos eſſe Hypocritas, qui aliud corde in graviſſimo Religionis negotio teneant, & ipſam Religionem apud illos eſſe nihil aliud, quàm obtentum ſpecioſum, & fucum politicum juxta Machiavelli infernale Magiſterium. Sed nihil opus hærere diutiùs in hujus injuriæ gravitate explicandâ, cùm è toto capite IX. cui hanc veluti Appendicem junximus, liquidò conſtet, quàm alieni ſint omnes Catholici ab illo Muſæi errore, quòd extra Eccleſiam Catholicam detur ſalus. Nunc redeamus in viam.

CAPUT DECIMUM,
Culpam ſchiſmatis penès ſolos Lutheranos eſſe demonſtratur.

MVſæus p. 2. diſp. IV. à. num. 35. ad 146. nactus campum patentiſſimum, loquacitati ſuæ conſuetæ ad libitum indulget. Sed in re apertiſſimâ paucis nuda rei veritas oſtendi poteſt. Eſto, habuerit Lutherus primò non injuſtam contra Quæſtores Indulgentiarum querelam. Dato etiam, quòd omnia intentione purâ gloriæ divinæ, nihil livore aliâve paſſione incitatus in toto eo negotio fecerit, (quod credibile non eſt, conſideratis Lutheri ſcriptis & actis:) ſemper tamen manet evidentiſſimum, hâc occaſione Eundem aſſeruiſſe articulos XLI. à Leone X. (qui ipſo Luthero eodem tempore, conceptis verbis atteſtante erat *Daniel, Ezechiel, Agnus, cujus innocentiam ipſe tutatus ſit, cujus celebratior & auguſtior ſit in omni terrarum orbe, tot tantorum virorum literis cantata opinio, & vita inculpata fama, quàm ut à quovis vel maximi nominis poſſit quâvis arte impeti*) damnatos, ſed ab ipſo pertinaciſſimè ita defenſos, ut maluerit cum omnibus ſibi adhærentibus anathemate percelli, & ab Eccleſiâ præſcindi, quàm palinodiam vel circa unicum illorum cantare. Hæc neque Muſæus negaverit. Iam ex omnibus iſtis articulis accipiamus vel unicum, nempe illum ipſum XXXVI, quem Lutherus vocat *optimum, & rerum ſuarum ſummam, præ quo reliqui de Indulgentiis, Purgatorio, Papâ &c. ſint nugæ, nempe li-*

Digitized by Google

pe liberum arbitrium, poſt lapſum Adami, eſt res de ſolo nomine & titulo, & ſi faciat, quod in ſe eſt, peccat mortaliter. Hic articulus jam ante 1200. annos in Manichæis tanquam Hæreticus ſemper damnatus, per Lutherum ab orco revocatus, talis eſt, ut nec ipſi Lutherani illum ampliùs ſuſtineant, quod a Calvinianis, qui librum illum Lutheri de *ſervo arbitrio* Neapoli in Palatinatu anno 1580. ſeorſim recuderunt, illis tanquam Lutheri deſertoribus in præfixâ ad Lectorem epiſtolâ exprobratur. G. Calixtus etiam candide fatetur, rigidum illud de fatali neceſſitate dogma à Lutheranis circa annum 1580. agente præſertim Ægidio Hunnio, deſeri cœptum eſſe. Itaque vel ob hunc ſolum articulum hæreticum pertinaciſſime defenſum juſta fuit excommunicatio, & conſequenter iniqua ſeparatio & ſchiſma Lutheri. Nec poſſunt hoc ullo veritatis colore magis negare Lutherani, quàm affirmant, ſe juſtè à Zwinglianis anathemate multoties à Luthero perculſis ſeparari, culpâ ſchiſmatis penes ſolos Sacramentarios ob realem præſentiam corporis Chriſti abnegatam remanente. Ponamus, ſuſpendiſſe Leonem X, uti petebat Lutherus, ſententiam decretoriam de articulis Lutheri, pace aut induciis ipſum inter & Dominicanos indictis; Zwinglium verò omnéſque aſſeclas ab eodem Leone ob Sacramentariam Hæreſin anathemate percuſſos: quis Lutheranorum in quæſtione de culpâ Hæreſis, & ſchiſmatis contractâ cauſam in Zwinglio inficiabitur? Quodſi fortè quis è Lutheranis regereret, evidenter juſtam eſſe Zwinglianæ Hæreſeos damnationem, cùm ipſe Zwinglius faſſus ſit, ſe ſuum de Euchariſtiâ errorem hauſiſſe à ſpiritu, quem albus aterve ſit, neſciverit. Verùm plùs hæc exceptio nocet, quàm prodeſt Lutheranæ parti. Zwinglius adhuc dubitabat, à quo ſuum dogma accepiſſet ſpiritu: Lutherus autem verbis tam perſpicuis, quæ in latinis & germanicis ejus Tomis extant, profeſſus eſt, ſe à nocturno diſputatore Cacodæmone convictum, præcipua ſuæ doctrinæ capita hauſiſſe; ut jam ab annis plusquàm LX, poſt P. Nicolai Serarii opuſcula de *Lutheri Magiſtro* (in quibus rei veritas demonſtratur, & frivola effugia Frid. Balduini efficaciſſime præcluduntur) nemo id denuò in dubium revocare, & evulgato ſcripto oppugnare auſus ſit. Muſæus ægrè audit, quæ de hoc nocturno Diſputatore, Lutheri Magiſtro, toties opprobrantur, dicitque num. 82. *impudentiam Erbermanni, niſi cum veritate* Lutheraniſmi *agnitâ, omnem etiam pudorem, & verecundiam abjeciſſet, cohibere aut ſaltem confundere debuiſſet, Proteſtantium in Comitiis promptitudo, quâ ſe offerebant ad probandum, &c.* Verùm hîc nulla eſt impudentia niſi Muſæi & ſociorum, qui nec verba Lutheri toties Latinè, & Germanicè Wittebergæ & Ienæ excuſa, negare, nec Magiſterium illud Acheronticum è confeſſione nimis apertâ Lutheri refellere, ullo veritatis colore poſſunt; tamen à Nobis ſaltem *ob venerationem Proteſtantium in Comitiis Auguſtanis* diſſimulari & taceri vellent. Sed iniquum petit Muſæus cum præconibus Lutheranis, (quos ipſe audivi plùs vice ſimplici in ſuis Concionibus illlud de Zwinglii Doctore, dubium albo an atro exaggerari) Non credit ſe quicquam contra reverentiam Regum, & Principum Religionis reformatæ admittere, illam Zwinglii confeſſionem Sacramentariæ Hæreſi opponendo; quâ æquitate à Nobis poteſt poſtulare, ut diſſimulemus, vel violenta interpretatione patiamur aboleri tam candidam Lutheri *confeſſionem Papiſtis factam* (ut ipſemet loquitur ſub initium Tractatùs de miſsâ privatâ, & unctione ſacerdotum) de ſuâ illa diſputatione

cum

Digitized by Google

cum Dæmone, cujus argumentis ceſſit. & exinde doctior factus Eccleſiæ Catholicæ doctrinam de Tranſubſtantiatione, Sacramento ordinis, Invocatione Sanctorum, Eccleſia inviſibili, Verbo DEI non ſcripto, VII Sacramentis, Iuſtificatione &c. deſeruit, ut l.c. Serarius, ad quem remitto Muſæum, certus quòd omni ſuo multiloquio, nervoſas ejus & perſpicuas demonſtrationes nunquam ſit eliſurus, quod quidem hactenus poſt infelices conatus Frid. Balduini & Rhetoris Roſtochienſis neminem vel tentaſſe comperi. Et tamen res ea talis & tanta eſt, ut ex unius illius notitiâ, omnis Vos inter & Nos contentio de Religione finiri, & amica tandem pax & concordia componi poſſit. Credo equidem ſi Lutherus, mox poſtquam ea cum Tenebrione ſtygio diſputatio peracta fuit, anno ſcil. 1518. vel 19. ita candidè, ut poſtea anno 1533. factum evulgaſſet, non facilè habiturum fuiſſe, quos poſtea catervatim accepit, ſchiſmatis infauſti ſectatores: at quia ſpatio illius, quod intercurrit, duodecennii tantum ſibi peperit plauſum, & auctoritatem apud Proceres æquè ac vulgus, ut (quod ipſe non vanus in hoc augur vaticinabatur) *etiam ejus fimum venerarentur*; hinc factum, ut etiam videntes non videant, & intelligere nolint, quod cuivis menti, abſque paſſione rem conſideranti ultrò ſe ingerit. Hinc & factum, ut Hyperaſpiſtes Lutheri Wittebergenſis Frid. Balduinus apud N. Serarium in Apologiæ cap. 32. eò delapſus ſit cæcæ, & temerariæ impietatis, ut non modò Lutherum, ſed ipſum quoque Dæmonem ejus Magiſtrum defendere non erubuerit, dicens; omnia, quæ tanta verborum, pſeudoſyllogiſmorum, contumeliarúmque copiâ contra Catholicos *dixerat, diſputans cum Luthero Dæmon*, quæque plures apud Lutherum paginas occupant, omnia, ait Apologetes; *eſſe vera, verbo DEI conſentanea, è SS. literis exprompta*, nulla inſidioſâ captione, nullo fallaci ſophiſmate, nullo exitiali mendacio inquinata. Sed mittamus hoc tantiſper, dum paulò poſt gemino Dialogo liquidam veritatem oſtendero; interea quod veritas non dat, fingamus omnem illam diſputationem nocturnam non eſſe niſi purum putum ſomnium; ſupereſt nobis nihilominus altera, non minùs luculenta Lutheri confeſſio in Præfat. Tomi 1. Latini operum ejus, quâ ratione ipſe hæreſin ſuam de Iuſtitiâ imputativâ, & fide ſola juſtificante, à tempore Apoſtolorum inauditam fabricârit. Non pigebit hic ejus verba adnumerare. *Sentiebam tunc* (cùm circa annum 1518. vel 19. continui eſſent cum Papiſtis conflictus) *me coram Deo eſſe peccatorem inquietiſſimæ conſcientiæ, nec mea ſatisfactione placatum confidere poſſe. Non amabam, imo ODIEBAM juſtum & punientem peccatores DEVM, tacitaque ſi non blaſphemiâ, certe ingenti murmuratione indignabar* DEO, *dicens: Quaſi verò non ſatis ſit, miſeros peccatores & æternaliter perditos peccato originali, omni genere calamitatis oppreſſos eſſe per legem Decalogi, niſi DEVS per* Evangelium *dolorem dolori adderet, & etiam per Evangelium juſtitiam & iram ſuam intentaret. Furebam ita ſævâ & perturbatâ conſcientia: pulſabam tamen importunus Paulum, ardentiſſimè ſitiens ſcire, quid S. Paulus Rom. 1. illis verbis*: Juſtitia DEI revelatur in Evangelio, *vellet; donec miſerante Deo meditabundus dies, ac noctes connexionem verborum attenderem, nempe: Iuſtitia Dei revelatur in*

illo,

illo, ſicut ſcriptum eſt, Juſtus ex fide vivit. *Hic juſtitiam Dei cœpi intelligere eam, qua juſtus dono Dei vivit, nempe ex fide, & eſſe hanc ſententiam: Revelari per Evangelium juſtitiam Dei, ſcil. paſſivam, qua nos Dei miſericordia juſtificat per Fidem. Hic me prorſus renatum eſſe ſenſi, & apertis portis in ipſum paradiſum introire.* Ita Lutherus, qui etiam in lib. de ſummâ Mandatorum DEI clarè profeſſus eſt, *ſe neminem ſcire, qui de Fide & operibus rectè judicare potuerit, exceptis Apoſtolis: in cæteris libris nequaquam inveniri, ita ut mirum non ſit, eam doctrinam noſtris temporibus ita periiſſe & extinctam fuiſſe &c.* Quis hîc poſt tam manifeſtam profeſſionem de dogmate a temporibus Apoſtolorum incognito, & à ſe recèns invento, in dubium vocare poteſt, juſtam eſſe Eccleſiæ ſententiam, quâ illi anathema dicitur, & omnibus illud contumaciter defenſantibus? cùm præſertim illi jungerentur complures alii nihilo tolerabiliores errores, quales ſunt iſti à Leone X. damnati. I. *Hæreſis eſt dicere: Sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem. X. Peccatum nulli remittitur, niſi qui credit ſibi remiſſum. XIII. In Sacramento pænitentiæ idem poteſt fœmina & infans, quod Papa. XX. Chriſtiani docendi ſunt, excommunicationem potiùs amandam, quàm timendam. XXIX. Via facta eſt liberè contra Concilia agendi, & ea dijudicandi, & audacter profitendi omnia, quæ nobis vera videntur, ſive rejiciatur, ſivè approbetur à Conciliis. XXXI. Iuſtus peccat in quovis opere bono. XXXII. Opus bonum optimè factum, eſt peccatum mortale ſecundum ſtrictam juſtitiam Dei, ſecundum miſericordiam eſt peccatum veniale. XXXIV. Contra Turcas præliari eſt contra Deum pugnare, qui per Turcas noſtra peccata punit.* Omitto reliquos, quorum tam obſtinata defenſio non potuit aliud mereri, quàm anathema, omni Hæreſi & ſchiſmati debitum.

Dicet Muſæus. Hos articulos pleroſque non eſſe in Auguſtanâ Confeſſione, è quâ ſolâ ſimilibuſque ſymbolicis ſcriptis debeat dijudicari cœtûs Lutherani dogma. Reſp. Non inficior eſſe aliquantò cautiùs, & tolerabiliùs à Melanchthone conceptam, quæ adeò in nonnullis etiam catholicæ doctrinæ concinere videatur; ut non defuerit Hugo Grotius, vir aliàs raræ doctrinæ, & plures cum eo, qui cenſuerint, Eam poſſe cum Concilii Tridentini Decretis, & Canonibus conciliari; in quo quidem iſti haud mediocriter lapſi ſunt. Hoc certum, fuiſſe Auguſtanos illos articulos ſatis aſtutè ita conceptos, ut non ita apertè & craſsè, ac in Lutheri ſcriptis, paſſim emineant, ſed multa ambiguis locutionibus vel diſſimulent, vel ita proponant, ut in hanc vel illam partem ſine notabili violentiâ flecti poſſint; Vnde & Auguſtana illa Confeſſio olim vocari conſuevit *Cothurnus* cuivis pedi aptandus. Quicquid verò ſit de contextu eorum articulorum Auguſtanorum, plùs quàm notorium eſt, ſchiſmatis culpam reſidere apud omnes eos, qui maluerunt per Anathema ſeparari ab his, quibus erant antè conjuncti. Repeto hîc, quod in Expoſtulatione ſæpius Muſæo inculcavi, ſed ab eo conſtanter diſſimulatum. *Inimici noſtri ſint Iudices.* Græci ſcil. Rom. Eccleſiæ æmuli edicant, an non hæreſis multiplicis labe, & conſequenter etiam Schiſmatis, ſordeant Lutheranorum articuli? Si obliti eſtis, quâ ratione

ante

Digitized by Google

ante 100. ferè annos ab Hieremiâ Patriarchâ Conſtantinopolitano Majores veſtri è Tubingenſi Academiâ, unionem cum Græcis quærentes exploſi fuerint, tanquam obſtinati Novatores: in recenti memoriâ poterunt occurrere, quæ ante 30. annos Cyrillus Berrhoënſis, & Parthenius Conſtantinopolitani Patriarchæ, in Cyrillum Lucarim Luthero-Calviniſtam Synodali decreto ſtatuerint. Extat & Pariſiis & apud Batavos excuſum, quo anathema illi dicitur, quòd inter alios errores etiam hos ipſosmet veſtros Lutheranos aſſeruerit. I. *Eccleſiam poſſe fallere & falli.* II. *Nequaquam opera ſufficere ad petendam remunerationem in Chriſti tribunali.* III. *Sanctos non eſſe interceſſores pro nobis.* IV. *Non eſſe omnem hominem liberum ad bene agendum.* V. *Non eſſe ſeptem Sacramenta.* VI. *Non transmutari panem & vinum per Sacerdotis benedictionem & Spiritûs Sancti adventum in Corpus & Sanguinem Chriſti.* VII. *Piè defunctis non prodeſſe eleemoſynas & preces.* VIII. *Venerandarum imaginum cultum & relativam adorationem eſſe reſpuendam.* IX. *SS. Scripturam ſine interpretatione SS. Patrum recipiendam, repudiandas traditiones, quæ per orbem univerſum obtinuerunt, ſine quibus fides omnis noſtra in vanum & tenue nomen abiret, ut ait Baſilius M.* X. *Fidem ſine operibus ſalvare.* XI. *Non eſſe Eccleſiæ membra omnes, qui ejus myſteriorum cum fide ſunt participes. &c.*

Verùm enim verò his nihil obſtantibus, inſurgit Muſæus, & operosè nobis recenſet, quàm ſtudiosè ſui Majores & religiosè, quantum in ſe erat, vellent ſervare vinculum pacis & unionis cum ipsâ Romanâ Eccleſiâ, ejúsque capite, quantùmvis ipſiſſimo Anti-Chriſto, dummodo permitterentur juxta ſuam conſcientiam purum verbum DEI prædicare, Sacramenta juxta inſtitutionem Chriſti adminiſtrare &c. Reſp. Sunt omnia hæc, etſi in infinitum multiplicentur, nihil niſi otioſa verba, inaniſſimi obtentus & prætextus ad quomodocunque fucandam tam aperti Schiſmatis fœditatem: ut nunc diſſimulem, quod in Apologiâ Wigandi à Muſæo approbatâ, conceptis verbis pag. 59. dicitur contrarium, nempe, *Mox ab initio Reformationis Lutheranæ noluimus habere cum Romanâ Eccleſiâ ullam communionem* &c. Sed non dubito, invenient eximii illi Dioſcuri diſtinctionem ſimilem illis, quas mox ad finem hujus Capitis exhibet Muſæus, & quæ tam ſit ſubtilis, ut (juxta criſin & phraſin Wigandi Apol. p. 1.) *bardi Jeſuitici Onocephali* intelligere nequeant. Hoc certè nihil aliud foret, quàm ex Eccleſiâ viventis DEI facere confuſionem Babylonicam, admittendo nempe omnes quovis modo Chriſtum profeſſos in unionem Fidei & Charitatis, quod grande nefas eſt. Vnde optime S. Aug. Ep. 119. & 20. pronunciavit: *Quamvis Eccleſia Catholica inter multam paleam multáque Zizania conſtituta, multa toleret: tamen quæ ſunt contra fidem, & bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.* Nimis clara ſunt verba Salvatoris, quibus Matth. 7. jubet nos *cavere à falſis Prophetis*, itémque *à Lupis rapacibus* &c. & Apoſtoli 2. Cor. VI. *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ Societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* &c. & Ioan. Ep. II. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis* &c. Hæc & ſimilia clariora ſunt, quàm ut à Muſæo poſſint

Digitized by Google

omni ſuo multiloquio & diſtinctionibus rationis delirantis elidi vel eludi. Vt enim ex ſequente Trophæo conſtabit, quantúmvis in omni ſegrege cœtu habeatur Baptiſmus & S. Scriptura; & conſenſus ſit etiam in plerisque articulis; ſemper tamen pertinax diſſenſus etiam in paucis, etiam unico articulo efficit, ut diſſenſus in formali objecto abſorbeat & extinguat omnem conſenſum in cæteris omnibus materialibus objectis &c. Quod denique Muſæus tam magnificat illam Proteſtantium promptitudinem coram Cæſare & Statibus Imperii, qui ſe *offerebant ultrò ad probandum, quam in Confeſſione Auguſtanâ profeſſi eſſent doctrinam Fidei, quoad rem eſſe ipſam illam à Chriſto ejúſque Apoſtolis traditam, & Spiritu S. inſpirante in literas relatam doctrinam, quam Eccleſia Catholica inde ab initio conſtanter eſſet amplexa, quam tamen lucifugi adverſarii audire non cupiebant* &c. Item quòd alibi queritur, *ſuos nec auditos nec convictos à Papâ fuiſſe damnatos* &c. Hæc, inquam, & ſimilia plùs non probant, quàm idipſum, quod nos ultrò profitemur, nempe omnium Hæreſiarcharum (ſi unum excipias Sacramentariæ præcipuum Ductorem Berengarium) ſemper fuiſſe eam obſtinationem, ut nulli Eccleſiæ auctoritati cedere, aut ſe convictos fateri voluerint. Hoc ſuperbiſſimum genus mortalium, qui juxta Lutheri propoſitionem jactant [*Viam factam eſſe liberè contra Concilia agendi, & ea dijudicandi, & audacter profitendi omnia, quæ nobis vera videntur, ſive rejiciantur, ſive approbentur à Conciliis*] quique cum Luthero, *LEGEM INTERPRETANDI VERBVM DEI NON PATIVNTVR, nec curant mille Cyprianos, mille Auguſtinos* &c. hoc, inquam, genus mortalium à nullâ hominum vel Angelorum, ſed *ſolâ omnipotentis ſapientia* convinci poteſt. Jam ante 1400. annos Tertullianus in aureo de præſcriptionibus libello oſtendit, ex 1. Tim. 2. & 2. Tim. 1. *prohiberi nos quæſtiones inire, novis vocibus aures accommodare, Hæreticum poſt unam correptionem convenire. Ergo non poſt diſputationem. Adeò interdixit diſputationem, correptionem deſignans cauſam Hæretici conveniendi, & hoc unum, quia Chriſtianus non eſt: ne more Chriſtiani ſemel & iterum & ſub duobus aut tribus caſtigandus videretur; cùm ad hoc ſit caſtigandus, propter quod non ſit cum illo diſputandum* -- item ibidem. *Quia nihil proficit congreſſio ſcripturarum, niſi planè ut aut ſtomachi quis ineat everſionem, aut cerebri. Iſta Hæreſis non recipit quaſdam ſcripturas; & ſiquas recipit, adjectionibus & detractionibus ad diſputationem inſtituti ſui intervertit, & ſi recipit, non recipit integras, aut ſi aliquatenùs integras, nihilominùs diverſas expoſitiones commentata convertit. TANTVM VERITATI OBSTREPIT ADVLTER SENSVS, QVANTVM ET CORRVPTOR STYLVS. Quid promovebis, exercitatiſſime Scripturarum, cùm, ſiquid defenderis, negetur ex diverſo: ſiquid negaveris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes niſi vocem in contentione, nihil conſequeris niſi bilem in blaſphematione* &c. Hactenus Tertullianus, cujus hæc & reliqua in hanc rem dicta confirmabuntur ex iis, quæ in ſeqq. Trophæis de Animâ univerſæ Hæreſis, & SS. Scripturæ Carnificina dicentur.

Ex quibus omnibus ultrò evaneſcit, quod affert & jactat Muſæus de promptâ ſuorum oblatione ad demonſtrandum, convenire Auguſtanam Confeſſionem reipsâ cum SS. Scripturis, & doctrinâ, quam Catholica Eccleſia ab initio eſt conſtanter amplexa. Quam ampullationem nimis hyperbolicam vel ſola Lutheri verba, paulò antè recitata convincunt, imò ipſe Auguſtanæ Confeſſionis articulus X. cùm ait. *Doctrina de Fide, quam eſſe oportet in Eccleſiâ præcipuam, tamdiu jacuit ignota, quemadmodum fateri omnes neceſſe eſt,*

de

Digitized by Google

de juſtitiâ Fidei altiſſimam fuiſſe ſilentium, nempe à tempore Apoſtolorum, niſi Lutherus ſit mentitus. Denique ex omnibus prædictis liquidò conſtat, omnem laborem, quo à Proteſtantibus culpam ſchiſmatis amoliri ſatagit, eſſe prorſus inanem. Unde, ſi vellem vaniſſimum ejus multiloquium ſingillatim confutando inſequi, nihilo plùs meritò viderer agere, quàm hircum mulgenti cribrum ſupponere, aut Æthiopem lavanti aquam haurire. Muſæus cumulatiſſimè implet illud S. Auguſtini: *Facilè eſt cuiquam videri reſpondiſſe, qui tacere noluerit* Dilemma hoc ſine dubio apud quemvis ſani judicii eſt urgentiſſimum & peremptorium. [Eccleſia Romana vel eſt vera Chriſti Eccleſia, & ſic nulla, nulla unquam poteſt eſſe juſta voluntariæ-ſeparationis-paſſivæ cauſa; Vel eſt Synagoga AntiChriſti & Satanæ; & ſic nulla, nulla unquam poteſt eſſe juſta excuſatio communionis cum illâ.] Muſæus tamen audacter pronunciat, *ſtramineum & papyraceum utrumque cornu illius*, creditque ſe vim ejus elidere, aut ſaltem eludere, ope duplicis diſtinctionis quodlibeticæ, vel potiùs chimericæ; quarum priorem de Eccleſiâ verâ, prout falſæ opponitur vel contradictoriè, vel contrariè, jam ſuprà cap. IX. excuſſimus; poſterior verò, quæ diſtinguit inter communicationem in aliquibus, & inter communicationem in omnibus, illam licitam cum AntiChriſti regno, hanc illicitam &c. *ἀυτὸς ἔφα ! ἰοῦ ! ὑπέρευ !* Nunquid juxta hanc diſtinctionem fas erit communicare cum Dæmone, modò non in omnibus, & præſertim, in iis quæ ad regnum Diaboli pertinent? Quis Caſſander, Marc. Antonius, Calixtus, imò & Rhetorius apud S. Auguſt. hæreſ. 72. patentius oſtium aperuit Indifferentiſmo & Atheiſmo? Piget tam ſpiſſæ vaniloquentiæ pluribus immorari: juvat potiùs hoc primum Trophæum gemino coronare Dialogo, quorum prior fideliter repræſentet Diſputationem Lutheri cum Diabolo; poſterior exhibeat Epicriſin Nic. Serarii Jeſuitæ & F. Balduini Superintendentis Lutherani ſuper illâ.

DIALOGUS PRIOR
Inter Diabolum & D. Lutherum.

DIABOLVS. Valdè tu quidem Tibi. Luthere Doctor pereruditè, places & exultas, *quaſi in Paradiſum admiſſus, quòd poſt longam pulſationem* inveneris nuper de Iuſtitiâ Chriſti per fidem tibi imputatâ doctrinam; & tamen pergis adhuc, uti anteà, Miſſas angulares celebrare, quod certè cum illo dogmate non concinit.

LVTHERVS. Non inficior, me ex illâ rixâ cum Tetzelio cæteriſque Indulgentiarum Quæſtoribus non modicè turbatum, adeòque *ſenſiſſe me coram DEO eſſe peccatorem inquietiſſima conſcientia, nec amaſſe, imò ODISSE juſtum & punientem peccatores DEVM*, donec inveni illam in Evangelio revelatam Dei juſtitiam: *quâ unâ inventâ me prorſus renatum ſenſi, & apertis portis in ipſum Paradiſum introiſſe.* Quidni verò hæc fides cum Miſsâ etiam privatâ belle conveniat?

DIAB. Quidſi tales Miſſæ privatæ eſſent horrenda idololatria? Quidſi ibi non adfuiſſet Corpus & Sanguis Chriſti, ſed tantùm panem & vinum adoraſſes, & aliis adorandum propoſuiſſes?

LVTHER.

Digitized by Google

LUTHER. *Sum unctus ſacerdos : accepi unctionem & conſecrationem ab Epiſcopo : & hac omnia feci ex mandato & obedientiâ Majorum. Quare non conſecraſſem, cùm verba Chriſti ſeriò pronunciarim, & magno ſerio Miſſas celebrarim ? Hæc noſti.*

DIAB. *Hoc totum eſt verum; ſed Turcæ & Gentiles etiam faciunt in ſuis templis omnia ex obedientiâ, & ſeriò ſua ſacra faciunt. Sacerdotes* Jeroboam *faciebant etiam omnia certo Zelo & ſtudio contra veros ſacerdotes in* Ieruſalem.

LUTH. Hi nihil ad me; nec Gentilis, nec Idololatra, ſed Chriſtianus ſacerdos ſum.

DIAB. *Sed quid ſi tua Ordinatio & conſecratio falſa eſſet, ſicut Turcarum & Samaritanorum falſi ſacerdotes, falſus & impius cultus?*

LUTH. Abſit! Hoc tu in æternum non probabis. Tenta ſodes.

DIAB. *Primò, Nunquid noſti, nullam tunc habuiſſe te cognitionem Chriſti, nec veram fidem? Et quoad fidem nihilo melior fuiſti quovis Turca. Nam Turcæ adeóque omnes Diaboli, etiam credunt hiſtoriam de* Chriſto *: Sed Turcæ & nos ſpiritus rejecti non fidimus illius miſericordiæ, neque habemus illum pro mediatore ac ſalvatore, ſed exhorreſcimus ut ſævum Iudicem. Ejuſmodi fidem & non aliam etiam tu habebas, cùm ab Epiſcopo unctionem acciperes. Ideo à Chriſto tanquam à crudeli judice ad S. Mariam & Sanctos confugiebatis : illi erant Mediatores inter vos & Chriſtum : ſic exempta eſt gloria Chriſto. Hoc neque tu neque alius Papiſta poterit inficiari.* Ergo *uncti eſtis, conſecrati & raſi, & ſacrificaſtis in Miſſâ ut Ethnici, non ut Chriſtiani. Quomodo ergò potuiſtis in Miſſâ conſecrare, & veram Miſſam celebrare, ſi defecit, (quod ſecundùm propriam veſtram doctrinam vitiat) perſona habens poteſtatem conſecrandi ? Secundò, unctus es tunc in ſacerdotem, & Miſſa abuſus es contra ſententiam Chriſti inſtituentis. Nam Chriſtus voluit inter pios communicantes diſtribui. Sacerdos enim verus eſt Miniſter Eccleſiæ conſtitutus ad prædicandum verbum, & porrigenda Sacramenta, ſicut hoc habent verba Chriſti in cœnâ, & ſicut Paulus* 1. *Cor. XI. Vnde & à veteribus communio appellata eſt, quod non ſolus Sacerdos debeat uti Sacramento, ſed reliqui Chriſtiani unà cum ipſo. Nunc annos quindecim totos, ſemper ſolus privatim pro te in Miſſa uſus es Sacramento, & non communicaſti aliis. Adeoque interdictum tibi erat, ne porrigeres totum Sacramentum aliis. Cujuſmodi eſt hoc ſacerdotium ? cujusmodi unctio ? cujuſmodi Miſſa & conſecratio ? Cujuſmodi tu es ſacerdos, qui non pro Eccleſiâ, ſed pro te ipſo ordinatus es ? De hoc ſacerdotio, de hâc unctione, certum eſt, Chriſtus nihil novit, nec eum agnoſcit. Tertiò, Mens & ſententia Chriſti eſt, ut clarè verba habent ; ut tractantes Sacramentum, mortem Chriſti annuntient & confiteantur ;* Hoc facite, *inquit,*

Digitized by Google

inquit, ad meam commemorationem. Tu autem Miſſator privatus in omnibus Miſſis tuis ne ſemel quidem prædicaſti, aut confeſſus es. Tu ſolus es uſus Sacramento, & apud teipſum demurmuraſti ſibilo quodam tibi ſoli verba cœnæ. Hæcci ne eſt inſtitutio Chriſti? An hoc Chriſtianum eſt & pium agere ſacerdotem? Ad hocne ordinatus es? Quartò. Mens & ſententia & clara inſtitutio Chriſti eſt, ut Sacramento communicent & alii Chriſtiani. Verum tu unctus es non ad diſtribuendum Sacramentum, ſed ad ſacrificandum, & contra inſtitutionem Chriſti Miſſâ uſus es pro ſacrificio. Sic enim verba ungentis ſuffraganei clarè habent. Cùm enim juxta traditam cæremoniam calicem in manus dat jam uncto, Accipe inquit, poteſtatem ſacrificandi pro vivis & defunctis. Quæ, malum, hæc eſt prorſus ſiniſtra & perverſa unctio & ordinatio! Quod Chriſtus inſtituit ad edendum & bibendum pro tota Eccleſiâ, ex hoc tu facis ſacrificium propitiatorium coram Deo. O Abominationem ſuper abominationem! Quintò Adhæc contra mentem & inſtitutionem Chriſti unctus & ordinatus es, non ad communicandum aliis, ſed ad ſacrificandum pro vivis & mortuis. Item qui nunquam diſtribuiſti aliis, nunquam prædicaſti in Miſsâ Chriſtum, adeoq; nihil eorum feciſti, quæ Chriſtus inſtituit. Nunquid ergò planè unctus & ordinatus es contra Chriſtum, & inſtitutionem ejus ad facienda omnia, quæ ſunt contra ipſum? ſi autem ordinatus es ab Epiſcopo contra Chriſtum, haud dubiè unctio & ordinatio tua impia, & falſa eſt, & Antichriſtiana. Ergò nunc hoc urgeo, te non conſecraſſe in tuâ Miſſa, ſed obtuliſſe & adoraſſe tantùm panem & vinum, & aliis adorandum propoſuiſſe. Hinc vides in tuâ Miſſa primum deeſſe perſonam, quæ conſecrare poſſit, nempe Chriſtianum hominem, ſecundò deeſſe perſonam, cui conſecrari & porrigi debeat nempe, Reliquos pios, & populum, Sed tu impius & ignarus ſtas ibi ſolus, & putas Chriſtum propter te inſtituiſſe Sacramentum, & protinus in privata Miſſa conficere Corpus & ſanguinem Domini, cùm tamen non ſis membrum, ſed hoſtis Chriſti. Tertiò deſunt ibi mens, ſententia, fructus & uſus Sacramenti, ad quem Chriſtus hoc inſtituit. Nunc reliqua Eccleſia piorum de tua Miſſa nihil novit, nihil ex te audit, nihil à te accipit: ſed tu ſolus in angulo tuo tacens comedis ſolus, & bibis ſolus, qui tamen es rudis verbi Chriſti, incredulus, indignus: tamen tecum communicas; & ſicut in more vobis fuit, tanquam bonum opus pro pecuniâ vendis. Cùm igitur hæc omnia ſint contra inſtitutionem Chriſti, quid tua unctio, tua Miſſa & conſecratio tua aliud ſunt, quàm blaſphemia & tentatio Dei? ſic ut tu nec ſis verus ſacerdos, nec panis verum Corpus Chriſti. Ponam ſimilitudinem. Siquis Baptiſmo uteretur &c. Ut ſiquis Epiſcopus baptizaret campanam. &c. Hic vel palpare potes nullum eſſe baptiſmum. Quid ſi idem accideret in tua Miſſa, ut verba pronuncies, & tamen non accipias niſi panem, & vinum? Nam perſona accipiens Eccleſia non eſt ibi, & tu impius nihilo capacior es Sacramenti ſumendi, quàm campana eſt Baptiſmi. Quid dicis ad hoc? nonne convinceris?

Digitized by Google

LUTH. Fateor, non ſunt hæc parvi momenti. Verùm enim verò etiamſi aliis in Eccleſiâ non porrigam Sacramentum, tamen ipſe ſumo, & multi in cœtu etiam Sacramentum, vel etiam baptiſmum accipiunt, qui tamen ſunt increduli, & nihilominus ibi eſt verus baptiſmus, & Sacramentum. Cur ergo in mea Miſſâ non eſſet verum Sacramentum?

DIAB. Hoc non eſt ſimile. Quia in Baptiſmo ut minimùm ſunt duæ perſonæ, baptizans & baptizandus; & illius officium eſt ejuſmodi, quod aliis de Eccleſiâ quid communicat ut membris, non aliis ſubtrahens, ſibi ſoli ſumens, ſicut tu facis in Miſſâ. Deinde quare non docetis, quòd quis poſſit baptizare ſeipſum? Quare rejicitis Confirmationem, ſi quis more veſtro confirmaret ſeipſum? Quare non valet, ſiquis conſecraret ſeipſum in ſacerdotem? Quare non eſt abſolutio, ſiquis abſolveret ſeipſum? Idémque eſt de extrema Vnctione, & Matrimonio. Hæc enim ſunt veſtra ſeptem ſacramenta. Sic ergo nullum ex his poteſt quis pro ſeipſo facere aut tractare: qui fit, ut tibi ſoli hoc ſummum Sacramentum facere velis? - - Quid dicis ad hæc?

LUTH. Valdè tu me quidem tuis urges argumentis, confido tamen in optima, cum qua ſemper Miſſas privatas celebravi, intentione. Etiamſi enim ego non rectè ſenſi, aut credidi, tamen in hoc rectè ſenſit & credidit Eccleſia.

DIAB. Nihil proficis. Age, prome ubi ſcriptum, quod homo impius & incredulus poſſit aſſidere altari Chriſti, & conſecrare ac conficere in fide Eccleſiæ? Vbi juſſit, aut præcepit hoc Deus? Quomodo probatis, quod Eccleſiæ intentionem tibi impertiatur ad hanc tuam Miſſam privatam? ſi nunc Verbum Dei non habes, ſed homines hoc docuerunt ſine verbo, tunc tota hæc doctrina eſt mendacium. En audaciam veſtram! in tenebris geritis hæc, & abutimini nomine Eccleſiæ. Deinde non eſt, ut tu doceas me intentionem Eccleſiæ. Eccleſia nihil credit, nec ſentit extra Verbum & inſtitutionem Chriſti, de quâ Paulus 1. Cor. 3. ait, nos mentem Chriſti tenemus. Vnde autem dices, aliquid eſſe mentem & intentionem Chriſti & Eccleſiæ, quàm ex verbo Chriſti, doctrina & confeſſione Eccleſiæ? - - Si intentio Eccleſiæ de operibus, de rectè aut ſecus factis eſt colligenda ex Verbo & juſſu Dei, quantò magis intentio de doctrina eſt colligenda ex verbo Dei? Quare ergo in Miſſa privata blaſphemè contravenis claris verbis & ordinationi Chriſti, & poſtea tuæ impietati, tuo mendacio prætexis mentem & intentionem Eccleſiæ? -- Quæ eſt hæc audacia prodigioſa, ut per tam impudens mendacium nomen Eccleſiæ conſpurces! Cùm igitur Miſſarius ad nihil unctus ſis, quàm ad faciendum per Miſſam privatam contra clara verba & intentionem Chriſti, contra mentem, fidem & Confeſſionem Eccleſiæ, tunc profaniſſima eſt, & nihil ſancti nec ſacri habet hæc unctio. Deinde vanior, inanior, & tam ridicula eſt hæc unctio, quàm baptizatio ſaxi aut mutæ campanæ. Ergo non conſecraſti, ſed ſolum panem & vinum, ut

ut Ethnici, obtuliſti, & per quæſtum turpiſſimum & blaſphemiam Chriſtianis opus tuum vendidiſti, ſerviens non Deo, non Chriſto, ſed ventri tuo. Quæ eſt hæc inaudita abominatio in cælo & in terra?

LVTH. Reverà nimiùm tu me urges, & *angis propè ad ſudorem & tremorem cordis.* Sine me nunc: ſatis eſt hâc vice. Eviciſti intentum.

DIALOGVS POSTERIOR
Inter P. Nicolaum Serarium Jeſuitam, & Fridericum Balduinum Superintendentem Lutheranum.

BALDVINVS. Túne es ille *blaſphemæ Societatis Monachus, Principis tenebrarum dilectus & fidelis, ſtipendio ab eo conductus, ut contra verè ſanctum Theandrum, & pretioſum DEI virum LVTHERVM linguam & ſtylum acuas, eúmque Diaboli diſcipulum fuiſſe calumnieris?*

SERARIVS. Quod ſcripſi de LVTHERI MAGISTRO idiomate tam Latino quàm Germanico, non eſt, quod unquam eorum me pudeat pœniteátque. Ea enim veriſſima eſſe, non modò ipſa Lutheri narratio in Tomis ejus tam Latinis quàm Germanicis evincit, ſed ipſe Tu es, qui ejus volebas eſſe hyperaſpiſtes, & tamen idipſum potiùs confirmaſti, quàm infirmaſti. Tuæ verò illius virulentæ maledicentiæ ſpicula, quæ in me contorques, cauſæ, quam tueris, congruunt, ac proin par illis non repono, nec moror.

BALDVINVS. Sit de hoc, ut voles; illud, quòd vis à me potiùs confirmari quàm infirmari, oſtende, aut ſycophanta ſatanicus jure habeberis.

SERARIVS. Id facilè demonſtro. Nónne tu apertis verbis profeſſus es; *Lutherum hâc cum Diabolo monomachiâ, objectos à Diabolo errores non negaſſe concedimus: Lutherus ea, quæ Diabolus objecerat, non poterat non concedere: quod enim Diabolus aſſumebat tot ſcripturis innititur, ut non niſi ab amente vel effronte poſſit negari: idem de ſe ſcripſiſſe Lutherum Tom. Witteb. VII. fol. 479. & ſeqq. & Ienenſ. Tom. VI. fol. 82. ſe cum Diabolo diſputaſſe, auditaque approbaſſe, non negatur.* Agnoſcis opinor hæc tua verba?

BALDVIN. Agnoſco, quid tum?

SERAR. Hinc autem ἀναντιρρήτως *infertur: Lutherum ut diſcipulum à Diabolo ut Magiſtro didiciſſe omnes illos articulos. quos uſque ad illum diem nec tenuerat, nec ſciverat.*

BALD. Nego, pernego illatum.

SER. At hoc facilè oſtenditur. *Quiſquis enim ab alio propoſitæ explicatæ, confirmatæ aſſentitur doctrinæ, cujus oppoſitam ante ſemper etiam in ipſo diſputationis actu ſuſtinuit, is profectò dici poteſt, & debet ab eo, in cujus dogmata conceſſit, didiciſſe. Nonne ſi ſit in carcerem conjectus aliquis, & ſe aliis quidem res ſuas clàm abſtuliſſe, cædem quibuſdam intuliſſe, venenum*

nonnullis miſcuiſſe fateretur nónne judices hunc ore faſſum proprio decernerent furem, homicidam, veneratuum eſſe? At Lutherus in hiſtoriâ ſuæ diabolicæ diſputationis narrat, ſcribit, explanat, Diabolum docentis ac Magiſtrantis, ſe verò audientis & diſcentis opera feciſſe, & negabis tu, hyperaſpiſta, eum ſcripſiſſe, Diabolum ſuum eſſe Doctorem & Magiſtrum, ſe illius auditorem & Diſcipulum? Optimam eſſe iſtam conſequentiam docent pueri, ruſtici, plebeji, fœminæ, pecudes: idem judicant doctiſſimi & ſapientiſſimi quique, Philoſophi, Medici, IC. Theologi, ut fusè monſtravi.

BALD. *Diſparata ſunt iſta duo: Diabolum habere Magiſtrum, & cum eodem congredi, diſputare, auditaque approbare. Hæc multis paraſangis diſtant, nec unum ex altero concluditur. Sequeretur enim te poſſe Lutherani aut Iudæi eſſe diſcipulum, & Chriſtum fuiſſe Diaboli, cum quo diſputaverat, diſcipulum.*

SER. *At in priori tuo illato quid eſt abſurdi, dummodo non in hæreticâ vel judaicâ perfidiâ, ſed in aliis eorum fierem diſcipulus? Ad poſterius negatur ſequela. Nihil enim erat, quod neſciret Chriſtus. Manet igitur fixum ac firmum, quod, cùm Lutherus omnia penitus, quæ Diabolo in diſputatione illa dicere libuit, audierit, auditaq; approbarit, & conſequenter, cum, quæ ſunt docentis, fecerit omnia Diabolus, quæ diſcentis omnia Lutherus; quidni erit ille Doctor, hic diſcipulus?*

BALD. Non potuit Lutherus ea didiciſſe à Diabolo, quæ jam antè noverat. *Omnia quippe Diaboli argumenta conſtant è ſcriptura, & ſic minorem practici ſyllogiſmi ſolidiſſimam faciunt & immobilem, cui ex armario nihil poterat opponi ſolidum.*

SER. Parcat tibi Deus, D. Superintendens! *Non pudet te ſic non tam Lutheri, quam Diaboli agere hyperaſpiſten & Patronum. O prædicans. verè me tui miſeret. Quæ enim iſta tua tanta vecordia, ut Diaboli velis hyperaſpiſten, patronum & præconem agere? Quodnam tibi ſatellitii ſtipendium perſolvet? quam civicam coronam dabit?*

BALD. Non diaboli, ſed veritatis patrocinium ſuſcepi. ***Noverat illa omnia e. SS. Scripturis Lutherus, quæ ſibi Diabolus objecerat, ut ad deſperationē adigeret.***

SERAR. Hic tu uno halitu geminam exceptionem ſive evaſionem protrudis, totum cauſæ tuæ firmamentum, quod utrumque ſi ego funditus evertero, victa, manus veritati dabis. Age igitur, proba primò Lutherum ſciviſſe, tenuiſſéque iſta dogmata, quæ dæmon tantâ contentione & amplificatione inculcavit, priuſquā hanc diſputationē aggrederetur.

BALD. ***Hoc inde infero, quia diſputationis annum fuiſſe 15[2]3. vel 32. nullus dubito: Ante hoc autem tempus ne tu negaveris, & ſciviſſe omnia illa, quæ Diabolus in diſputatione tam ardenter objecit.***

SER. At ſine ullo fundamento tam intrepidè aſſeris & ***nullus dubitas***, quod ne veriſimili quidem, nedum certâ fulcitur ratione. Ego verò ex ipsâ à Luthero ſcriptâ hiſtoriâ ſic oſten-

ſic oſtendo : *Lutherus cœpit anno* 1504. *Miſſam facere (ut ſubdiaconus) Ergo rectè in annum* 1518 *confertur annorum XV, qui Luthero à Dæmone dantur crimini, exitus.*

BALD. *Eſto, exitum illorum XV annorum in annum* 1518. *incidere, (quod tamen pono tantùm, non concedo,) quid tum poſtea ? Num proinde ſequitur. Ergò etiam diſputationis annus eſt* 1518? *Nulla evincit neceſſitas, nulla cogit ratio. Potuit enim Satan poſt intervallum aliquot annorum errores illos priſtinos in memoriam revocare.*

SER. *At non hic, quid facere potuerit Dæmon, quæritur, ſed è duobus quæ potuit, utrum fecerit ? Demonſtravi verò duorum illorum poſterius, idque ex ipſis Diaboli phraſibus, variisque totius hujus diſputationis periſtaſibus.*

BALD. *Oppoſitum indicat Diabolus, cùm Luthero objecit in præterito? Talem fidem habebas, cum miſſificares: talis ſacrificulus fuiſti: Turca fuiſti &c.*

SER. *Eſne tu, D. Superintendens, ita Grammaticæ oblitus, ut neſcias, in re, quæ annos plures facta, etiamſi adhuc fiat, præteritis uti licere? Et nunquid etiam uſus eſt* Diabolus *præſenti tempore, cum ait : Tu impius ſtas ibi ſolus. Tu ſolus mutus comedis, bibisque &c.*

BALD. Vt ut de hoc ſit: *Diſputatio iſta facta eſt tunc, cum in evertendo Papatu Lutherum videret* Diabolus *fortiſſimum eſſe, fremeretque ob felicem Evangelii curſum. At iſta non fuere anno* 1518. *ſed* 1532. *Ergo.*

SER. *Major iſta tua & falſa eſt, & principium petit. Falſa quidem, quia* Diſputationis *annus* 1518. *à te everſus non eſt, nec everti poteſt, & tum acceſſit Lutherum* Diabolus, *cum eum videret, nondum quidem eſſe, ſed futurum in ſuis contra Papatum caſtris bellatorem audaciſſimum.* Dederat *enim jam anno priori ſpecimen turbinis egregii. Petit vero eadem major principium, quia idipſum, quod in quæſtione eſt, aſſumit, & nos negamus, aſſerimusque tunc eum à Diabolo delectum, cum experimento Indulgentiariæ rixæ ſpem concepit, fore illum vas electionis ad turbandam & quaſſandam Eccleſiam.*

BALD. At vide, nunquid ex hoc ipſo, quod de indulgentiis adducis, argumentum contra te firmum enaſcitur? nempe hoc: *Idem in omnibus fidei repurgatæ dogmatibus fuit Luthero Magiſter, qui & Indulgentiarum* 1517. *ſed in his non fuit Luthero Magiſter Diabolus. Ergo nec in cæteris.*

SER. Non vides, D. Superintendens, *ovum ovo agglutinari meliùs, quàm conſequentia tua huic antecedenti? In hac una lectione nihil* Diabolus *de Indulgentiis propoſuit.* Ergo *nunquã alias.* Ergo *nullâ diſputatione aliâ.* Ergo *nullâ voce, afflatu, impulſu. Nimirum didicit omnia illa à* Diabolo, *ſed acroaſi & doctione aliâ.* Adhæc *nonne conatus*

Digitized by Google

eſt in eâ diſputatione Lutherus Diabolo reſpondere? Ergò non antè ea ſcivit & tenuit, quæ à Diabolo exponebantur. Quæro ex te, *potuítne, an noluit meliùs reſpondere? Si non potuit, indoctus erat Doctor; ſi noluit, perfidus fuit Religionis proditor.*

BALD. *Potuit, ſed noluit; voluit enim experiri, an Papiſticis armis repelli Diabolus poſſet.*

SERAR. Iſto modo excuſâsne an accuſas Lutherum potiùs?

BALD. *Licèt omnia iſta darem, non tamen evinces, Lutherum ſcripſiſſe tam diligenter & conſideratè hiſtoriam illius diſputationis eâ mente, fine, & intentione, ut inde colligatur, à quo didicerit ſuam cœleſtem doctrinam: ſed hunc in finem ea prodidit, ut doceret, omnem Papicolarum armaturam de pia intentione, de conſecratione, de fide Eccleſiæ, de Vnctione, imò quicquid extra S. Scripturam aſſumitur, μηδὲ γρῦ adverſus amentata Satanæ ſpicula facere poſſe.*

SERAR. Credo equidem, id verum eſſe de intentione Lutheri; ſed hoc nihil ad rem, cùm ſemper interim firmum fixúmque maneat, *ex univerſa illa diſputatione elucere Magiſterium Diaboli, & Diſcipulatum Lutheri.*

BALD. *Non certè intendit Diabolus hujus doctionem, ſed deſperationem, ut apertiſſimè prodidit Divus Lutherus.*

SERAR. Sic eſt. Prætendit hoc tuus Lutherus tanquam perizomata è foliis ficûs contexta, ut tegat turpitudinem ſui Diſcipulatûs. *Nam ipſa diſputationis hiſtoria, quam tu ſeriò & conſideratè ſcriptam agnoſcis, ſatìs clarè docet, ut hactenus oſtendi, non intendiſſe Diabolum aliud, quàm Lutherum in abnegationem doctrinæ Catholicæ inducere; ſi præterea aliud, certè potiùs in præſumptionem de miſericordia DEI, quàm in deſperationem præcipitare. Nam in omni exhortatione aut Syllogiſmo practico neceſſe eſt, ut aliquo tandem modo exprimatur id, ad quod iſta tendunt. At in tota illa Diaboli exhortatione & Syllogiſmo practico, nullo modo neque verbo neque re deſperatio exprimitur. Ergò.*

BALD. *Sed nec exprimitur à Diabolo, Catholicam fidem abjiciendam eſſe à Luthero.*

SERAR. Hoc tu an ſerio dixeris? *Nónne quiſquis alteri perſuadere ſatagit rei malitiam, ſtudet ſimul & fugam ejus perſuadere?*

BALD. *At ſibi*, ait Lutherus, *ſudorem erupiſſe, & palpitaſſe cor, ſubitámque penè mortem contigiſſe, nónne hæc arguunt gravem tentationem ad deſperationem?*

SERAR. *Multò pluribus è cauſis & ſudor, & palpitatio, & exanimatio, quàm ex unâ deſperatione oriuntur. De inani fiduciâ & præſumptione millecuplo plùs, quàm de deſperatione in Diaboli diſputatione eſt. Ad illam igitur potiùs, quàm ad hanc, dici poteſt tentatio. Adhæc non ſolet Dæmon deſperationem ſuadere ob ea peccata, quæ communi errore ab omnibus in aliquo populo committuntur, ut ne quidem peccata putentur, qualia erant Catholica Sacra priuſquam Lutherus ſuam inceptaret factionem. Iterum qui deſperationem ſuadet, non ſolet illius, qui condonare culpam poteſt, miſericordiam amplificare, ſed vel negare vel extenuare: quod certè Diabolus non egit in eâ diſputatione. Similiter qui ad deſperationem tentat, non objicit crimina, niſi maxima, certiſſima, miniméque excuſabilia, qualia tunc certè minimè habebantur Catholica dogmata, quæ ipſe Lutherus (licèt languidè, frigidè, ineptè) tueri ſatagebat. Et certè ſi præcipuè deſperationem intendiſſet Diabolus, unum ſaltem aliquod ſophiſma afferre debuiſſet, quo non Catholicam Fidem, ſed Spem illius oppugnaſſet: Nullum verò attulit. Quid, quòd ipſe Lutherus*

Digitized by Google

therus teſtatur, crebrò ſe ad deſperationem à Diabolo ſolicitatum aliàs, ideo quòd Catholicam Religionem deſertam impetiiſſet? Non igitur à Diabolo in iſtâ diſputatione fuit ad deſperationem ſolicitatus, quòd eandem Religionem antea coluiſſet.

BALD. *Ad connexum ex contrariis mille artifex Diabolus deſperationis funiculum nectere poteſt.*

SERAR. *E contrariis vitiis poteſt, è virtute verò & vitio non poteſt. Si enim bonum eſt Catholicam tueri fidem; cur, eam qui habet tuetúrque, deſperet? Si malum eſt Catholicam tueri, cur, eam qui deſerit, deſperet? Denique diſputationis Diaboli concluſio de Fide tantùm agit, non de Spe. Illam igitur eripere, non hanc ſuâ iſtâ diſputatione potiſſimùm ille ſtuduit.*

BALD. *Reliquit Diabolus Luthero cogitandum, ut deſperaret, quia non potuit eſſe neſcius B. Lutherus, idololatris ſalutem omnem in Scripturis preciſe eſſe negatam.*

SERAR. *In Diaboli diſputatione invenimus ipſum Luthero monſtraſſe, Catholicam fidem eſſe Idololatriam ſcelúſque graviſſimum; Vnde apud omnes immediatè ea ſtatim exiſtit cogitatio, illam igitur fugiendam eſſe: at ob eandem fidem deſperandum eſſe, nec in diſputatione Diaboli invenitur, nec ex ea, neque ex concluſione, aut communis hominum ratio, aut ulla rei natura proximè perſpicuéque colligit. Quâ igitur prudentiâ, quo veri amore colligis tu, O Superintendens, quod neque dicit Dæmon, neque ex eo, quod dicit, rectè colligitur? rem verò, quæ clariſſime à Dæmone dicitur, & ex ejus verbis manifeſtiſſimè apud omnes infertur, relinquis & negas? An non luce lucet meridianâ clariùs, te Lutherúmque tuum illud deſperationis involucrum pro arbitrio veſtro comminiſci, neque ſi rationi morem gerere velitis, retinere illud poſſe!*

BALD. *Video me fruſtra laborare in monſtrandâ tibi cœleſti veritate, à Beatiſſimo Patre noſtro Luthero detecta, cujus Scripta divinitùs inſpirata Tu peſtifer araneus, Eſauiticæ factionis Monachus nefarius, & nequam ſycophanta depravas & pervertis.*

SERAR. *Ego verò judicium prudenti & æquo Lectori permitto*, & pro his BENEDICTIONIBVS LVTHERANIS precor Tibi DEVM propitium, & mentem ſaniorem.

Porrò Errores, quos Lutherus in hâc unâ diſputatione à Diabolo didicit, ſunt hi triginta duo:

1. Quòd ante hanc Diaboli Scholam, nemo rectè crediderit in Chriſtum.
2. Fides Chriſtiana tunc exiſtens melior non erat fide Turcarum & Dæmonum.
3. Fides ſpecialis, ſive individualis, eſt ad ſalutem neceſſaria.
4. Sanctos colere & invocare, eſt à CHRISTO ſe avertere.
5. Omnes ejus temporis Chriſtiani à CHRISTO defecerunt ad MARIAM.

6. Sacer-

Digitized by Google

6. Sacerdotum ordinatio eſt inutilis, inepta, pagana, adeóque falſa & AntiChriſtiana.
7. Catholici Sacerdotes non habent poteſtatem conſecrandi S. Euchariſtiam.
8. Miſſa eſt Sacrum profanum Ethnicorum non Chriſtianum.
9. Nulla Miſſa celebranda absque communicantibus.
10. Catholici Sacerdotes, ſibi ſoli, & non ad miniſterium Eccleſiæ ordinantur.
11. Verba, quibus Ven. Sacramentum conficitur, ſunt concionatoria.
12. Cum Cœnâ Dominicâ ſemper debet haberi concio.
13. In Miſsâ privatâ mors Chriſti non annunciatur, nec memoria Paſſionis Chriſti celebratur.
14. Ven. Sacramentum Sacerdos DEO offerre non debet.
15. Ritus conſecrandi Sacerdotes eſt perverſus.
16. Catholici Sacerdotes faciunt ſibi ſolis, & non aliis Chriſtianis, ſacrificium ad DEUM ex Ven. Sacramento.
17. Miſsa eſt opus ſingulare Sacerdotis.
18. Catholici nihil in Ven. Sacramento faciunt juxta, ſed contra inſtitutionem CHRISTI.
19. Conſecrati ſunt contra Chriſtum, ad faciendum ipſi adverſa.
20. Unde eorum Ordinatio falſa, contra Chriſtum, purè nihil.
21. Hactenus apud Chriſtianos in Miſsâ oblata ſunt tantùm panis & vinum.
22. A Sacerdotibus ſumitur tantùm panis & vinum.
23. Adoratur in Miſsâ panis & vinum.
24. Omnis Chriſtianus eſt Sacerdos.
25. Pro uno ſolo nequit conſecrari S. Euchariſtia.
26. Chriſtus non permittit conſecrari Corpus & Sanguinem ſuum pro iis, qui ejus membra non ſunt.

27. Catho-

Digitized by Google

27. Catholici Sacerdotes ad nihil aliud ordinantur, quàm ad ſacrificandum, & communicandum ſe ipſos, in angulo.

28. Sacerdos eſt purum Nihil ad Sacramentum.

29. Sicut nemo ſeipſum poteſt baptizare, ita nec ſibi poteſt conſecrare S. Euchariſtiam.

30. Ordinatio Sacerdotum abominabilior eſt baptizatione campanarum.

31. Eccleſia vera non credit, niſi quod ſcriptum eſt.

32. Eccleſia nihil ſentit aut credit extra verbum & inſtitutionem Chriſti juxta Apoſt. 1. Cor 3. *Nos mentem Chriſti habemus.* Mens Chriſti & Eccleſiæ conſtat ex verbo.

NOTA circa hanc propoſitionem Diaboli. Si verba iſta ſpectentur in ſe, veriſſima ſunt, & ejuſmodi, quæ Lutheranam, hæreteſque alias omnes jugulent: Sed ſi mens Diaboli conſideretur, falſa ſunt. Vult enim ***Eccleſiæ*** nomen dupliciter accipi; ſemel quidem pro ***Eccleſia viſibili***, quæ voce ac geſtis fidem Chriſti profitetur, deinde vero pro ***Eccleſia inviſibili*** & latente: Et prioris quidem fidem Lutherum aduſque ſequutum eſſe, ſed eam falſam, impiam, & cum Idololatria conjunctam, poſterioris verò Eccleſiæ, fidem veram eſſe, quæ Lutherum hactenus fugerit, ita ut Diaboli reſponſio ſit hæc: ſecutus es hactenus Eccleſiæ illius fidem, quam videbas, & audiebas, cujus ritus ubique vigent, dogmata ubique perſonant. Verùm non hujus, ſed illius Eccleſiæ fides ac intentio vera eſt, veramque CHRISTI mentem tenet, quam tu hactenus, neſciviſti, quæ abſcondita latet, quam, monſtratore me, noſſe incipis. At nos Catholici unam Chriſti Eccleſiam, quæ ſub aſpectum cadit, quæ, ***quod ad juſtitiam, corde credit, ore confitetur***, quæ ***civitas eſt ſupra montem poſita***, agnoſcimus. Hujus fidem & intentionem, quam verbis factiſque ſuis declarat, ac docet, Veritati Chriſtique menti maximè conſentaneam non dubitamus. Tuam verò illam, Diabole, commentitiam, quæ in acûs unius cuſpide regiones ſcil. plurimas continet; quæ ex Epicuri atomis & intermundiis conſtat; in cujus Oceano ingentibus navibus acari velificantur; in quâ ſita VTOPIA eſt, & Ovidianæ Inſulæ; tibi cuique relinquimus. atque ita finem Principio, uti promiſi, reſpondentem huic primo TROPHÆO imponimus.

ANIMA UNIVERSÆ HÆRESIS,

SIVE,

TROPHÆUM SECUNDUM,

QVO

OBJECTUM FORMALE FIDEI LVTHERANÆ A MVSÆO TRADITVM

demonſtratur

Eſſe Baſin, Animam, Characterem

totius Hæreticæ obſtinationis;

MOTIVUM VERO CATHOLICÆ ESSE OMNIVM FIDELIVM,

nempe auctoritatem DEI revelantis.

CAPUT PRIMUM

Occaſio, ſcopus & argumentum hujus Trophæi exponitur.

ANte annos 12. in Appendice 1. Parallelorum Eccleſiæ. §. 10. ſoluturus argumentum principale Muſæi pro ſuo cœtu Lutherano propoſitum, hoc nimirum: [*In quocunque cœtu hominum docetur Verbum DEI, quantum ad piam vitam & ſalutem conſequendam creditu eſt neceſſarium, & miniſtrantur Sacramenta legitimè quoad ſubſtantiam juxta Chriſti inſtitutionem, ibi eſt in veritate aliqua Chriſti Eccleſia. Hoc fit in Lutherano cœtu. Ergo &c*] Reſpondi in illâ unicâ propoſitione Majore deliteſcere ipſam medullam, formam, animam, characteriſticam univerſæ hæreſis Bibliſticæ, adeóque totum argumentum eſſe ARCHISOPHISMA,

quo

Digitized by Google

quo pro Verbo DEI proprius ſenſus & privatus vertiginis ſpiritus obtruditur &c. Quod ibidem fuſiùs oſtendi. Ea res ita pupugit Muſæum, ut biennio poſt, evulgaturus ſuum de Converſione peccatoris Tractatum, quem *Armenianis, & Pelagianis potiùs quàm Pontificiis controverſiis expediendis deſtinaverat, mutato conſilio Diſp.* V. & quatuor ſequentibus contra analyſin Fidei Catholicæ, pro ſuæ Lutheranæ Motivo & objecto formali diſputare maluerit. Cui ego mox partem ſecundam Anti-Muſæi oppoſui, quo præcipuè Analyſis Fidei à Scholaſticis tradita ab ejus impugnationibus vindicatur, & objectum formale Lutheraniſmi ſubvertitur. Hanc in novo ſpiſſo ſuo opere, ubi omni conatu Eccleſiam ſuam Vtopicam propugnare contendit, mirum eſt, quòd ſuæ etiam Fidei Lutheranæ objectum & Motivum formale à meis argumentis vindicare neglexerit, contentus hinc inde illud *quaſi ſolis radiis ex ſe illuſtrius* jactare, Pontificium verò, tanquam *Antichriſtianam fraudem & τὰ βάθη τῦ Σατανᾶ* contumelioſè & blaſphemè traducere. Diſp. 1. num. 45. ait: *Mera offutia & præſtigiæ ſunt, quibus pontificii illudant ſimplicioribus quando verbis neceſſitatem gratiæ tantopere extollunt: gratiam ſupernaturalem interim, à quâ fi'es in eſſe ſupernaturali intrinſecè dependet, prorſus negant. In quaſcunque enim partes ſeu formas ſe tandem vertant, tamen quamdiu concurſum DEI ſupernaturalem ex parte objecti formalis Fidei dari, aut in vi & ratione motivi illius includi negant, ſubterfugere non poſſunt, quin actum credendi ſuâ intrinſecâ ratione naturalem eſſe fateantur.* Et Diſp. VII. num. 10. ſic eam explicat: *Veritas prima revelans quoad rem nihil eſt aliud, quàm Deus in quantum per revelationem in hominis animo ſeſe exerit, veritatemque credendam per eam manifeſtat, & includit proinde in ratione objectivâ Fidei ipſam Revelationem credendorum, & pro hodierno Eccleſiæ ſtatu Deus, ut veritas prima revelans, obit munus objecti formalis fidei, revelationem credendorum Prophetis & Apoſtolis factam, & per prædicationem, aut Lectionem hominibus applicatam elevando, ut intellectum ad aſſenſum ſupernaturalem moveat & determinet.* Idem ait num. 36. & Diſp. IX. num. 10. ſic intonat: *Sophiſtæ moderni in Papatu denegant contentæ in ſcripturis revelationi divinæ omnem hominum animos ad aſſenſum Fidei divinæ movendi vim, quam à concurſu DEI ſupernaturali habeat, eique nullam relinquunt rationem motivam, niſi quæ à ſignis credibilitatis, velut à ratione aſſentiendi ultimâ, dependet.* Num. ſeqq. 12. poſt recitata verba Tanneri ſubdit: *Hæ cùm declarationes tum rationes, ſicut afferuntur ad obſcurandam veritatem jam demonſtratam, eamque liquidiſſimam, & vel ipſa ſolis luce clariorem, ita prorſus futiles & ineptæ ſunt &c. Oſtendimus, id merè continere fraudes & præſtigias, quibus rem eandem aliis aliiſque verbis enunciatam affirmant & negant. Ita quidem SPECIOSE, ut objectum formale fidei divinæ & rationem credendi ultimam in fallacibus, & ad quoſvis errores doctrinaſque Dæmoniorum perſuadendas aptis credibilitatis ſignis conſtitui, nemo facilè animadvertat &c.* Et num. 17. ait: *Vides, lector, leviſſimas eſſe rationes, quas ad ſtabiliendam aſſertionem tam arduam, ſed cum veritate manifeſtâ ac palpabili pugnantem Tannerus adhibuit.* Et num. 39. ait. *Quod motivum fidei à S. Paulo conſtitutum in concurſu DEI ſupernaturali, revelationem divinam ad teſtificandum de ſemet ipſâ in hominum cordibus elevante, ſi Sophiſtæ moderni ex parte revelationis divinæ admitterent, nihil opus foret tot commentorum portentis, & doctrina de objecto formali fidei tota perſpicua, facilis & plena futura eſſet &c.* Num. 52. *Vides, lector, fraudes injuſtitiæ multiplices, cum quibus adventum illius impii conjunctum, qui-*

buſque in errorem abductum iri eos, qui pereunt, ab Apoſtolo in 2. Theſ. II, 10. prædictum eſt. Omnes Sophiſtæ conſentiunt in eo quòd contenta in SS. Literis revelationis divinæ nulla detur vis & efficacia ad hominum animos per ſe immediatè in ſui aſſenſum trahendos, quæ una eſt & palmaria ſpecies injuſtitiæ &c. quæ ibidem fuſiùs declamat. E quibus omnibus ſatis liquet ſtatus controverſiæ Nos inter & Lutheranum Muſæum in puncto plane capitali, & à cujus unius reſolutione pendet non minùs, (imò potiùs magis,) quàm à priori de Eccleſiâ viſibili, articulorum omnium in quovis cœtu creditorum veritas vel falſitas. Si enim vel unico argumento ineluctabili evicerit Muſæus, Pontificiorum objectum formale & Motivum credendi eſſe pure naturale, totam cauſam obtinuit. Si verò demonſtretur ex parte Catholicorum ſupernaturalitas requiſita non tantùm in ipſo aſſenſu ejuſque Motivo ſeu objecto formali, ſed etiam in ipſis apprehenſionibus per ſe requiſitis; illam verò *SS. Scripturæ divinitus elevatæ per modum objecti formalis vim percellendi animos & pertrahendi in aſſenſum earum &c.* reipſa nihil aliud eſſe, quam ſpiritum vertiginis univerſis Hæreticis communem, phraſi glorioſâ ſed dementitâ velatum &c. ſimul & ſemel proſtratus & triumphatus jacebit univerſus Lutheraniſmus, & quævis eâdem baſi nixa hæreſis. Hoc igitur agimus & demonſtremusque ſequentibus capitibus, quibus

1. Argumentis noſtris ineluctabilibus Commentum Muſæanum convincitur manifeſtæ falſitatis.
2. Ejus fundamenta ne quidem probabilem conciliare apparentiam iſti commento, oſtenditur.
3. Error Muſæi de ſufficienti propoſitione Fidei excutitur.
4. Analyſis Fidei ſine omni lite à Catholicis recepta exponitur.
5. Solvitur Muſæi prior objectio de defectu ſupernaturalitatis.
6. Expeditur altera ejus objectio & calumnia, quòd per ſigna credibilitatis poſſit quævis doctrina Dæmoniorum proponi.

CAPUT SECUNDUM.

Muſæanum commentum argumentis ineluctabilibus convincitur manifeſtæ falſitatis & conſequenter blaſphemæ impietatis.

COmmentum ſuum his ipſe verbis proponit num. 62 *Vis motiva, quâ principium illud inevidens:* [Deus in ſcripturis hoc revelavit,] *voluntatem in aſſenſum trahit, eamque ad imperandum intellectui aſſenſum, & mediante ejus imperio intellectum ipſum ad aſſenſum ſui movet,*

movet, non poteſt in alio conſtitui, quàm in ipſis ſcripturis θεοπνεύςοις ſupernaturali Dei concurſu ultra verborum quibus conſtant, naturam, vim & indolem ad movendos hominum animos elevatis, ita ut aſſenſus Fidei, quo Deum in ſcripturis loqui, easque Dei quaſi vocem eſſe credimus, ſimul dependeat à Deo revelante, & à revelatione in ſcripturis poſitâ: Ab hac, ut à motivo formali quidem, ſed inſtrumentali, ab illo ut à motivo formali principali, ab utroque autem ſimul & junctim ſumptis tanquam ab uno motivo. Quandoquidem nec Deus abſque revelatione in ſcripturis à ſe inſpiratis comprehenſa, neque revelatio in ſcripturis θεοπνεύςοις poſita abſque Deo, ſed Deus in ſcripturis à ſe inſpiratis, & per eas movet intellectum hominis viatoris, ut, quæ in ſcripturis dicuntur à Deo revelari, credantur. Ita verbatim Muſæus, cui hyperbolimæo ſi credimus, *eſt hac veritas liquidiſſima, & vel ipſa ſolis luce clarior.* Vere dixero, eſt negotium perambulans in tenebris Acheronticis, quibus involvitur, ut ſpecioſis voculis *elevationis ſupernaturalis, connotationis & dependentiæ à Deo revelante &c.* miſeros ſectarios decipiat. Quæro enim abs te, Muſæe, Quid rei eſt, quod omnibus iſtis voculis & offuciis oſtentatur? ſic argumentor

I. Illa *elevatio ſupernaturalis objectiva*, nec eſt ipſa S. Scriptura quoad voces, nec quoad rem ſignificatam, ut tu ipſe fateris: nec eſt connotatio & dependentia earundem vocum & rerum ſignificatarum à DEO revelante. Quod probatur. Hæc enim qualiscunque fingatur, ſemper eſt obſcuriſſima, & per ſe nulli mortalium innoteſcit clare, ſaltem extra illum, cui fit immediatè revelatio. Quomodo ergo hæc connotatio & dependentia tam obſcura nobis, quàm ipſa revelatio olim Prophetis & Apoſtolis facta, poteſt nunc nos trahere ad aſſenſum?

Confirmatur κατ' ἄνθρωπον, quia ideo juxta te, objectum formale fidei non rectè à Pontificiis aſſignatur Authoritas divina, quia cùm hoc non habeat claram connexionem cum articulo SS. Trinitatis, Incarnationis &c. non poteſt movere ad horum aſſenſum. At omnis, quam fingis, *elevatio, connotatio, dependentia &c.* verbi ſcripti cum revelatione divinâ, niſi aliunde ex ſignis credibilitatis fiat credibilis, tam eſt ex ſe obſcura, & ignota nobis, quàm eſt connexio inter auctoritatem divinam & articulum de SS. Trinitate. Ergò tam parùm poteſt hæc, quàm illa, eſſe motivum & objectum formale trahens intellectum ad aſſenſum. Argumentor

II. Omnis elevatio divina & ſupernaturalis reſpectu rerum creatarum eſt nihil aliud, quàm confortatio potentiæ naturalis ad ponendos effectus altioris ordinis, adeoque naturæ improportionatos. Quod fit vel per habitum permanentem, vel actionem tranſeuntem. Et tunc omnipotentia divina per ſuum inſtrumentum, v.g. lumen gloriæ, ſupplet defectum intellectûs naturalem reſpectu claræ viſionis DEI, & ſic in cæteris, v. g. Sacramentis, ſi admittitur in iis elevatio ad phyſicam productionem Gratiæ. At nihil h c ſimile reperitur. Ergò hæc elevatio eſt purum putum figmentum.

Confirmatur ulteriùs. Quia omnia objecta per ſe ad fidem divinam pertinentia ſunt ſupernaturalia; (nam quæ purè naturalia ſunt, pro eis ſufficit naturalis vel ſcientia, vel opinio, aut fides.) Ergò cùm objecta omnia ad fidem divinam per ſe pertinentia ſint ſeipſis ſupernaturalia, actum agit Muſæus, adeoque fruſtra fingit eorum elevationem objectivam, quam ex eſſentiâ ſuâ habent.

Digitized by Google

Confirmatur ſecundò ad hominem. Nullum objectum obſcurùm & ignotum poteſt trahere in manifeſtationem alterius ignoti. Sed juxta Muſæum Diſp. VI. num. 68. nullum ſupernaturale poteſt viatori eſſe evidenter cognitum. Ergò non poteſt movere ad notitiam certam alterius naturaliter ignoti. Argumentor

III. Illa motio ſive tractio ſupernaturalis objectiva, quæ à Muſæo dicitur voluntatem trahere in conſenſum, vel facit ut ex ſignis fiat evidenter credibilis ea objectiva motio, & conſequenter evidenter honeſtum, ut imperet intellectui aſſenſum; vel ſine ullis ejuſmodi ſignis cum ſuâ obſcurâ ſupernaturalitate proponitur voluntati. Si primum admittat; planè tranſit in noſtras partes, quas tamen toties blaſphemat tanquam *fraudes injuſtitiæ antichriſtianæ multiplices.* Si poſterius; manifeſtâ temeritate exponit ſe periculo credendi tanquam à DEO revelata, quæ à parte rei ſunt vel à Dæmone vel à proprio ſpiritu ſuggeſta. Medium hic nunquam dabit Muſæus, qui nullum ſupernaturale evidens admittit ex unâ parte, ex alterâ non vult cum Catholicis admittere imperium ex ſignis evidentis credibilitatis, quo trahatur ad aſſenſum credendorum intellectus. Nihil igitur ſupereſt, niſi ut hoc temerario ſpiritu vertiginis moveatur, quem quiſque Hæreticus vel ſub hâc Muſæanâ phraſi *ſupernaturalis motionis objectivæ*, vel ſub aliâ apprehendit tanquam divinæ revelationis communicationem.

Confirmatur. Et ut commenti hujus abſurditas quaſi palpari queat, ponamus è Bibliis Ienenſium gloſſatam Epiſtolam SS. Iacobi & Iudæ canone excluſas, Apocalypſin arbitrio Lectoris ab iiſdem permiſſam: quæro hic, cur vos SS. Iacobi Epiſtolam habeatis apocrypham, Lutherus ſtramineam, Calvinici cum Catholicis canonicam & divinam? Cur Apocalypſin permittis arbitrio Lectoris Lutherani? cur viciſſim IV Evangelia admittitis etiam nobiſcum, & Epiſtolas S. Pauli, exceptâ illâ ad Hæbræos? Aliud juxta tuum Commentum reſpondere non potes, quàm ad Evangelia, & Epiſtolas illas experiri te concurſum ſupernaturalem, quo percelleris, non verò ad Epiſtolam Iacobi: ad Apocalypſin verò experiri te dubium concurſum, ac proinde relinquere eam cujusvis Lectoris experientiæ, ut qui ſentiunt concurſum, admittant ut divinam, qui non ſentiunt, negent vel ſuſpendant aſſenſum. Quis niſi voluntariè cœcus hic non videat totum negotium Fidei veſtræ fundamentaliter devolvi ad illum internum privatum ſpiritum cujuſque, quo quiſque ſecundum id, quod apprehendit & experitur, decernit eſſe, vel non eſſe divinum. Vnde

Excutitur IV Vniverſaliter illa elevatio & vis ſupernaturalis percellendi animos ſub experientiam cadens è plurimis abſurdis, quæ neceſſariò infert. Nam 1. Vel illa vis percellendi animos, evidenter percipitur etiam quoad ſuam ſupernaturalitatem, vel tantùm obſcurè & dubiè. Si primùm; Ergò contra ſuppoſitionem Muſæi non eſt ſupernaturalis; nullum enim tale juxta Muſæum, etiam ſecluſo prædicato ſupernaturalitatis, poteſt eſſe evidens. Si ſecundùm; Ergò non poteſt fundare aſſenſum firmiſſimum ſuper omnia, qualem requirit fides divina, ita ut cum S. Auguſtino potiùs negare paratus ſit ſe vivere, & quævis prima principia naturaliter nota, quàm vera eſſe, quibus ſic aſſentitur. 2. Hinc negandum erit de pluribus libris, extra omne dubium Canonicis, quòd ſint tales, cùm omnes etiam Proteſtantes, niſi in gratiam Muſæani commenti men-

Digitized by Google

mentiri velint, fateri cogantur, non ſe experiri in iis talem vim percellendi animos ex libris Levitici, Ruth, Paralipomenon &c. quam ex lectione vel auditione ſuarum, quas vocant, *Devotionum Kegelianarum*, vel Meditationum Gerhardi ex SS. Auguſtino, Anſelmo, Thomâ de Kempis compilatarum. Idem etiam dicendum de plurimis capitibus & verſibus novi Teſtamenti. 3. Sic conſequenter concedendum erit, credendorum fide divinâ Regulam & menſuram unicam eſſe cujuſque experientiam & inſtinctum privatum, quod non poteſt excuſari à Fanaticorum & Enthuſiaſtarum delirio, nec unquam aſſignare poterit Muſæus determinatè ſubjecta & homines, quorum teſtimonio infallibili poſſit & debeat credi, motionem illam ſuperni concurſûs eſſe annexam his, & non aliis libris, capitibus, verſibus; huic potiùs verborum interpretationi, quàm diverſæ vel contrariæ. 4. Quis capiat myſteria Muſæi, qui ſuprà, ut vidimus, num. 62. dixerat, ipſas ſcripturas elevari ſupernaturali concurſu &c. paulò poſt num. 64. ait, *voluntas ſupernaturali concurſu Dei elevata intellectum in aſſenſum ſui & credendorum revelatio divina movet, adeoque ſupernaturalis ille concurſus* DEI *ad ipſam rationem objectivam Fidei pertinet. Voluntas enim cùm ad res in ſcripturis revelatas naturâ ſuâ mortua ſit, non poteſt illarum apprehenſione ad ullum actum efficacem moveri, citra illam elevationem &c.* Quis inquam hæc myſteria capiat? Nempe, quòd voluntas objectivè, non autem efficienter elevetur. Quòd eadem voluntas primum actum fidei non eliciat liberè, ſed agatur ut inſtrumentum merè paſſivum. Vnde ulteriùs infertur 5. abſurdum: non eſſe in poteſtate hominis, propoſitâ revelatione divinâ, etiam *conteſtante Deo ſignis & portentis*, credere revelatis, quoties defacto cum tali apparentiâ non credit. Et 6. abſurdum: quòd nullum detur peccatum infidelitatis, cùm omnes, qui carent illo concurſu objectivo ſupernaturali, *naturâ mortui*, juxta Muſæum, adeoque immobiles ſint; cum illo autem non poſſint non credere. 7. abſurdum: quòd univerſa illa, quæ ſuprà Cap. I. vidimus Muſæum atrociter in analyſin Fidei catholicæ declamantem, tanquam in *fraudes injuſtitia multiplices &c.* revera unicè conveniant illi figmento, quod eſt omnium Hæreticorum baſis, & id, in quod ultimatè reſolvitur omnis error & doctrina Dæmoniorum. Nunquam Muſæus ſuam Conſubſtantiationem Euchariſticam, & Vbiquitatem per vim ſcripturæ ſupernaturaliter elevatæ animum ſuum percellentem, & ad aſſenſum trahentem allegabit, quin pari vel etiam potiori jure eandem rem, licet fortè phraſi mutatâ, idem pro ſuâ cœnâ metaphoricâ Sacramentarius, pro ſuis quiſque erroribus Anabaptiſta, Schwenckfeldianus, Quackerus &c. allegare queant; & hi ultimi præcipuè, qui, quòd valdè ſenſibiliter ad tremorem uſque perceellantur, inde ſuæ nomen ſectæ acceperunt. Tantùm variatio phraſis eſt, cùm id, quod Muſæus vocat *ſupernaturalem concurſum & elevationem objectivam*, Calixtus cum aliis vocat *teſtimonium infallibile, ſed occultum ſpiritus divini*, Rivetus cum aliis Calviniſtis *publicam ſpiritus auctoritatem, in verbo* DEI *Chriſtianis omnibus communem, vel Verbum* DEI *ſyncerum ſecundum ſenſum ſpiritus ſancti &c.* Hæc ratio formaliſſima eſt, quâ veluti unicâ & eſſentiali omnis omnino hæreſis Bibliſtica diſtinguitur à fide Catholicâ, inter ſe verò in hoc formaliſſimè conveniant, etſi in articulis & objectis materialibus aliqua earum (ut Ianſeniana) plus cum Catholicis, quàm cum Lutheranis vel Calvinianis conveniat. Hinc denique enaſcitur 8. abſurdum, Circulus ille vitioſus de im-

Digitized by Google

& impius, quem in probandis ſuis erroribus neceſſario admittunt omnes hujus privati ſpiritûs idololatræ. Quocunque enim nomine aut velamento veſtitum nobis ſuæ fidei motivum ultimum enuncient, ſemper adigi manifeſtè poſſunt, quòd credant ſcripturas, aut ſuos proprios inde fabricatos errores, propter internum illud teſtimonium ſpiritûs, ſeu concurſum ſupernaturalem; hunc verò rurſus non aliter, quàm per ſcripturam. Niſi enim per ſcripturam illum probent, impoſſibile eſt, ut infallibiliter ſibi perſuadeant, hunc inſtinctum ſpiritûs internum, concurſum ſupernaturalem eſſe, eſſe à Deo, & non à Diabolo, eſſe ſpiritum veritatis, & non mendacii &c. Cùm juxta omnium illorum principium nulla detur certitudo infallibilis de objectis fide divina credendis, niſi ex S. Scripturâ. Ergò & hoc eorum motivum ultimum, & objectum formale fidei, quomodocunque nominent, debet ſuam firmitatem ex eâdem ſcripturâ habere, & hæc ſuam viciſſim ex Motivo iſto. quod eſt evidenter in circuitu ambulare. Aut ſi hoc recuſent admittere; hoc ipſo convincitur omnis ea perſuaſio eſſe vel proprii cerebri, vel Dæmonis. Vide Baconum in Analyſi lib. IV. cap. 2. & 3.

Plura ex hactenus allatis argumentis exhibui in ſecundâ parte Anti Muſæi Qu. VII. §. 3. ſed Muſæus nunc ad illa penitus obmutuit, fortè ea etiam videri volens tanquam *NVGAS reſponſo non dignari*; ſed quæ ego cujuſvis æqui & periti Lectoris judicio permitto, an non ſint Romano digna Trophæo?

CAPUT TERTIUM.

Difflantur fundamenta Muſæani commenti.

ADmiranda eſt Muſæi audacia, ne dicam impudentia, quâ ut Cap. I. vidimus, gloriatur commentum ſuum eſſe *veritatem demonſtratam, eamque liquidiſſimam, & vel ipſa ſolis luce clariorem*; ac proin omnes Catholicos Doctores eſſe veſpertiliones, omnes verò Hæreticos, qui eandem reipſâ, licet aliter & aliter nuncupatam, jactant, eſſe aquilas, qui fixis illam oculis intueri valeant. Sed revera nullas video apodixes, imo ne probabiles quidem & difficulter ſolubiles rationes, ſed quæ pari facilitate, & potiori jure negantur, quàm affirmantur. Sic igitur arguit

Primò. *Revelatio divina in ſcripturis per ſe nihil continet, præter verba & res per illa ſignificatas.* Concedo ſine verboſâ Muſæi probatione, quid tum? *Relinquitur ergò, quòd ſupernaturali Dei concurſu elevata voluntas intellectum in aſſenſum ſui, & credendorum revelatio divina moveat, adeoque ſupernaturalis ille concurſus ad rationem formalem objectivam pertineat.* Nego ſequelam, quæ certè major non apparet, quàm à baculo ad angulum argutatio. Quomodo enim ſupernaturalis concurſus omni viatori, fatente Muſæo, obſcuriſſimus, in notitiam alterius ignoti trahere poteſt? Hæc quis capiat? Et tamen Muſæus hanc ſequelam ne verbo probat. Quòd verò eadem illatio, non tantùm ſit elumbis & nulla, ſed etiam involvat abſurda & chimæras, jam priori capite vidimus.

Secun-

Secundò probat ex 1. Theſ. II. ℣. 13. ubi Apoſtolus *DEO gratias agit, quòd ſermonem auditus Theſſalonicenſes acceperint, non ut ſermonem hominum, (ſicut verè eſt,) ſed ut DEI ſermonem. qui etiam in vobis, qui creditis, operatur.* Hinc ita arguit Muſæus. *Quâ virtute verbum Dei ab Apoſtolo prædicatum Theſſalonicenſes movit ad credendum, quòd non ſit nudum hominis verbum, ſed verbum, quod Deus ipſe per Apoſtolos loqueretur, illâ movetur, ut eam à Deo profectam eſſe, & quæ eâ continentur, Deum teſtificari credant. Sed verbum Dei ab Apoſtolis prædicatum ſic movit Theſſalonicenſes. Ergo virtute Dei tanquam principalis moventis etiamnum movet revelatio in ſcripturis divinis poſita hominum corda ut eam à DEO profectam eſſe, & quæ iis continentur, Deum teſtificari credant.* Reſp. Diſſimulatâ Majore, quæ ob ſuam ambiguitatem faciliùs negari, quam probari poteſt, ſimpliciter nego Minorem. Niſi enim Apoſtolos Chriſtus armaſſet *virtute Spiritus S. & ita prædicationi eorum fuiſſet cooperatus, ut ſermo eorum confirmaretur ſequentibus ſignis*, nunquam Gentes ad Crucifixi fidem & venerationem adduxiſſet. Quod de ſe Paulus 2. Cor. XII. ℣. 1. refert, pariter in veritate poterunt gloriari in Domino iiſdem verbis: *Tametſi nihil ſim, ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in SIGNIS & PRODIGIIS & VIRTVTIBVS.* Et ratio univerſalis à priori eſt, quia nemo prudenter credit, (maximè ſuper omnia & fide divinâ,) niſi videat eſſe credibile & credendum. At objectum naturaliter impoſſibile non fit credibile, niſi ex argumentis & ſignis extrinſecis appareat credibile, ac proinde honeſtas & obligatio credendi. Ergo nemo prudenter credit, niſi inductus aliquo ſaltem argumento evidenti, v. g. excitatione mortui, in quo cætera veluti in compendio includuntur, ut infrà Cap. V. pluribus oſtendetur. Vnde retorquetur Muſæi argumentum. *Quâ virtute Theſſalonicenſes &c.* eâdem moventur & nunc fideles. At movebantur illi ſignis extra ipſam prædicationem Pauli. Ergò & nunc.

Tertiò confirmat idem ex eo, quod Matth. VII. 38. dicitur: *Turbam fuiſſe Chriſti doctrinâ percuſſam &c.* quo ipſo tribuitur prædicationi à Chriſto peractæ vis altior & efficacior ad movendos hominum animos, nempe ſupernaturalis. Hanc autem vim percellendi non habuit doctrina Chriſti à verbis, nec à rebus per illa ſignificatis. Ergò à concurſu ſupernaturali. Ergò & nunc eadem doctrina divina creditur ob eundem concurſum ſupernaturalem, tanquam ob motivum formale. Reſp. Eſt & hæc arena ſine calce. Nam primò Evangeliſta non dicit, quòd turbæ illæ efficaciâ prædicationis CHRISTI fuerint permotæ ad credendum, Eum eſſe Filium DEI, aut alium ſimilem articulum Fidei. Ergò perculſio illa vel ſtupefactio nihil ad rem noſtram facit. Secundò Ardens illa prædicatio, quâ percellebant animos auditorum SS. Ioannes Baptiſta, Petrus & Paulus, Vincentius Ferrerius, Franciſcus Xaverius, & alii viri Apoſtolici, qui multa millia animarum Verbi efficaciâ CHRISTO lucrifecerunt, non ideo tanquam verbum DEI, & (ſi ſcripto ſervata fuit, ſicut ſermones S. Vincentii Ferrerii,) tanquam ſcriptura Canonica habetur. Similiter quæ deinceps num. 67. & ſeqq. ex S. Ioan. cap. V. *Tres ſunt qui teſtimonium &c.* verboſè, ſed extra formam ſyllogiſticam depromit, non plùs probant, quàm de ſcopis diſſolutis ſomnia quodlibetica, & ſufficienter ſimplici inficiatione refelluntur. Veriſſimum eſt, quòd juxta S. Ioannem divinitati Chriſti perhibeant teſtimonium, ſicut tres in Cœlo Pater, Verbum, Spiritus S. ita tres etiam in terrâ Aqua

Digitized by Google

baptiſmi, Sanguis in morte profuſus, & Spiritûs S. Chariſmata Fidelibus largiter communicata &c. Sed quid, quæſo, hæc ad objectum formale Fidei, & verborum bibliacorum, & pariter voluntatis humanæ elevationem ſupernaturalem? Cui ante Muſæum tale commentum etiam per ſomnium venit in mentem? Eodem trahit num. 71. illa verba Apoſtoli, quibus ad Rom. 1. ỽ. 16. & 1. Cor. I. ỽ. 18. 23. & 24. & cap. II. ỽ 4. Evangelium vocat *POTENTIAM DEI.* Dein repetens ſuum primum argumentum ſublimit. Sed hæc potentia non eſt in verbis ſcripturæ, nec in rebus per illa ſignificatis. Ergò in illâ elevatione; quartum non datur. At licèt ſupra univerſaliter admiſſo antecedente hujus argumenti, negata ſit conſequentia: hic tamen ſpecialiter negari debet, quòd dixit potentiam ſeu virtutem convertendi homines non eſſe in rebus per verba ſcripturæ ſignificatis. Cur enim hic non longè veriùs nomine Evangelii intelligantur Myſteria, & objecta per Evangelium revelata, nempe Filii DEI incarnatio, paſſio, mors, merita, Sacramenta, præcepta, conſilia &c.? hæc ſunt, quæ prædicatione percepta, animos hominum à terrâ ad cœlum convertunt. Nulli autem interpreti ſive Catholico ſive Hæretico, etiam per ſomnium (niſi fallor) venit in mentem, ex iis locis SS. Scripturæ extundere concurſum & elevationem ſupernaturalem, eamque geminam, nempe & verborum ſacrorum & voluntatis fidei aſſenſum imperantis. Crediderim tamen applauſuros omnes Cacodoxos, etiam Anabaptiſtas & Quackeros, quòd cauſam communem privati ſpiritûs tam ingenioſè egerit, & dudum toties exploſum informe monſtrum tam ſpecioſo velamine amixerit.

CAPUT QUARTUM.

Error Muſæi de propoſitione fidei ſufficiente evertitur.

IS in Diſp. VIII. primæ partis per totum contendit evincere, tantùm in convertendis à Paganiſmo neceſſarium eſſe, ut per ſigna credibilitatis diſponantur ad legendam vel audiendam S. Scripturam, ut hinc fidem accipiant; iis verò, qui jam ante quocunque modo admittunt SS. Scripturas, nullis opus eſſe ejuſmodi ſignis. Verbo id unice agit, ut omnis auctoritas infallibilis Eccleſiæ adimatur, & cuncta reducantur ad Scripturam & voluntatem concurſu DEI ſupernaturali elevatas, adeoque cunctis viribus ſatagit, ut clariſſimum illud & celebratiſſimum S. Auguſtini dictum [*Ego nec Evangelio crederem, niſi me Eccleſia moveret auctoritas*] tanquam ſuo errori non adverſum alio detorqueat. Ad converſionem Paganorum quod attinet, patebit tum ex dictis Troph. 1. Cap. VI. tum ex dicendis paulò pòſt Cap. V. & Dialogo priori, qui huic Trophæo appendetur, quàm vanus ſit ille conatus eâ methodo Muſæanâ ad Chriſtum convertendi Gentiles. De iis autem, qui ſe quoquo modo Chriſtianos vocant, & ſcripturam aliquam divinitus revelatam admittunt, falſiſſimam eſſe doctrinam, operosè in dictâ Diſp. 8. traditam, evidenter jam à me in Analyſis quæſt. VI. oſtenſum eſt. Quæ Muſæus ne verbo quidem attigit, quantùm-

túmvis ſpecialiter de iis præmiſerim, me ad ea hactenus nullum idoneum vidiſſe reſponſum; certumque habere nec à Muſæo, aut ullo alio Bibliſtarum dari unquam poſſe. Quodſi ea interrogatoria, cum aliis in primo Trophæo notatis, tanquam *NVGAS reſponſo dignatus non eſt*; par erit hic ea, Trophæo ſecundo affixa, quorumvis cordatorum, etiam e Proteſtantium cœtu, Lectorum judicio permittere, an non ſaltem vehementer ſuſpectam reddant univerſum Lutheraniſmum, ſi non etiam, quod pro certo habeo, funditus evertant.

Quæro igitur ex te, Muſæe, I. Vnde ſcis Biblia veſtra, à Luthero in vernaculum verſa, eſſe verbum DEI? An quia Lutherus dixit? At hunc non modò hominem mendacem fuiſſe, ſed etiam in ſuis ſcriptis innumera, eaque apertiſſima mendacia admiſiſſe, nec ipſe puto negaveris. Quis verò, niſi vecors, tali homini fidem adhibeat in re tantâ? Si à Luthero ad Miniſtros Evangelii Lutherani, & totam ejus ſynagogam pergas, eorumque nobis conſenſum opponas, riſum movebis non tantùm Catholicis, ſed Calviniſtis quoque, & omnibus extra tuos Gregales. Recurres forte ad inclyta illa criteria, tantopere ab Hæreticis jactata? At licèt his liberaliter acquieſceremus; (quod ſeriò, dum ſapimus, facere nequimus,) Vnde oſtendes, Criteria illa magis favere canoni & verſioni Lutheranæ, quam Calvinicæ, aut cujusvis alterius ſectæ? Ad traditionem certè Eccleſiaſticam confugere non potes, cùm nullam agnoſcas infallibilem, & quæ ſit Verbum DEI. Num fortè dices tibi DEVM immediatè in corde tuo dictare, hæc & non alia (ſaltem extra Fontes) eſſe verbum DEI? At nunquid tu, exploderes Calviniſtam, qui ſimile reſponſum pro Tigurinis aut Genevenſibus ederet? Cur verò tu minùs ac ille, ſibilos mereberis? Aveo hic intelligere, quid tandem excogitare poſſis, quod plùs quàm aliquid prædictorum, animum interrogantis quietare poſſit? Ad Papiſtas certè ſine falſo riſu, & ſibilis Sinenſis Philoſophi non recurres.

Quæro abs te II. Nunquid juxta vos Evangelicos nihil debet credi tanquam verbum DEI extra SS. Scripturas? Id certè conceptis verbis affirmaſti, duobus numeris ultimis. Atque has & non alias eſſe SS. Scripturas, non dicunt veſtra etiam Biblia. Ergò veſtra Biblia eſſe ſacram Scripturam vel verbum DEI, non debet credi fide divinâ. Vnde ergò probatur, illas, ut unà cum voluntate hominis ſupernaturali DEI concurſu elevatas, eſſe objectum formale Fidei? Et ne putes me vim facere in verſione Lutheri vernaculâ, accipe fontes Hebræos & Græcos. Hinc tu oſtende, hos & non alios libros Moſis, hæc & non alia Evangelia eſſe Verbum DEI.

Quæro abs te III. An non verba Biblіaca, ſive ſcripto ſive voce prolata, ſint tantùm æquivocè & analogicè verbum DEI? Quis dubitet? Cùm hoc, ut à Deo in tempore profectum, & ab homine perceptum audıtúmque, in mentis conceptu conſiſtat, cujus voces illæ exteriores poſteris relictæ tantùm ſunt ſigna. Ergò verè & propriè verbum DEI tantùm in vero & genuino ſenſu verborum Bibliacorum conſiſtit, ideoque potiùs in veſtris Gloſſis Ienenſibus, (ſi has ponatis veras,) quàm in textu vernaculo è verſione Lutheri. At hoc tu præcisè negâſti ſuprà in Præt. pag. 73. Quid ergò? Elevatio inquies. Sed hoc ſomnium jam ſat exploſum eſt duobus prioribus Capp. Hic tantùm addo & quæro, an illa dependentia, concurſus, elevatio, (vel quibusquibus nominibus

 pla-

placeat appellare,) planè ſupernaturalis juxta te, & conſequenter obſcura, poſſit movere voluntatem, ut honeſtè imperet aſſenſum firmiſſimum & ſuper omnia, myſteriis naturaliter impoſſibilibus & incredibilibus, nullis argumentis & ſignis evidentis credibilitatis prælucentibus? Si annuis; facis peſſimè conſtitutam eſſe naturam, quæ fecerit, ut voluntas poſſit ad errores abſurdiſſimos æquè ac ad myſteria diviniſſima honeſtè cogere intellectum, nullis præcedentibus ſignis evidentis credibilitatis & conſequenter honeſtatis. Si renuis; ſentis nobiſcum, & retractas, quod hactenus præfractè negâſti.

IV. Denique Quæro abs te, Muſæe. Cùm omnes Lutherani & Calvinici conveniant cum Catholicis, iſta verba [*Hoc eſt Corpus meum.* Item. *Vbi duo vel tres ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Et *Ego vobiſcum ſum, uſque ad conſummationem ſæculi.* Et *Aſcendit ſuper omnia, ut impleret omnia.*] eſſe divinæ & infallibilis veritatis, & tamen ſint ita inter ſe diviſi, ut quoad primum dictum Vos Lutherani Conſubſtantiationem, Nos Catholici Tranſubſtantiationem, Calvinici nudum ſubſtantiæ Chriſti ſignum credant; quoad poſteriora verò vos ipſi Lutherani ita ſitis diſſecti, ut Norimbergenſes cum Helmſtadienſibus, & plurimis aliis, qui Formulæ concordiæ recuſant ſubſcribere, veſtrum dogma ubiquitatis non modò dicant illaudabile, ſed etiam abominabile, non minùs quàm errorem Eutychianum, Tranſubſtantiationem Pontificiorum, & Tropum Calviniſtarum &c. Hæc, inquam, cùm ita ſe habere conſtet, nec tu diffiteri audeas; omnésne iſti Objectum formale fidei tenent, qui prædicta verba in ſuo quiſque ſenſu recipiunt ut à Deo dicta? An verò neceſſe eſt, ut in aliquo determinato ſenſu? ſi priùs dixeris; apertè tranſis ad Religionem Regis Pſittacorum, quam feſtivè exhibuêre DD. Waleburgici. Si poſterius; Ergò veſtræ Gloſſæ Ienenſes, iiſque concordes Lutherici (quos inter ne Norimbergenſes quidem eſſe volunt, quamvis Tu Biblia illa Gloſſata malueris Norimbergenſia, quam Ienenſe aut Winmarienſe Opus nuncupare) ſoli potiuntur objecto formali Fidei juxta Te? Et cur? Hic quæſo reſponde categoricè ad rem, non admittendo *ſpiritus privati occultum teſtimonium*, omnium Hæreticorum baſin, formam, animam &c. Aut ſi hoc tibi impoſſibile; quo jure Tu cæteros fratres Cadmæos ejuſdem uſu & jactatione Spiritûs, phraſi licet variâ amicti, arcere queas? Cur denique ita ſiles etiamnum de illo Keddiano ſyllogiſmo in I. Appendice parall. §. 10. producto, cùm & in Diſp. VI. tuâ de Converſione peccatoris, & nuperâ Diſp. VIII. & IX. de propoſitione Fidei ſufficiente, vel maximè exigebat tractatio, ut oſtenderes, Objectum formale Fidei divinæ, ſive *depentiam & connotationem divini teſtimonii*, ſolis competere gloſſis Ienenſium, & eorum tantùm *elevari per concurſum DEI ſupernaturalem voluntatem*, qui illis ſubſcribunt concorditer in puncto ubiquitatis &c.?

Ex hactenus refutatâ Lutheranorum doctrinâ, neceſſariâ conſecutione inferuntur hæc Corollaria. I. Omnes, qui ab illis eliciuntur fidei aſſenſus circa articulos etiam veros & communes cum Catholicis, non eſſe niſi purè naturales, ſive opinionis, ſive fidei humanæ. Patet, quia non tantùm omnes, ſicut innituntur, ita inficiuntur illo falſo & commentitio Motivo, ſed etiam quia, cùm nullum poſſint extra Eccleſiæ authoritatem infallibilem, (quam ipſi averſantur,) habere certitudinem de libris Canonicis, conſequenter etiam non poſſunt infallibili & divinâ fide credere id, quod in iiſdem proponitur. Quomodo

modo enim niſi temerè credam, eſſe Verbum DEI infallibile, quod tale eſſe nullâ mihi auctoritate infallibili innoteſcit?

II. Hinc patet radix & fons ſummæ illius inter ſegreges omnes inconſtantiæ & varietatis in negotio Religionis omnium graviſſimo. Cùm enim & de canone, & verſione, & ſenſu genuino SS. Literarum nullam habeant Regulam vivam infallibilis auctoritatis, neceſſariò ex illâ humanarum apprehenſionum, judiciorum, affectuum &c. varietate, enaſcitur errorum infinita varietas: ſicut ſpiritus ille vertiginis in infinitum multiplici pollet fœcunditate quodlibeticæ parhermeniæ & paralogiſticæ, ut ex parte vidimus in Muſæo hactenus, & maximè patebit in Carnificinâ.

III. Itidem patet ratio quaſi à priori illius ſterilitatis ſpiritualis, de quâ in Troph. 1. cap. 6. de converſione Gentium, & in cap. 9. diximus, non poſſe ſegreges ex Gentilibus generare filios ſpirituales Chriſto. Semen hoc eſt equidem Verbum DEI, quòd cùm non niſi ſecundùm verbi extrinſecè vel ſcripti, vel pronunciati corticem ſit apud quoſvis ſectarios, mirum non eſt, quòd non habeat efficaciam verbi divini in generatione filiorum DEI, adeoque generat tantùm infelix lolium & filios gehennæ.

IV. Infertur: Non niſi per apertam ſycophantiam Muſæum paſſim arguere me alioſque Catholicos, tanquam ſcripturæ divinæ contemptores: eò quòd cum SS. Patribus conſtanter pronunciemus, Verbum Dei, ſeu revelata divinitùs, non in voce, ſed in ſenſu conſiſtere. Placet hic repetere verba, quibus quæſt. ult. Parall. concluſi, quæ Muſæus nec extremo digito auſus eſt attingere, cum cætera illius alioqui breviſſimæ Quæſtionis, convitiatoriâ verboſitate arietârit. Sic ergo finiebam: Hæreticis (teſte S. Auguſtino lib. de fide & ſymbolo c. 1. imò ipſâ experientiâ) ſolenne eſt *SVB IPSIS PAVCIS SYMBOLI VERBIS VENENA SVA OCCVLTARE.* Nullâ aliâ indicinâ opus eſſet Muſæo & ſociis, (ſi mens læva non eſſet,) quàm agnoſcere hunc genium, hanc quaſi characteriſticam Hæreticorum, quâ (ut loquitur S. Auguſtinus) *AD IMAGINES PHANTASMATVM SVORVM CONVERTVNT OMNIA SACRAMENTA ET VERBA S. SCRIPTVRÆ.* Hæc apud illos explet omnes Eccleſiæ Notas: hæc illis omnem doctrinæ complexionem facit, credendi regulam facit, legitimam miſſionem facit, defectum miraculorum ſupplet, antiquitatem facit, ſucceſſionem facit. Quid reipſâ autem eſt hæc? *Eſt impugnatio Legis ex verbo Legis* S. Ambroſius c. 3. Ep. ad Titum. *Eſt ſacrilegium litera* S. Greg. Naz. Orat. 4. de Theol. *Eſt illecebra impietatis hamo circumjecta, ſtatua ad omnes tranſeuntes ſe obvertens, communis utriuſq; pedis cothurnus &c.* Idem orat. de S. Athanaſio. *Eſt ars Diaboli, quâ & Chriſtum tentare auſus eſt.* S. Chryſoſt. Homil. contra Hæret. Tom. V. *Eſt aurum, argentum, & veſtis verſicolor DEI, quibus Hæretici operiunt idola ſua.* S. Auguſt. lib. 3. de Bapt. c. ult. *Denique eſt EVANGELIVM non Chriſti, ſed hominis, imò DIABOLI, cùm Verbum DEI non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtat.* S. Hieron. in Epiſt. ad Gal. c. 2. Ita SS. Patres uno ore; ita Nos, & nihil aliud. Quod certè evincit, ſolos Catholicos debitè venerari Verbum DEI, qui ejus Majeſtatem & ſanctitatem ab impio abuſu ejus, quem Hæretici ſub cortice SS. Verborum occultant, vindicare ſtudent.

Infertur V. id, quod ſuprà laudatus P. Michael ab Elizalda, ſapienter obſervat, & conſtanter affirmat qu. 22. Omnes Sectas, niſi ad Catholicam Eccleſiam veniant, per legitimas conſequentias ducere demum in Atheiſmum, vel Epicureiſmum, hoc eſt, ad relinquendam omnem Religionem eos omnes, qui aliquo ingenio pollent, nec harum rerum ſunt prorſus ignorantes. Etenim omnes illæ tales ſunt, quales apud nos Catholicos ſunt Scholæ Theologorum, vel Philoſophorum; & ſicut apud nos alii ſunt Thomiſtæ, alii Scotiſtæ, Nominales alii, Suariſtæ, Vaſquiſtæ, vel mixti: ſic in mundo alii ſunt Mahumetani, alii Lutherani, alii Calviniſtæ, &c. nec quicquam eſt, quo magis ad unam, vel aliam Religionem, vel nullam obligentur; & ſicut Nos in ſcholis mutamus, & variamus, & unusquiſque modo ſuo ſapit, & ſtatuit, & loquitur; & multi ſine ſcholis etiam vivunt: idem, quod experientia ſatis demonſtrat, neceſſe eſt, ut accidat aliarum Religionum ſectatoribus. Scilicet omnes laboramus, ſtatuimus, & ædificamus ſupra fundamentum aliquod, quod ſinguli putamus, vel dicimus eſſe certum & indefectibile. Mahumetani Alcoranum habent; Iudæi vetus Teſtamentum & Rabinos; Chriſtiani omnes habemus S. Scripturam in hac vel illâ verſione; & Scholæ Catholicorum inſuper habent SS. Conſilia & ſenſum Eccleſiæ. At præter hæc fundamenta opus eſt aliquâ interpretatione. Et ſic Rabini apud iudæos variant; & Alcoranum aliter Perſæ, & aliter Turcæ intelligunt, & hi literæ inſiſtunt, & illi ſenſui myſtico & per metaphoram multa temperant. Similiter apud Chriſtianos ſunt ejuſdem infallibilis libri varii interpretes, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Thomas, Scotus, Suarez; & etiam Lutherus, Calvinus & infiniti, qui apud nos Catholicos in iis, quæ Fidei non ſunt, ſed proprii judicii & expoſitionis, variant & pugnant; & ex hac varietate variæ pugnanteſque ſcholæ conſurgunt.

Iam, ut ad Sectarios vertamur, quid pluris Lutherus, vel Calvinus habuerit, quàm vel Auguſtinus, vel Thomas, precor, oſtendant. Aſſiſtentiam Spiritûs S. ſpecialem, quâ in rebus Fidei non errarent? Nihil eſſet impudentius & inconſequentius; cùm, ne illam vel uni Romano Pontifici, vel Conſiliis concederent, à Nobis defecerint; & hic vertant in ſe molimina ſua. Ergo Lutherus nihil habuit de aſſiſtentiâ infallibili, & homo erat errare potens, ſicut Auguſtinus vel Thomas. Certè non eſt, de quo conqueramini, cùm ſummis his viris permittimus Magiſtros veſtros conferri; nec amplius citra inſaniam petere poteſtis. At ego in conſcientiâ non obligor, ut expoſitionem S. Thomæ ſuper Epiſtolas Pauli ex integro ſaltem recipiam, vel expoſitionem S. Auguſtini ſuper Pſalmos: imò illas ut doctrinam Religionis acceptare non poſſum, & peccarem. Ergò idem eſt de expoſitione Lutheri. Et ſicut aliud in aliquo vel aliquibus, mihi vel aliis videtur, in quo Paulum aliter vel aliter intelligimus, & pugnæ Scholarum reſultant: ſic neceſſe eſt vobis accidat, ſi omninò cœci non eſtis & ſtupidi, & aliud, quàm Luthero, in aliquo vel aliquibus videbitur, & ſic variatis & mutatis Religiones & doctrinas Religionum, ſicuti Nos opiniones Scholarum, ſuntque apud Vos plures Religiones, quàm apud Nos Scholæ. Tertullian. de Præſcr. c. 42.

Quicunque ergò apud Vos, Lutherani, conſiderationem aliquam habet, ita locum concludat. Lutherus planè fuit homo: aſſiſtentiam illi tribuere Spiritus Sancti, ne erraret, eſt manifeſta ſtultitia, cùm tot Nos Evangelici moveamus contra ſimilem aſſiſtentiam,

quam

Digitized by Google

quam Catholici Romano Pontifici,vel Concilio,vel Eccleſiæ ſuæ adſcribunt, licet multorum ſæculorum poſſeſſione, nec ſine Scripturæ aliqualibus teſtimoniis id teneant & loquantur. Et licet videam, (detur & hoc ultrò,) nullam aliam expoſitionem ita aptam & cohærentem eſſe; at qui, vel unde ſciam,exemplar illud,quod expoſuit, eſſe verum & legitimum? Nam neque ad hoc tribuere illi poſſum aſſiſtentiam infallibilem; & cur potiùs illi, quàm Calvino! Et deinde; cur calceatos,cur divites non excluſi à Regno cœlorum,ut ſonat Scriptura? An ergò & ipſe modo meo Scripturam intelligam,& novam fabricabo Religionem? Sed nihil eſſet ſtultius; idemque illi & iſti licebit, & in idem redeo: nam & ego,& ſinguli errare poſſumus & falli, ſicut Lutherus. An ad Eccleſiam ſuam recurrat, illique aſſiſtentiam infallibilem adſcribat? Sed cur non & Calvinianæ? Dicet enim: Hanc Eccleſiam Lutherus fundavit,vel reformavit: in hoc errare potuit,vel decipi: ſi homo fuit & humanis caſibus obnoxius,errare poterat,vel in multis,vel in paucis,vel ſaltem in aliquo,ubi præſertim contra Doctores ferè omnes decernebat. Et deinde ipſa hæc Eccleſia Evangelica eſt cœtus hominum fallibilium ſimiliter. Si Catholica vel Romana erravit, cur non & iſta? Num quia iſta eſt vera Eccleſia? At unde hoc mihi perſuadeam? An per Examen Scripturæ & dogmatum? Sed cujus Scripturæ? Et deinde cujus ſenſu? cur Lutheri potiùs, quàm S. Thomæ? cur meo potiùs quàm Scoti? quare hæc literaliter ſumam,& illa alia tropicè, vel allegoricè, vel hyperbolicè? Num quia Eccleſia mea ſic ſentit, quæ non errat? Sed redeunt dicta, ac rurſus committo circulum. Nam nuper dicebam,Eccleſiam meam eſſe veram,quia Scripturam rectè & verè intelligit. Nunc autem dico,Hæc,vel illa ſic,vel ſic,literaliter vel per tropum eſſe accipienda,quia Eccleſia mea ita ſentit,quæ vera eſt, nec errat.

Ex his porrò concludet, nihil eſſe,quo ipſe ad Religionem Lutheri ſit obligatus; idemque de quâvis aliâ concludet præter noſtram Catholicam. Si verò obligationem nullam habet,omnes licebit relinquere. Imò Religio non obligans non eſt Religio, ſed Opinio, & quales ſunt opiniones Scholarum. Ergò omnis alia Religio præter Noſtram ad Atheos vel Epicureos ducit; nec etiam,quando tenetur,Religio eſt, ſed opinio, & ſicut Schola aliqua noſtra.-- Hinc videmus,quòd multi alium exitum non invenientes, in eam ſtultitiam prolapſi ſint,ut dicant,ſufficere ad ſalutem hoc unum, in quo Chriſtiani omnes conveniunt,ſcilicet,credere in CHRISTVM,& reliqua eſſe controverſias Scholarum, quæ nil interſint. Heu quò ducunt hæreſes? -- Quod ſi porrò aliqui ſenſu ſuo Religionem non tenent,illi neceſſariò ſeſe ſubjiciunt alicui fallibili intelligentiæ vel expoſitioni, ſive Lutheri, (ut Concordiſtæ,) ſive quicunque ſit, qui certè haud major erit Auguſtino, vel Thomâ. At quod Auguſtino, vel Thomæ videtur, Religionem non facit. Ergò ad ſolam Religionem & Eccleſiam Catholicam veniendum, extra quam in terris non datur infallibilis Interpres & Iudex articulorum credendorum, ut jamjam patebit ex Analyſi Fidei à Catholicis recepta.

Digitized by Google

CAPVT QVINTVM.

Analyſis Fidei à Catholicis ſine omni lite recepta proponitur.

QVod olim Nic. Conringio Helmſtadienſi Medico & G. Ameſio Anglo Calviniano oppoſui, & hactenus manſit inconcluſum, hic repeto, &

DICO. I. Principium actuum Fidei non eſt aliud, quàm ipſa ratio formalis credendi Myſteria, nimirum prima Veritas revelans. Vnde II. ſive Fides dicatur eſſe diſcurſiva, ſive negetur, (quod inter Theologos ſub opinione pendet;) ſemper verum eſt apud omnes Catholicos, quemvis aſſenſum Myſteriorum Fidei Chriſtianæ vel formaliter vel virtualiter inniti (indiſpenſabiliter) iſtis duobus Principiis (Quidquid Deus revelavit, hoc infallibiliter verum & credendũ eſt: Hoc myſteriũ N. revelatum eſt) III. Cum revelatio vel locutio DEI ſit varia variiſq; indiciis innoteſcat, hinc inprimis omnibus illis, quibus immediatè DEVS locutus eſt, puta Prophetis & Apoſtolis, nullis aliis adminiculis aut regulis opus erat ad credendum, niſi illis ipſis indiciis, quibus evidenter fiebat credibile DEVM eſſe, qui loquitur. IV. Cæteri omnes deinceps, præter motiva credibilitatis, indigent aliquibus regulis infallibilibus, ne aberremus tum in ipſo numero & contextu verbali credendorum, tum in ſenſu genuino eorum. V. Regula ejuſmodi alia eſt non viva, ſeu Verbum DEI ſcriptum & traditum; alia viva, & eſt Eccleſia loquens per caput ſuum Rom. Pontificem, ſive hoc fiat cum aut in Concilio generali, ſive extra, &c. VI. Hinc patet, non requiri neceſſariò ad quemvis Fidei aſſenſum etiamnum, ut propoſitio fiat per infallibilem Eccleſiæ auctoritatem. Nam ipſa auctoritas infallibilis Eccleſiæ creditur Fide divina, quæ docet in Eccleſia eſſe talem auctoritatem. Sed ante aſſenſum hujus articuli non exigitur ipſa auctoritas infallibilis, propoſita fidelibus tanquam motivum aſſenſus. Ergo non ad quemvis aſſenſum Fidei opus eſt propoſitione factâ per infallibilem Eccleſiæ auctoritatem. Confirmatur experientiâ. Quia conſtat non modò Actorum cap. III. & IV. S. Petrum nullâ factâ mentione Eccleſiæ & Præpoſitorum ejus, multa millia ad Fidem CHRISTI perduxiſſe, ſed etiam alios plures viſo miraculo, aut aliis illuſtrioribus Fidei motivis perſpectis, credidiſſe in CHRISTVM, & etiam ſic Martyrio vel aliter vitâ deceſſiſſe, antequam poſteriores ſymboli articulos docerentur. VII. Infertur ulteriùs neceſſariam eſſe propoſitionem dogmatum Fidei per infallibilẽ Eccleſiæ auctoritatem, quoties aſſenſus Fidei per ſe dependet ab auctoritate infallibili Eccleſiæ, uti fit in iis dogmatibus, quibus ante definitionem Eccleſiæ inter Catholicos controverſis, & ſolâ definitione Eccleſiæ communiter credibilibus, Catholicè aſſenſum præbemus; uti ſi jam definiretur Immaculata B. Virginis Conceptio, &c. VIII. Vt nunc corpus doctrinæ Catholicæ univerſim ſine erroris periculo diſcatur, conſuetâ & ordinariâ DEI providentiâ requiritur talis propoſitio dogmatum, quæ conjuncta ſit cum publicâ auctoritate Eccleſiæ, quod patet vel exemplo S. Auguſtini, cujus eſt celeberrimum illud: *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ moveret auctoritas.* Quod dictum valdè torquet

Luthero-

Luthero-Calvinicos, & fruſtra ab iis viciſſim aliò detorquetur. Et hinc patet, quâ ratione ſine ullo circuli vitio Fides Catholica reſolvi poſſit nihilominus etiam aliquâ ratione in Eccleſiæ auctoritatem, hâc nempe ratione. Quærat quis à me: Vnde ſcis Chriſtum Mundi ſalvatorem eſſe realiter præſentem in S. Euchariſtiâ? Reſpondeo, id me credere ob auctoritatem DEI per verbum ſuum ita revelantis. Sed unde ſcis, has literas eſſe divinas? Reſpondeo, quia Eccleſia à Spiritu S. edocta eas infallibili auctoritate proponit. Vnde verò ſcis, Eccleſiam hâc infallibili auctoritate pollere, ac veritatis Magiſtram & columnam à Deo conſtitutam eſſe? Reſpondeo, me id credere propter auctoritatem Dei loquentis & ſonantis per eandem Eccleſiam. At unde ſcis Deum per os Eccleſiæ verè loqui? Reſpondeo, eò me id credere, quia volo, ſeu quia voluntatis imperio flecto & captivo intellectum in obſequium Fidei. [Et ſic jam mutatur Motivi genus tranſeundo ab intellectu ad voluntatem, nec tamen filum Reſolutionis abrumpitur.] Vnde verò hæc tibi voluntas captivandi te, & acceptandi hanc Eccleſiam ut Regulam fidei vivam & organum DEI? Reſpondeo, quia perſpicuè video, id adeò rationi, honeſtati & prudentiæ conſonum eſſe, ut manifeſtæ ſit temeritatis, impietatis ac inſaniæ, in re tanti momenti id non facere. Quodſi demum inſtes: Vnde clarè ſcis creditu digniſſimum eſſe, quòd hæc ſit vera & infallibilis DEI Eccleſia? Reſpondeo, quia evidentiſſimum eſt huic Eccleſiæ eas Notas ac proprietates ineſſe, quæcunque cætera Dei organa reddidêre hominibus credibilia, quæque ad hoc jure deſiderari queunt. Evidens enim eſt, hunc cœtum hominum, Romano ſcil. Pontifici capiti viſibili junctam congregationem ab Apoſtolis plantatam eſſe, nemine in dubium id vocante. Evidens eſt, in eâ ſemper floruiſſe plurimos ſapientiâ, vitæ innocentiâ, ſæculi contemptu, & Gentium converſione, miraculorum gloriâ ac ipſâ ſanguinis profuſione conſpicuos. Evidens eſt, vetera Prophetarum vaticinia de ſplendore & amplitudine veræ Gentium Eccleſiæ ei mirificè convenire. Evidens eſt, in eâ ſummam eſſe doctrinæ conſenſionem, nullas ſectas, ac denique nullam in eâ unquam factam eſſe doctrinæ ad fidem pertinentis mutationem, quicquid fruſtra Novatores evincere conati ſint.

Analyſis fidei Catholicæ hactenus data ob omnibus Catholicis ſine lite recipitur, ut juxta omnes objectum formale fidei divinæ ſit veritas divina revelans, ita ut formaliter hæc & in recto nihil creatum involvat, ſed tantùm in obliquo revelationem temporalem. Quòd verò deinceps ſcholaſtici idipſum diverſimodè aliâ atque aliâ viâ, aliâ formalitate explicent, [v. g. præciſè, vel ſub conceptu Deitatis, ut Cajetanus & Aureolus; vel veritatis Dei in cognoſcendo, ut S. Bonaventura; vel ejuſdem in dicendo, ut Durandus; vel auctoritatis divinæ ſecundùm ſe, quatenus complectitur ſapientiam falli neſciam, & veracitatem, quæ fallere nequeat, ut plures cum Ripalda; vel auctoritatis divinæ junctâ auctoritate Eccleſiæ, ut Durandus & Medina, vel revelationis externæ & temporariæ cum auctoritate & revelatione Dei internâ, ut Suarez, Tannerus, Valentia;] ad rem nihil facit. Hi enim & alii omnes reipſa conveniunt in auctoritate divinâ revelante; diſſident autem vel ſolùm in vocibus vel diverſâ expreſſione ejuſdem formaliter perfectionis divinæ. Similiter quòd aliqui ipſam revelationem temporalem, formalem, paſſivam, creatam adjungant auctoritati divinæ rationi formali objectivæ fidei, alii ſolam internam, increatam,

Digitized by Google

æternam voluntatem revelandi veracitati & ſapientiæ divinæ junctam velint ſufficere ad motivum formale fidei divinæ, eſt res purè ſcholaſtica, quæ nihil ad controverſiam Fidei. Vnde non eſt, quòd Muſæus laboret in iis diſcutiendis vel diſcendis, velitque ſibi explicari, quid per revelationem activam & intrinſecam DEO intelligamus. Diſcat priùs fidem Catholicam, & tunc à ſcholaſticis, quæ inter ipſos ſalvâ fide & charitate agitantur. Ad quid, niſi vel ad vanam oſtentationem, vel ad perſuadendum imperito Lectori conducit, jactare pro ſe ſtantes multos ſcholaſticos? quorum operosè repræſentat diſſidia circa propoſitionem fidei ſufficientem, an falſum poſſit evidenter fieri credibile tanquam dictum à DEO? An motiva credibilitatis ſint complementum ipſius revelationis olim Prophetis & Apoſtolis factæ, an verò tantum conditio applicans? Item an pro rudibus & ſimplicibus requiratur eadem evidentia credibilitatis, quæ pro doctis & ingenioſis? &c. Ad hæc inquam excurrere ſunt planè impertinentes extravagationes & effugia vana non volentis attingere, nec valentis cum ullo veritatis colore ſuum commentum de objectivâ motione ſupernaturali &c. ſuſtinere. Quæcunque verò noſtræ Catholicæ communiter receptæ Analyſi à Muſæo directè objiciuntur, ad duo hæc capita adducuntur, nempe. 1. ut ejus ſalvetur ſupernaturalitas. 2. ut oſtendatur, motiva credibilitatis non eſſe motivum formale aſſenſûs fidei, neque per illa ullum eſſe periculum, *ut per fraudes injuſtitiæ Antichriſtianæ multiplices doctrinæ Dæmoniorum*, tanquam evidenter credibiles, tranſeant apud Nos in articulos Fidei, quæ duo proximis 2. capp. expediemus. Hic ſolùm moneo univerſaliter de illis Extravagantiis Muſæanis circa controverſias DD. Scholaſticorum, quod etiam frequenter in Bell. vind. præſertim Tom. III. lib. IV. cap. 9. §. 5. notavi, quàm puerilis & vitioſa ſit illa Hæreticorum uſitatiſſima conſuetudo arietandi dogmata Catholica ex eo, quòd in modo ea explicandi, & defendendi non conveniant Scholaſtici, aut quia non conſtat, in quo præciſè aut formaliter conſiſtat eſſentia alicujus rei, quæ abſurditas l.c. pluribus exemplis oſtenditur; eſtque hæc methodus Babylonica planè digna iſtis Auctoribus, qui non ex certis ſtudent devenire in cognitionem dubiorum, quæ eſt genuina Logica, & modus ſciendi, ſed ex incertis & ſub opinione relictis omnes articulos SS. Trinitatis, Incarnationis, Realis præſentiæ in S. Euchariſtiâ &c. etiam quos ſegreges iſti cum Catholicis adhuc communes (materialiter) retinent, funditus evertere.

CAPUT SEXTUM.

Supernaturalitas Fidei Catholicæ adſtruitur.

HOc punctum ſuprà Trophæo I. cap. VIII. attigimus, & in ſecundâ parte AntiMuſæi cap. III. & IV. ab objectionibus Muſæanis vindicavi, ut mirum ſit, quòd homo ſuam cramben nunc denuò proponat, nec vel leviter mea infirmare ſatagat. Nullam certè invenio ullius momenti replicam ad meas reſponſiones, quas fortè ut *NVGAS*, uti plura meorum argumentorum, *reſponſione non dignatur.* Contraham itaque rem in pauca; & cùm plures in opere credendi actus interveniant, ſcil. 1. Apprehenſio credendorum. 2.

Iudi-

Iudicium credibilitatis. 3. Voluntatis imperium, quo compellit intellectum ad credendum. 4. Denique ipſe aſſenſus;

DICO I. Aſſenſus Fdei divinæ, qui unicè movetur auctoritate DEI volentis revelare, eſt eſſentialiter ſupernaturalis. Patet, quia motivum hoc eſt in ſubſtantiâ ſuâ increatum & ſupernaturale, non minùs quàm bonitas DEI infinita, tam abſoluta quàm reſpectiva, reſpectu Charitatis & Spei. Sicut ergò hi habitus & actus ſunt in ſuâ ſubſtantiâ ſupernaturales, ita & Fidei, cùm objectum formale, & principale materiale ſit ipſe DEVS.

Dices. Veracitas & ſapientia DEI naturali diſcurſu innoteſcit. Ergò non magis poteſt eſſe motivum actûs ſupernaturalis, quàm quodlibet ejus prædicatum lumine naturæ notum. Reſp. 1. ſi hoc argumentum valeret, everteretur omnis virtus Theologica: nam etiam per diſcurſum naturalem poteſt inferri Bonitas DEI infinita tam abſoluta quàm reſpectiva. Reſp. 2. Cùm iſta non ex apprehenſione terminorum immediatè, ſed per diſcurſum non ita obvium pluribus innoteſcant, ita prædicata Bonitatis & Auctoritatis divinæ per ipſam fidem etiam creduntur. Et hoc cogitur Muſæus fateri, etiam poſito ſuo abſurdiſſimo commento elevationis objectivæ. Nam vel negare cogitur fidem Chriſtianam eſſe fidem, cùm omnis fides eſſentialiter dicat aſſenſum propter auctoritatem loquentis; & per hoc unicè diſtinguitur à ſcientiâ & opinione, ut per ſe patet. Vnde manifeſtum eſt, etiam Lutheranos in ſuâ exiſtimatâ fide aſſentiri ſuis articulis, propter exiſtimatam Auctoritatem divinam. Hanc autem æquè evidens eſt à milleſimo e Lutheranis vel Catholicis non teneri per evidentem ἀπόδειξιν. Ergò illam credunt. In ipſo itaque aſſenſu Myſteriorum revelatorum ſine dubio multò magis credimus ipſam veracitatem divinam, quàm ſanctiſſimam Trinitatem v. g. Sumus enim ita diſpoſiti per illum actum, ut non crederemus Myſterium SS. Trinitatis, niſi appareret nobis ex ſignis credibilitatis connexum cum veritate DEI. Crederemus verò hanc, licet videremus eam connexam non quidem cum SS. Trinitate, ſed cum alio quocunque objecto. Vnde manifeſtum eſt, eum aſſenſum eſſe ſupernaturalem.

At inquis. Semper manet difficultas, quomodo poſſimus credere DEVM vera loqui? Videtur id nuper in ingenioſâ ſuâ Summulâ Theologica P. Honoratus Fabri Tract. V. cap. 1. num. 6. profundè & acutè enodaſſe, quod non gravabor hic apponere. Sic ait: ſi obſcurè DEVS mihi revelet, ſe exiſtere, primò poſſum probabiliter per vires naturæ credere, DEVM verè loqui, & conſequenter DEVM exiſtere, id eſt, eſſe loquentem vel locutum. Si autem agatur de aſſenſu certo, qualem ſcil. DEVS à me exigit, per vires naturæ illum ponere non poſſum: nec enim poteſt intellectus ſuis viribus relictus aſſentiri certò objecto obſcurè propoſito: perpenſis tamen omnibus circumſtantiis & locutionis modo, judico eſſe credibile, hanc eſſe locutionem DEI, id eſt, prudenter poſſe credi. Hoc tamen poſito nondum poteſt voluntas imperare intellectui, ut certò aſſentiatur per ſuas vires. Vnde prævenitur à DEO ſingulari auxilio, oblatoque concurſu ad hunc imperii actum, ſi tamen ipſa uti velit. Hoc autem actu poſito, ſtatim intellectus etiam adjutus certum aſſenſum ponit, creditque DEVM verè loqui & conſequenter DEVM verè eſſe uno eodemque actu. Nec unum credit priuſquam aliud, cùm

non implicet eſſe, niſi aliud ſit, hoc eſt, credit Deum loqui vel Deum loquentem eſſe. Credit autem DEVM loqui, quia revera loquitur, nec ullum aliud motivum eſt, ſcil. ex parte objecti. Non tamen credit Deum eſſe, quia credit Deum loqui, nec viciſſim credit Deum loqui, quia credit eſſe; ſed ſimul & ſemel utrumque, id eſt, credit Deum loquentem eſſe. At Deus loquens neceſſariò Dei exiſtentiam importat, nec credere poteſt eſſe, niſi credat loqui, nec credere loqui, niſi credat eſſe. Non prius; Quia fides ſupponit Dei locutionem; Non poſterius Quia locutio ſupponit eſſe. Equidem poteſt eſſe & non loqui, & tunc non creditur eſſe. Igitur ut credatur eſſe, debet loqui; non quòd locutio ſit motivum, ſed mera conditio, quæ tamen eſt motivum ſui ut credatur. Nam credo ſimul & loqui & eſſe. Porrò licèt nulla in hoc actu Veritatis mentio fiat; (nam etſi per impoſſibile Deus ſummè verax non eſſet, & fallere poſſet, non tamen in hoc fallere poſſet, quòd revelet ſe eſſe; poſito enim, quòd illud reipſa revelet, in hoc certè fallere nequit. Nam ſi eſt revelans ipſum eſſe, neceſſe eſt eſſe, imò nec mendaciſſimus hominum, qui de ſeipſo dicat, quod ſit, mentiri ſeu fallere poteſt. Si enim dicit, eſt, & niſi eſſet, dicere quicquam non poſſet.) Tamen hic actus, quo credo Deum eſſe, ſeu Deum loquentem eſſe, attingit veritatem illam objectivam, cui tantùm certus aſſenſus præbetur; nec tantùm credo Deum loquentem eſſe, ſed verè loquentem. Ergò & veracem eſſe. Nam ille verax eſt, qui vera loquitur. Præterea non poſſum de Deo credere, quòd ſit, niſi credam aliquid eſſe. Nam ſi eſt, aliquid eſt. Sed ex omnibus attributis nullum eſt, quod explicitè attingam præter illud, quod eſt, eſſe vera loquentem ſeu veracem. Ergò concipio illud eſſe Dei, cum credo Deum eſſe per modum vera loquentis ſeu veracis. Ergò per illum actum attingo tantùm eſſentiam in veracitate. Ergò Deum eſſentialiter veracem. Ergò primam Veritatem, ſeu quod idem eſt, veracitatem per eſſentiam. Ergò quæ nec falli nec fallere poſſit. Ergò per eundem illum primum actum, credo Deum eſſe vera loquentem, hoc eſt, Deum loqui, veracem eſſe, & eſſe. Et in hoc primò actu idem eſt objectum ejuſque motivum. Credo enim Deum eſſe vera loquentem, quia Deus eſt vera loquens, nec in aliud reſolvitur ulterius ſcil. ut in motivum vel objectum formale; credo enim loqui, quia loquitur, ſed ſi loquitur, eſt, & vera loquitur. Ergò credo eſſe, & loqui, & vera loqui.

Sic igitur ſupernaturalitate aſſensûs fidei aſſertâ & explicatâ, ultrò ſequitur homogeneum debere præcedere imperium voluntatis, abſque quo implicat dari fidem, cùm *nemo credat niſi volens.* Imperium verò tale prærequirit ſimiliter judicium credibilitatis, quo evidenter myſteria cum tali apparentiâ ſignorum proponuntur nomine Dei, ut non poſſint abſque ſcelere negari, adeoque voluntas teneatur ad captivandum intellectum in obſequium CHRISTI. Et hæc omnia ſupernaturalia, præcedunt ſimiles quoque apprehenſiones per ſe requiſitæ ad credendum fide divinâ, quæ ſunt gratiæ excitantes & vocantes ad Fidem, de quibus Apoſtolus, & ex eo frequenter S. Auguſtinus ait: *Non poſſumus aliquid cogitare ex nobis tanquam ex nobis, ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt.*

Contra veritatem Catholicam hactenus explicatam arguit Muſæus I. *Sine quo objectivè movente voluntatis actus imperans intellectui aſſenſum fidei & ipſe hic aſſenſus haberi poteſt, id nec eſt, nec eſſe poteſt objectum formale Fidei. At juxta Nos ſine veracitate Dei objectivè moven-*

Digitized by Google

movente poteſt haberi imperium voluntatis, quâ cogatur intellectus ad aſſenſum. Ergo ſine veracitate objectivè movente datur actus Fidei. Reſp. I. Hoc argumentum non probat directè defectum ſupernaturalitatis in fide, ſed tantùm indirectè illam impugnat. Quia ſcil. ſola auctoritas divina non eſt objectum formale aſſenſûs fidei, non poterit conſequenter ea increata perfectio exigere ſupernaturalitatem in actu voluntatis imperante aſſenſum & in prævio credibilitatis judicio. Oppoſitum jam à nobis oſtenſum eſt, ita ut ne quidem à Muſæo de ſuâ Lutheranâ fide id negari queat, niſi velit fateri, eam non habere eſſentiam fidei, quæ univerſim formaliter in auctoritate loquentis fundatur. Hoc igitur poſito. Reſp. 2. Diſtinguendo in propoſitione majore ly *objectivè movente.* Si intelligitur de motione ſe ſolâ convincente, ſic negatur. Si de movente unà cum imperio voluntatis, ſic conceditur Major; ſed negatur Minor. Nam auctoritas ſola ob obſcuritatem locutionis divinæ non poteſt convincere intellectum ad aſſenſum Myſteriorum; accedente autem evidenti judicio credibilitatis de locutione divina, intellectus ex imperio voluntatis aſſentitur, & credit ſuper omnia Myſterium propter Auctoritatem divinam. Nunquam enim poſſet voluntas prudenter imperare aſſenſum firmiſſimum myſterio naturaliter impoſſibili & incredibili, niſi ad hoc moveret auctoritas fallere & falli neſcia. Vnde evertitur id, quod ſuprà in Trophæo I. cap. VIII. ajebat Muſæus; *Fidem divinam juxta Nos conſiſtere in aſſenſu credendorum, quem intellectus ex judicio credibilitatis evidenti ad imperium voluntatis elicit; ad quem non niſi duo per ſe neceſſariò requirantur, ſcil. judicium credibilitatis evidens, & actus voluntatis imperans & determinans intellectum ad credendum. Hæc duo autem per ſolas naturæ vires haberi poſſunt. Ergo nudus aſſenſus revelatorum juxta Pontificios eſt merè naturalis.* Patet inquam falſitas ejus, quod aſſeruit Muſæus, quaſi duo illa ſine auctoritate divinâ ſufficerent ad aſſenſum ſupernaturalem. Qualemcunque aſſenſum formidiloſum & probabilem tantùm facilè concedemus dari poſſe ex qualicunque judicio credibilitatis & voluntatis imperio.

Objicitur II. Ante fidem nullus datur actus ſupernaturalis. Sed judicium credibilitatis evidens eſt ante aſſenſum Fidei, cùm ad hunc imperandum prærequiratur. Ergò non eſt ſupernaturalis. Ergò cùm poſito eo judicio evidenti ſequi juxta Nos poſſit actus voluntatis imperans intellectui, ut firmiſſimè credat Deum loqui, totum negotium fidei naturale eſt, quod eſt *utroque pede deſcendere in Pelagianorum partes.* Reſp. Diſtinguendo Majorem. Ante Fidei aſſenſum non datur actus ſupernaturalis, nego Majorem. Ante totum complexum actuum, qui in opere credendi interveniunt, non datur actus ſupernaturalis, concedo Majorem. Apprehenſiones enim ſupernaturales & judicium credibilitatis ſimile, non ſunt ante fidem, phraſi Auguſtinianâ & Conciliorum, quia ſub nomine Fidei continentur promiſcuè omnes actus, qui per ſe concurrunt in opere ſalutariter credendi.

Objicitur. III. Juxta me in Parall. qu. III. §. 6. poſito judicio credibilitatis evidenti poteſt, & omnino ſemper deberet ſequi actus voluntatis imperans aſſenſum. Ergò cùm judicium illud poſſit eſſe merè naturale, etiam imperium voluntatis & aſſenſus intellectûs erit naturalis. Reſp. Antecedens verum eſt de qualicunq; judicio credibilitatis, non

autem de eo, quod requiritur ad credendum ſuper omnia & firmiſſimè Fide divinâ. Ad hoc enim etiam in apprehenſionibus prævíis requiritur,ut gratia excitans ſupernaturaliter illuminans præveniat,nedum quæ illas ſequuntur, judicium credibilitatis geminum ſpeculativum & practicum unà cum imperio voluntatis, ſed quæ omninò ex principiis objectivè ſupernaturalibus procedunt,ut pluribus dictum eſt in Analyſi Quæſt. IV. §. 4.

CAPVT SEPTIMVM.

Diluitur altera objectio & calumnia Muſæi.

COntendit is,ut ſuprà cap. I. ex ejus verbis retuli,noſtram Catholicam Analyſin unicè niti ſolis ſignis credibilitatis, quæ vocat *SPECIOSA quidem, ſed fallacia & apta ad quaſvis doctrinas Dæmoniorum perſuadendas.* Oſtendam igitur 1. iſta ſigna credibilitatis juxta Nos non eſſe motivum aſſenſûs Fidei. 2. ſigna illa in omni verâ Fide requiri. 3. calumniam eſſe, quod per ſigna illa credibilitatis poſſit doctrina Dæmoniorum fieri evidenter credibilis.

DICO. I. Signa credibilitatis, quibus ſola pollet Fides & Eccleſia Catholica, non ſunt motivum formale Fidei,ſed immediatè judicii de credibilitate,mediatè autem voluntatis,ob quod vult imperare ipſum aſſenſum Fidei, quo imperio prudenti ipſe intellectus adigitur,ut propter Auctoritatem divinam ſolam credat ſuper omnia & firmiſſimè myſteria; cum honeſtiſſimum ſit velle credere, quod per ejuſmodi ſigna apparet dictum à DEO, ita ut ſine ſcelere & impietate graviſſima negari aſſenſus nequeat. Vnde patet fallacia illius argumenti Muſæani Diſp. IX. num. 19. *Quicquid veritates revelatas intellectui ita reddit credibiles, ut voluntatem ad imperandum Fidei divinæ aſſenſum per ſe ſolum moveat, id non eſt conditio pura præcognita, ſed ipſum motivum formale ultimum Fidei divinæ. Sed propoſitio per ſigna credibilitatis externa, dicente Arriaga, habet ſeſe ita ad aſſenſum Fidei divinæ. Ergò,&c. Major eſt evidens quia alia ratio formalis, per quam aliquid in eſſe motivi formalis habitus inevidentis & ſpeciatim Fidei divinæ conſtituatur, reddi non poteſt, quàm hæc allata quòd intellectui objectum reddat credibile, & voluntatem mediante credibilitatis judicio per ſe ſolùm moveat ad imperandum intellectus aſſenſum; aut ſi qua ratio formalis alia reddi poteſt,proferatur. Interim quamdiu aliam non proferunt,Major noſtra perſtat invicta. Minor autem patet ex citatis Arriagæ verbis. Stat ergò Concluſio immota.* Reſp. 1. ad Minorem, ad hanc noſtram Fidei controverſiam non pertinere, quod Muſæus de pugnantibus Scholaſticorum opinionibus ex Arriagâ & Tannero in rem ſuã vertere nititur. Vnde abſtrahendo à variis controverſiis,quæ hic inter Scholaſticos agitantur, ſimpliciter nego Majorem; Si loquatur de objecto formali ſive motivo judicii ſpeculativi credibilitatis, & hoc unà cum judicio practico mediante ipſius voluntatis imperantis aſſenſum,ſic conceditur Major; ſed falſa eſt minor, quocunque modo ſumatur Major. Quòd verò in probatione Majoris poſtulat *proferri aliam rationem formalem ultimam ipſius aſſenſus Fidei,*&c. ſanè mirum eſt, cùm

Digitized by Google

cùm illam non jam tantùm in cap. IV. ſed etiam olim in Analyſi Quæſt. III. §. 1. & Quæ. V. §. 2. verbis clariſſimis protulerimus, ad quam tamen hactenus planè obmutuit Muſæus. Placet ergò illa hic repetere. Diſcrimen inter habitus evidentes & inevidentes à Valentiâ propoſitum Muſæus non tantùm *contradictionis*, ſed etiam *temeritatis* arguit, ſed temerè. Nam illud à Theologis communiter aſſeritur non modò in hâc materiâ ſupernaturali, ſed etiam in opinione & fide purè humanâ, & mirum eſt, poſſe in dubium vocari. Quid enim in omni ſanâ Philoſophiâ exploratius, quàm eam eſſe noſtri intellectûs naturam & conditionem pro ſtatu conjunctionis cum corpore, ut, cùm paucas habere poſſit cognitiones evidentes, & melius ſit, eum habere plures probabiles & obſcuras, quàm nullas circa pleraque objecta; Natura ſic prudenter rem temperaverit, ut nunquam niſi volens præcipitet in errorem, & ſemper ſuſpendere ſaltem poſſit aſſenſum. Vnde fit, ut in opinione motivum ita inclinet in unam partem intellectum, ut tamen vi ſuâ non excludat penitus partem oppoſitam, ut apparet ex illo *Fortaſſis*, quod in omni opinione (uti & fide humanâ) ſaltem radicaliter imbibitur. Itaque cùm in hiſce objectis obſcuris intellectus, quantum eſt de ſe, hæreat ſuſpenſus, debet determinari à voluntate. Quodſi, ut notat Ariſtoteles 7. Ethic. c. 4. quidam in ſuis opinionibus non minùs ſunt firmi, quàm alii in ſuâ ſcientiâ; quidni multò magis in Fide divinâ id fiat imperio voluntatis? Neque hinc ſequitur juxta Nos, objectum formale non movere in opinione & fide, neque intellectum eo velut fundamento niti; ſufficienter enim movet hoc ipſo, quòd poſitâ applicatione oſtenſivâ credibilitatis, voluntas determinet ad aſſentiendum firmiſſimè ob Auctoritatem DEI infallibilem, quam cum articulis revelatis certiſſimè connexam eſſe, ex tantis ſignis & argumentis videt factum eſſe evidenter credibile. Videtur autem Muſæus aut non niſi verbis ludere; aut impugnare id, quod reipſa affirmat; aut certè manifeſtæ veritati contradicere. Nam I. Quid hìc per ly *movere* intelligit? An determinare ſufficienter intellectum ſe ſolo uſquequaque ad aſſenſum? At hoc nec ipſe admittere poteſt, cùm fateatur in inevidentibus opus eſſe ad determinationem imperio voluntatis? An potiùs inclinare intellectum, ut poſitâ evidentiâ credibilitatis, aſſentiatur articulis revelatis imperio voluntatis compulſus ob Auctoritatem divinam? Et hoc eſt, quod contendimus. Cùm enim certiſſimum ſit, non poſſe voluntatem pro libito imperare intellectui actum credendi ſine motivo formali: hoc autem ultimatum & principale non poſſit eſſe motivum creatum, reſtat ut hoc ſolùm præſtet Auctoritas DEI increata & infallibilis, quàm argumentis tam evidentibus credibile eſt connecti cum myſteriis revelatis. II. Videtur idem neceſſariò debere admitti à Muſæo. Nam *revelatio creata* & temporalis per verba Scripturæ unà *cum concurſu DEI ſupernaturali*, (quæ ipſe ponit loco objecti formalis,) non poteſt eſſe objectum formale adæquatum, ultimatum & principale, cùm alioqui talis aſſenſus nec eſſet Theologicus, nec fundaretur in re ex ſe ſimpliciter immutabili & infallibili. Debet ergò neceſſariò admitti Auctoritas DEI increata. At quomodo hæc movere poteſt ad aſſenſum myſteriorum, cùm ſecluſis motivis credibilitatis nulla prorſus appareat connexio inter ipſa objecta revelata & Auctoritatem divinam? Quicquid hìc rationabiliter dixerit, erit pro nobis contra ipſum. Vnde tandem patet etiam III. eum manifeſtæ veritati contradicere. Nam cùm Valentia & alii Philoſophi æquè ac Theologi communiter

Anabaptiſtam, Socinianum, Quackerum, aut etiam, ut ipſi nos vocant, Antichriſtianum Papiſtam ad Lutheri Evangelium pertrahant? Fruſtra tentabunt per Biblia, de quorum & canone, & verſione, & contextu, & ſenſu non poſſunt extra Rom. Eccleſiæ Auctoritatem habere niſi opinionem aut Fidem humanam. Si dixerint ſuum ſenſum & explicationem eſſe ipſiſſimam Apoſtolorum doctrinam; eâdem facilitate, quâ ipſi ajunt, ſed longè maximo fundamento cæteri omnes negabunt. Si vaticinia & miracula CHRISTI & Apoſtolorum in teſtimonium ſuorum dogmatum aſſumant; juſtiſſimè explodentur & peremptoriè convincentur. Vel enim ipſi prius apud ſe credunt & ſupponunt doctrinam Scripturarum eſſe divinam; vel non id prius, ſed primùm humanâ Fide aliiſque modis ſibi perſuadent, pridem illa miracula facta in ejus confirmationem, ac inde inferunt illam eſſe divinam. Si prius apud ſe credunt, & ſupponunt doctrinam Scripturæ eſſe divinam; jam nihil ipſis deſerviunt illa miracula, ſine quibus ſcil. veritatem norunt: & quâ viâ iſti norunt, oſtendere quoque poterunt aliis. Si verò miraculis juvantur & inducuntur, ut doctrinam Scripturarum divinam eſſe ſibi perſuadeant; jam tunc nequeunt, niſi manifeſto commiſſo circulo, ex Scripturis ſtatuere illa miracula, ut patet. Ergò aliunde aliâque viâ perſuadenda probandaque veniunt. Ergò ſeorſim à Scripturis dignoſcendum eſt, an miracula illa extiterint. Quâ eâdem viâ, quibus illa faveant & adſint, inſpici quoque poterit. Denique cùm ex unâ parte Lutherani ultrò fateantur imò contendant, miracula ceſſaſſe, pridémque facta illâ tempore Apoſtolorum ſuffeciſſe & ſufficere etiamnum pro veritate Chriſtianâ confirmandâ, ideóque nullum pro ſuo Lutheraniſmo novum allegant, quod vim totius naturæ ſuperet: ex alterâ verò parte Nos Catholici oſtendamus, quovis ſæculo DEVM oraculorum & miraculorum gloriâ illuſtraſſe Rom. Eccleſiam, quæ nova ſint omninò priſcis illis conformia, nec pluribus & gravioribus exceptionibus obnoxia, apud Nos & pro Nobis facta; (quibuſcunque enim exceptionibus hæc noſtra elidere nituntur Sectarii hujus temporis, iiſdem poſſunt Gentiles cum priſcis Phariſæis antiqua illa CHRISTI & Apoſtolorum infringere,) manifeſtè hinc evincitur, penes ſolam Rom. Eccleſiam eique concordes eſſe veram Religionem, illamque ſectariorum omnium exceptionem, quâ credi volunt, ſuum per 1000. & plures annos ſepultum Evangelium eſſe idem, quod à CHRISTO Apoſtoliſque prædicatum ſigniſque ſequentibus confirmatum fuit, & verbo & facto CHRISTI Domini fuiſſe efficaciſſimè repulſum. Nam ſi methodum Luthero Calvinicam probare voluiſſet, ſatis fuiſſet illi dicere: *Scrutamini Scripturas; illa enim teſtimonium dant de me.* Revera enim Vetus Teſtamentum Meſſiæ ortum, patriam, vitam, & mortem ſufficienter prænunciabat: Vnde CHRISTVS ſimiliter Iudæis, qui in poſſeſſione erant, (uti nunc Catholici fuêre reſpectu Lutheranorum vetus Evangelium, ſe renovare & poſtliminio in uſum revocare jactantium,) allegare poterat, illa pridem facta à Moyſe & Prophetis miracula ſuffeciſſe pro veritate ſuâ confirmandâ, ſatiſque eſſe ſine novis miraculis, ſi Scripturæ conſulerentur. At non ita CHRISTVS cenſuit, ſed majoribus potiùs miraculis ſibi opus eſſe ut Iudæos obligaret. Vnde apertè apud Joan. XV. ℣. 22. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem, feciſſemque opera, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem nullam habent.* Hinc ipſa noſtra aſſertio principalis, & omnia hactenus dicta confirmantur univerſaliter ratione quaſi à priori.

Digitized by Google

Nam vera Religio à Deo revelata eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem. Ergò debet ita innoteſcere per ſigna ſaltem credibilitatis, ſi non etiam veritatis moraliter evidentis, ut ab omnibus cognoſci per ea poſſit. Sequela patet. Quia alioqui eſſet præceptum Tyrannicum obligare miſeros mortales ad Religionem veram nullis notis conſpicuam, quæ omnibus ſeriò & ſyncerè quærentibus facilè innoteſcere poſſit. *Quod confirmatur ulteriùs.* Quia vera Religio innoteſcere poteſt vel inſtinctu interno, vel diſcurſu naturali, vel examine Scripturarum & rerum revelatarum, vel denique per prædicta credibilitatis aut veritatis ſigna conſpicua. Primum eſt illuſionibus Diaboli apertè obnoxium, adeoque univerſaliter noxium & vitandum. Secundum tam parùm fieri poteſt, quàm poſſit noctuæ oculus ſolem ſupernaturaliter intueri. Tertium eſt operoſiſſimum, & pleriſq; phyſicè, omnibus autem moraliter impoſſibile. Vt nunc taceam, quòd reipſa etiam inter omnes ſegreges ſemper involvat ſpiritum illum vertiginis privatum, ut cap. 2. ſatis oſtenſum eſt. Relinquitur ergò unicum de lege ordinariâ medium veram Religionem inveniendi per ſigna credibilitatis & Notas veræ Chriſti Eccleſiæ, & has non eſſe motivum formale ipſius aſſensûs fidei, ſed tantùm judicii credibilitatis evidentis, tum ſpeculativi tum practici, quo urgetur voluntas ad imperandum intellectui aſſenſum firmiſſimum myſteriis divinitus revelatis.

DICO III. Calumnia ſatanica eſt, cùm Muſæus aliique Luthero-Calvinici clamant, per hæc ſigna credibilitatis & Notas Eccleſiæ, poſſe *commentitias ipſaſque Dæmoniorum doctrinas ſpecioſè obtrudi & perſuaderi, eſſeque illas ipſas fraudes injuſtitiæ multiplices*, quibus impius ille Anti-Chriſtus tyrannidem ſuam ſit propagaturus. Nam inprimis ipſe Muſæus Diſp. IX. num. 14. & ſeqq. adducit motiva, & interna de doctrinæ Chriſti honeſtate, ſapientiâ, ſublimitate; & externa, teſtes ſcil. homines Sanctos, Patriarchas, Apoſtolos, Martyres, Miracula, Durationem ejuſdem Religionis. *Hæc & ſimilia* ait num. 17. *poſſunt hominem infidelem validè inducere, ut credibilem eſſe intelligat Religionem Chriſtianam, ſeque imprudenter facturum judicet ſi eam negligat.* Et huculque benè ad mentem omnium Catholicorum. Quomodo autem, cùm Nos Catholici eadem motiva multò copioſiùs, fortiùs, veriùs quàm ulla ſecta ad ſpeciem poſſit, urgeamus, & pro certo adſtruamus, ea ſufficere, ut voluntas imperare teneatur intellectui aſſenſum Myſteriorum, cum tantâ ſignorum evidentiâ propoſitorum, quomodo inquam ſine calumniâ graviſſimâ dici poſſumus ſic *aperire januam doctrinæ Dæmoniorum*? Nónne Muſæus ſibi ipſi in hoc contradicit? Nimirum ſi talem Paganum per illa ſigna credibilitatis furtivè & ex parte uſurpata (ſunt enim ea æquè ac Scriptura & Baptiſmus Eccleſiæ Catholicæ donata à Deo) poſſit inducere, ut legat Scripturam cum Gloſſis Ienenſibus, aut credat unicuique præconi Lutherano catechizaturo; tunc valent vel maximè. At ſi cum pluſquam duplicato augmento & robore argumentorum, unà cùm illuſtriſſimis Eccleſiæ veræ Notis proponuntur, ut abſque periculo erroris ab infallibili Eccleſiæ-indefectibilis Magiſterio edoceatur talis Catechumenus; tunc juxta Muſæum aperitur oſtium doctrinæ Dæmoniorum, ab Antichriſto Romanenſiũ introducendæ. Quid videtur Lector candide, de hac Muſæanâ præſumptione? Nónne ſi hâc methodo Sinenſem Philoſophum ad Lutheraniſmum inducere moliretur, meritò ille mox Muſæum exploderet dicens: Quâ fronte audes Tu me ad tuam ſectam pellicere oſtentatione ſignorum credibilitatis, quæ tu furtivè à Catholicis ſublecta uſurpas ex eâ parte, quâ articulos cum Pontificiis communes retinui-

nui-

Digitized by Google

nuiſtis; in cæteris novè à Luthero juxta nocturni Magiſtri ſuggeſtionem traditis multò minùs quadrant ea credibilitatis ſigna, quàm modo genito infanti Herculis cothurnus, aut ſimiæ pileus doctoralis. Certè naturæ lumen mihi dictat, veram Religionem, quæcunque ea ſit, tantis ac talibus fundamentis debere eſſe munitam, quæ omnem ritè diſpoſitum convincant, quæ omnem probabilitatem cæteris Religionibus adimant, quæ nullum illius cultorem dubitare ſinant; quorum nihil in Lutheraniſmo conſpicitur. Sed juvat hic denuo repræſentare geminum Dialogum ſeu Paradigma convertendi Philoſophi Gentilis ad *Chriſtum*, *primùm methodo Lutheranis principiis innixâ*, deinde Catholicâ.

DIALOGVS PRIOR

Inter Philoſophum Sinenſem & Joannem Muſæum Lutheranum Præconem.

MVS. Quem video? Túne es ille nuper è Sinarum regno ad Nos delatus advena? Salve plurimùm, vir clariſſime! Faxit Iehova, ut ſimul è tuæ regionis tenebris, ad lucem Evangelii Chriſtiani accedas.

PHIL. Salve & tu erudite Domine! Quænam illa lux Evangelica, quam tu mihi adprecaris?

MVS. Nihilne in patriâ tuâ de Chriſti Evangelio audiſti? nónne fidem Chriſti crucifixi Ieſuitæ nuntiaverunt in oris veſtris?

PHIL. Annuntiârunt utique & pergunt nuntiare usque huc. Ego tamen fidem iis nec adhibui hactenus, nec negavi, tutiúſque cenſui, ſuſpendere tantiſper in re tam ardua judicium, donec exploravero omnia; ideóque (præter gentis morem) in Europam emigravi, ne videar levis corde.

MVS. Hoc tu quidem non imprudenter, nam Ieſuitæ, (ut reliqui Papiſtæ,) multas traditiones humanas Dei verbo miſcent, & homines veſtros ab errore Idololatriæ ad ſuos errores vix ab Idololatriâ immunes inducunt.

PHIL. Quos tu dicis errores? quam idololatriam? Lumen rationis ſecuti Deum creatorem omnium, unicum, optimum, ſapientiſſimum, potentiſſimum agnoſcimus & veneramur. Hujus tanquam ſummi Entis contemplatione ſcimus nos fore beatos, non modò in hac vita corporali, ſed etiam multò ampliùs, cùm anima noſtra immortalis à materiæ concretione fuerit liberata.

MVS. Tibi gratulor, mihi gaudeo, quòd hucusque profeceris. Verùm multa adhuc tibi deſunt ad veram beatitudinem conſequendam.

PHIL. Ec quænam illa? nunquid animalia rationalia ſumus? Ergò Naturæ ductum ſequentes non aberramus à fine ultimo, quem illa nobis ſapienter præfixit.

MVS. Equidem rationales ſumus: ſed cœcutit ratio noſtra, niſi altiori illuſtrata Dei lumine.

Digitized by Google

PHIL. Idem Ieſuitæ nobis prædicârunt: ſed hoc enim verò mirabile eſt, quod Tu æquè ac illi altius à Deo lumen jactatis, & tamen vos invicem erroris & ſuperſtitionis damnatis. Quod à Deo eſt lumen, non poteſt niſi verum docere; & verum in quávis re nequit eſſe niſi unicum.

MVS. Rectè tu hoc quidem: ſed ſcias oportet, ideo Papiſtas, etſi Verbum Dei etiam habeant, errare tamen in plurimis & graviter, quòd multa additamenta humana Verbo Dei affingant, & ſic in perniciem ſibi adhærentes inducant. Nos verò qui purum Dei verbum unicè ſequimur, certiſſimi ſumus de viâ ad æternam Beatitudinem. Nos ergò ſequere, & Evangelii doctrinam unicè ſalvificam è ſolo Dei vebo hauri.

PHIL. Multa tu halitu uno dixiſti, quod cuivis facile: at probare, & rationem demonſtrationibus convincere, hoc opus, hic labor eſt. Túne id à te præſtitum iri ſpondere auſis?

MVS. Haud equidem opus eſt, id ut præſtem ego: fidem requirit Dei Verbum, non apodicticam ſcientiam; Deo enim loquenti credendum eſt in hoc ſalutis negotio, quod ſuper humanum eſt, imò & ſuper angelicum.

PHIL. Iterum multa dicis, & nihil probas. Dic, quæſo, audiſtine aliquando Deum per ſe ipſum tibi loquentem? Et unde mihi perſuades, eam veram eſſe Dei locutionem, & non cerebri febrientis delirium?

MVS. Non ille quidem mihi ſoli immediatè locutus eſt; (abſit ut hoc cum fanaticis jactem!) ſed olim per Prophetas & Apoſtolos ſuos; imò & per filium ſuum unigenitum nobis omnibus locutus eſt, ad quos libri iſti tam Veteris quàm Novi Teſtamenti fideliter pervenerunt. En divinum Codicem, in quo omnis Dei revelatio ad ſalutem hominum facta continetur! quem ſi in brevem ſynopſin redactum deſideres, en Symbolum ab omnibus Chriſtianis unanimiter receptum: CREDO IN VNVN DEVM &c.]

PHIL. Enimvero tu, bone vir, pergis multa dicere: at probationem ego jure requiro, eámque valde robuſtam in re difficillimâ, & naturaliter planè incredibili. Nunquid dicitis, Deum eſſe unum pariter & trinum? alteram in hac Deitate perſonam, humanam aſſumpſiſſe naturam in tempore, in hac crucifixam & mortuam eſſe? per fidem in hunc Crucifixum habere vos unicè ſpem beatitatis conſequendæ, ita ut ſicut ipſe poſt triduum reſurrexit à mortuis, & nunc glorioſus regnat in cœlis, ſic & nos poſt mortem fore cum eo beatos & glorioſos in æternum, non animo tantùm, ſed corpore etiam, quantaſcunque hoc interim ſubierit viciſſitudines & formas? Annon hæc eſt fides veſtra?

MVS. Eſt planè, ut dicis.

PHIL. At nunquid ipſe fatebere, hæc uti naturaliter ſunt impoſſibilia, ità pariter eſſe incredibilia?

MVS. Neque hoc inficior. At neque tu negaveris, Deum habere in theſauris Sapientiæ & Potentiæ ſuæ, quæ noſtri ingenii aciem longiſſimè ſuperant.

PHIL. Eſto, quid verò hoc ad rem noſtram?

MVS. Plurimùm ſanè. Hinc enim rectè colligo, oportere nos intellectum noſtrum captivare in obſequium ſummi Dei, & quæ ipſe gratuitâ benevolentiâ nobis de arcanis ſuis communicat, devotâ mente venerari & credere.

PHIL.

Digitized by Google

PHIL. Non repugno. Quis enim Deo fallere ſallique neſcio, ſi loquatur, fidem neget? At cùm nec ego audierim, neque Tu (ut ipſe faſſus es) audieris Deum quicquam loquentem immediatè, cur aliis talem ſibi exhibitam locutionem jactantibus credam? Quinam, quæſo, ſunt viri iſti, qui feruntur à Deo factas ſibi revelationes literis conſignâſſe, &, ut tu dicis, in hoc volumine continentur?

MVS. Hebræi ſunt ad unum omnes, viri ſanctiſſimi & Deo chariſſimi.

PHIL. Quid? Súntne ex iis, quorum poſteri adhuc inter vos vivunt, miſerrimi, contemptiſſimi, mendaciſſimi mortalium?

MVS. Sunt quidem hi nunc tales, ut ais: ſed hanc rejectionem juſtiſſimè meruerunt, quia & ipſi rejecerunt Dei filium, in ſua lege promiſſum Mundi liberatorem, ac per ſummum ſcelus in Crucem actum necârunt; qui tertiâ die redivivus ſuis diſcipulis apparuit, eóſque in mundum miſit univerſum ad prædicandam peccatorum remiſſionem in nomine ſuo, & ad baptizandum omnes gentes, in nomine Patris & Filii & Spiritûs S.

PHIL. Hæc ego quidem audio; & puto etiam, te iſta haud difficulter credere, quia ſic quaſi cum lacte materno ſuxiſti. Mihi autem per hæc nihilo adhuc feciſti credibiliora, quæ túte faſſus es impoſſibilia naturaliter, ideóque & incredibilia. Dic ergò, quæſo, per quóſnam pervenit ad vos illud divini, ut vocas, Verbi volumen? quinam ſunt veſtræ credulitatis authores? nunquid Papiſtæ?

MVS. Negare non poſſum; præſertim cùm etiam venerabilis noſter Inceptor, à quo Lutherani nuncupamur, ingenuè faſſus ſit, quòd in *Papatu fuerit omne Chriſtianum bonum, & indè ad nos Evangelicos pervenerit.*

PHIL. Itáne? Incredibilia tu etiam per incredibiliora perſuadere mihi audes? anne me fungum putas? Si in Papatu fuit omne bonum Chriſtianum, cur vos ergò ſeparâſtis? nemo bonus ſeparat ſe ab omni bono. Fatearis ergò; vos proprio judicio malos eſſe, ac proin nullam mereri fidem.

MVS. Bona verba, quæſo, amice! Non ſeparavimus nos ab omni bono Papiſtarum; imò id nobiſcum habemus in hoc Volumine SS. Scripturarum; ſcoriam tantùm & excrementa *humanarum traditionum, adeoque Doctrinas Dæmoniorum* ipſis reliquimus. Certè nos Lutherani non ſegregavimus nos ab Eccleſiæ Chriſtianæ parte etiam illâ, quæ ſub Papatu eſt, ſed tantùm à Papatu, h. e. à Papa, Clero & iis, *qui corruptelis & abuſibus abominandis Eccleſiam onerabant.*

PHIL. Tace, tace, ſatis eſt. Cœpiſti incredibilia ſuadere per incredibiliora; quid ſupereſt ita progrediendo, niſi ut finias in incredibiliſſimis. Vide, quas gerras mihi obtrudas! Authores tuæ credulitatis, (quam & mihi inſtillare ſatagis,) allegâſti primùm Hebræos, h. e. ut tu ipſe fateris, gentem perfidam. Et his tamen ſelectos aliquo viros ais divinitus afflatos, quorum θεόπνευςα, ut vocas, monumenta ad vos per Papiſtas devenerint. Hos verò Papiſtas nihilominus arguis ſupremæ in Numen impietatis, eò quòd divina oracula doctrinis Dæmoniorum adulterârint. Et ab his tamen vobis tandem omnis authoritas, qui cùm, juxta te, aut falſi ſint, aut fefellerint, quid de veſtra ſuperſtitione ſentiendum ſit facilè capit, quisquis ſapit. Nemo niſi fatuus credit ei, quem audit ſuam ab impiis impoſtoribus fidem habere ſuſpenſam.

Digitized by Google

MVS. Abſit, ut fateamur nos à Papiſtis noſtræ ſalutis doctrinam habere ſuſpenſam. Soli Deo credimus, cujus Verbum à Papiſtis indignè tractatum ab interitu vindicavimus, priſtino nitori reſtituimus: hoc ſolo ſtamus & vivimus. Hoc divinitus Prophetis & Apoſtolis fuiſſe inſpiratum, evidens nobis eſt ſine ulla humana teſtificatione. Quod uſque adeò verum eſt. Vt non modò jam in hac clariſſima Evangelii reſtituti luce. (quam Apoſtolorum temporibus non veremur exæquare,) ſed *etiam in mediis Papatus tenebris ultra mille annos ſemper ſibi ſervârit DEVS verè credentes & ſanctos quoſdam, qui ipſius gratiâ colluſtrati diſcernere noverant pretioſum & vile, verum & falſum, Chriſtianum & Antichriſtianum.*

PHIL. Meras chimæras loqueris, Muſæ, ut (quod pace tuâ dixerim) meritò quis dubitârit, ſitne tibi ſanum ſinciput. Nunquam Tu profectò, ſi etiam myriades ſociorum tecum duceres, vel unum è gente noſtra ad Chriſtum hac quidem viâ perduceres. Riſum vos nobis, aut commiſerationem cieretis, quòd ipſi ſpiſſis immerſi tenebris, deliria abſurdiſſima tanquam principia per ſe nota audeatis obtrudere.

MVS. Iam video, quàm verùm ſit Apoſtoli effatum: *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus DEI.* Tu, ſi Dei ſpiritum haberes, facilè perſpiceres, hæc, quæ dixi, tam eſſe perſpicua, quàm eſt Sol in meridie, cùm ſudum eſt cœlum: jam verò quia tantùm naturalis rationis ſcintillam ſectaris, velut noctua cœcutis ad Solem fidei Chriſtianæ.

PHIL. Túne, an ego noctua ſim, quæſo, paucis experiamur. Tu mihi Doctrinam, quam jactas divinitus revelatam, hactenus nec credibilem reddere potuiſti, multò minùs evidenti ratione ejus veritatem convincere, nunquid ita eſt?

MVS. Ita tu quidem dicis.

PHIL. Ego verò & tuam illam perſuaſionem reddam evidenter incredibilem, (utpote è tot chimæricis abſurditatibus conflatam,) & his ſuppoſitis, convincam, evidenter veram eſſe meam, quam Deus & natura liquidò oſtendit, Beatitudinis obtinendæ rationem.

MVS. Nunquam tu hoc efficies. Experire quid poſſis.

PHIL. Sic argumentor primò. Evidenter incredibile eſt, quod naturaliter impoſſibile eſt, & nullas habet notas, quibus à Deo revelatum fiat credibile. Tua doctrina nullas habet notas tales, aut ede illas. Ergò eſt evidenter incredibilis.

MVS. Nego, pernego Minorem. Noſtra doctrina à Chriſto revelata per univerſum mundum mirabiliter propagata prodit authorem Deum ſatis perſpicuè.

PHIL. Obtruncaste; non vides? Papiſtarum doctrina, ut ipſi fatemini, ſine comparatione magis per Orbem, quàm veſtra, obtinuit. Ergò ſi quid probas, id Papiſtis probas. Et illi quidem Miracula, Prophetias, continuam Paſtorum & Doctorum ſucceſſionem &c. pro ſe habent, quibus vos planè deſtituimini.

MVS. Non eſt ita. Nos miracula Chriſti & Apoſtolorum pro nobis habemus.

PHIL. Hoc enim verò ridiculum eſt. Nunquid de hoc ipſo eſt controverſia? Non expedis te? Pergo ad aliud. II. Illius doctrina, quam ut divinam jactat quis, evidenter

incre-

Digitized by Google

incredibilis eſt, quam nec audivit à Deo, nec accepit ab eo, qui eſt fide dignus, ſed inteſtabilis. Veſtram talem eſſe, jam ſuprà faſſus es: prius quidem explicitè; poſterius implicitè, quod facilè explicatur. Nam juxta Te Papiſtæ adulterârunt Verbum Dei. Incredibile eſt autem falſarios veritatem ſinceram conſervare. Ergò &c.

MVS. Verum eſt, Papiſtas addidiſſe adulterinas Dæmoniorum doctrinas Verbo Dei: hoc tamen ut relinquerent intactum, Deus providit.

PHIL. Hoc tu temerè hariolaris, Muſæe. Ego autem facilè probo oppoſitum. Si Deus permiſit adulterari per Papiſtas ſenſum Scripturæ, multò magis permiſit corrumpi literam. Ille enim magis neceſſarius eſt; Nam propter quod unumquodque eſt tale, illud magis eſt tale. Propter ſenſum verum tantum poteſt neceſſaria eſſe litera. Ergo ille magis neceſſarius. Ergò ſi hunc permiſit Deus adulterari, cur non & illam? Nunquid hîc hæret aqua? Pergo ergò ad tertium. Illam doctrinam à Deo eſſe revelatam, eſt evidenter incredibile, quæ eſt à Cacodæmone profecta. Iuxta vos, Papiſtarum propria doctrina eſt Dæmoniorum: Iuxta Papiſtas, veſtra eſt Dæmoniorum: nec vos negatis, præcipuos articulos venerabilem veſtrum Inceptorem à nocturno Didaſcalo didiciſſe. Ergò eſt evidenter incredibilis.

MVS. Proteſtor contrà. Non accepit Lutherus à Diabolo Verbum Dei, ſed hoc à Papiſtis: quòd autem verum ejus ſenſum à Diabolo didicerit, quid refert? nunquid fas eſt etiam ab hoſte veritatem diſcere?

PHIL. Parce honori tuo, Muſæe, & agnoſce, quod omnis recta ratio dictat: nempe evidenter eſſe incredibile à Deo dictum, quod non niſi vel à Diabolo, vel (ut vos dicitis) ab ejus primogenito, homine peccati, qui extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, hauſiſtis. Si non vides, illis ſuppoſitis, eſſe longè incredibiliorem veſtram Chriſtianorum quàm Iudæorum aut Mahumetanorum ſuperſtitionem, profectò cœcus es, & hominem exuiſti. Quo jam te vertes, ſi tuas tam multiplices chimæras, tot ingeniorum abortiones, monſtra tam portentoſa velim juſtâ rationis ſtaterâ expendere? Quid ſi tuos illos ſanctos latibularios ultra mille annos ſub Papatu ante Lutherum Lutheranos? quid ſi eorum fidem ſpecialem, juſtitiam imputativam, communionem Chriſtianam & ſanctam cum meritrice Babylonica? Poſſètne ſtolidior diſcurſus ab ebrio, ſomniante, febriente &c. fingi, quàm ille tuus? [*Verbum Dei non revertitur vacuum: portæ inferi non prævalebunt adversùs Eccleſiam.* Ergò per mille annos ante Lutherum ſub Papatu vixêre ſancti Lutherani.] Omitto ſexcenta hujus furfuris, quæ quemvis ratione utentem meritò ab omni Chriſtianiſmo abſterreant.

MVS. Vt video, non tu ex Oriente remotiſſimo ad nos veniſti, ut diſceres, ſed ut doceres.

PHIL. Veni utique ad diſcendam, ſi qua eſſet fortè veritas, liberaliter ſupra naturæ exigentiam revelata divinitus, & ad Beatitudinem conſequendam idonea. Apud te quidem eam non reperiri, perſpicuum eſt. Niſi quid rectiùs tuis, alii mihi monſtraverint, jure maneo in hoc, quod DEVS & Natura me docuit. Tu certè ſapienter faceres, ſi, valere juſſis tam enormibus paradoxis, me potiùs ſequerere.

MVS.

Digitized by Google

MVS. Quid? egóne è tanto Theologo fiam profanus Philoſophus?

PHIL. Quidni, ſi te Ratio convincat?

MVS. Quæ me ratio convinceret?

PHIL. Audi! Nunquid oblatis duabus regulis obtinendæ beatitudinis, aliâ evidentis, aliâ non evidentis; aliâ facilioris & ſperabilioris executionis, aliâ non item; ſola prior eſt prudenter eligibilis, nec poteſt niſi temerè, & cum aliquo felicitatis contemptu eligi poſterior? nega, ſodes!

MVS. Negare nolim, videri admodùm rationabile pronunciatum hoc. Sed quid hinc conficis?

PHILOS. Atqui adhærere iis ſolis, quæ Ratio naturalis evidenter oſtendit de DEO & nobis; & amplecti ea ſola morum præcepta, quæ eadem Ratio nobis evidenter imponit ut neceſſaria ad felicitatem, eſt talis Regula prior. Ergò hæc ſola eſt prudenter eligibilis, Quid dicis ad hoc? audebisne inficiari Subſumptum? Conſecutio certè perſpicua eſt.

MVS. Tu Sophiſta es, ut video. Si memor fuiſſem moniti Apoſtolici, quo ait: *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum ſecundùm elementa mundi & non ſecundùm Chriſtum, &c.* hujus, inquam, aurei moniti ſi memor fuiſſem, cautè declinâſſem congreſſum. Putabam te Idololatram eſſe, quos audio facilè à Ieſuitis aliiſque Papiſtis in utrâque Indiâ ad Chriſtum converti. Ad hos ego te remitto; cum his porrò ut tua peragas, per me licet. Nos Evangelici non habemus fortunam in convertendis Gentilibus. Vade itaque ad Papiſtas, & experire quid ipſi valeant. Fortè Sophiſta Sophiſtam lucrabitur; & tunc revertere ad me, ut purum & incorruptum Chriſti Evangelium addiſcas. Interim vale.

PHIL. Tibi à DEO precor, ut ſit mens ſana in corpore ſano.

ALTER DIALOGUS

Philoſophi Sinenſis cum Theologo Romano.

PHIL, Salvere te jubeo plurimùm Reverende Domine Pater!

THEOL. Et tibi ſalutem optimam maximam apprecor ab eo, qui eſt Salus noſtra!

PHIL, Ecquænam hæc? Majórne contingere mihi poſſit, ac ea, quam ſuo Natura lumine mihi oſtendit, dubitare occœpi, priusquàm patrios desererem lares. At necdum inveni, ubi figam pedem. Intelligo quidem, Chriſtianam jactari legem, quam quicunque obſervârit, ſupremi Numinis conſortio æternùm fore beandos ajunt. Omnia exploro. Hac fini è Sinis in Europam veni. Batavico litori appulſus egi cum variis variarum ſectarum Chriſtianarum profeſſoribus, quos video mirè diſcordes; unde de falſitate, violenta mihi naſcitur ſuſpicio, quâ laborare pleroſque, ſi non omnes, manifeſtum eſt.

THEOL. Rectè cenſes. Vnica eſt Veritas, uti DEVS unicus. Is unicam quoque beatitudinis

Digitized by Google

beatitudinis conſequendæ viam cunctis mortalibus præfixit, à quâ quicunque deviârit, miſer æternùm erit.

PHIL. Idem ſentio & ego. Sed in hoc, opinor, diſcrepamus, quòd ego unicum Naturæ lumen rectam Beatitatis adipiſcendæ ſemitam; vos verò aliquid altius Naturâ meditemini.

THEOL. Sic eſt. Liberum ſanè quidem erat optimo Numini nos in purâ Naturâ relinquere, quam vos ſolius rationis ductu contingitis. At verò negare non potes, fore nos infinito quaſi intervallo beatiores, ſi ipſius ſupremæ Sapientiæ & Bonitatis intuitione fruitionéque participibus eſſe liceat, quàm ſi abſtractivâ tantùm & ænigmaticâ cognitione illud omne & infinitum Bonum anima corpore ſoluta contempletur, unà cum rerum ab ipſo conditarum Vniverſitate.

PHIL. Equidem ita fateor; at obſtare videtur, quòd ſicut ſenſus noſtri ferri non queunt in objecta intelligibilia: ita nec intellectus creatus, finitus, etſi à corpore abjunctus, in Ens infinitum, increatum, ſicut eſt in ſe.

THEOL. Viribus naturæ facilè do id eſſe prorſus impoſſibile; at cur repugnet Omnipotentiæ, elevare mentem noſtram ad facialem ſui viſionem? cúmque mens quævis creata habeat pro objecto adæquato ens omne in ſuâ latitudine totâ; cur non poſſet DEVS per inſtrumenta, Naturæ vim excedentia attollere, ad id clarè videndum, ad quod mens creata quævis experitur in ſe deſiderium, ſi non abſolutum, ſaltem ſub hâc hypotheſi; *ſi fieri poſſet?*

PHIL. Aſſentior. Ponamus igitur, ita potuiſſe: at unde probatur, ita factum?

THEOL. Equidem, cùm id ex libero DEI decreto pendeat; planum eſt, id nullo è Naturâ petito argumento monſtrari: uti & quòd primum à ſe creatum hominem, ac ad finem ſupernaturalem ordinatum; hunc verò, unà cum ſuâ poſteritate omni, per inobedientiam à fine præfixo collapſum, denuo per Chriſtum DEVM-Hominem ad ejuſdem ſupremi finis adeptionem gratuitò ſuſtulerit. Ex ſolâ ergò liberâ DEI locutione hæc & ſimilia innoteſcunt.

PHIL. Fateor, par eſſe, ut homo Creatori ſuo loquenti credat. An non puto, te me juſſurum expectare ejuſmodi locutionem. Nunquid quoſvis DEVS ipſe per ſe affatur?

THEOL. Abſit. Allocutus eſt ille olim eximios quoſdam ſuos amicos; ac demum per conſubſtantialem ſibi Filium, ſeu Verbum ſuum humanâ carne amictum, Legatóſque ab eodem in Orbem deſtinatos. Quæ per hos revelavit DEVS de ſe & liberis ſuis circa nos decretis, conſervantur fideliter maximam partem in ſcripto, multa etiam ſine Scripturâ in divite Eccleſiæ Chriſtianæ depoſitorio.

PHIL. At hoc ipſum, etſi poſſibile eſſe facilè concedam; unde conſtat, ita ſe de facto habere? Nunquid & Hebræi, & Mahumetani, & Idololatræ-Pagani ſua jactant oracula divina? Cùm verò valde inter ſe diffideant, evidentiſſimum eſt, ea minimè eſſe divina poſſe, ſaltem uno dempto; cùm veritas ſit una ſimpliciſſima. Et in veſtrâ Chriſtianâ Fide vel Religione, quam dicitis, eſt inſuper ea propè inſuperabilis difficultas, quòd tam ardua ac propè intolerabilia ex parte Voluntatis æquè ac Intellectûs, partim credenda,

 partim

Digitized by Google

miraculis credidit. Vnde quiſquis adhuc prodigia,ut credat,requirit , magnum eſt ipſe prodigium,qui Mundo credente non credit.

PHIL. Fateor,non niſi per ſummam imprudentiam , & fœdiſſimam obſtinationem reſiſti his poſſe, & negari , perquàm credibilem reddi Doctrinam ejuſmodi ſignis conſpicuam.

THEOL. At non hoc tantùm,ſed inſuper fatebere, ex iiſdem argumentis probè penſatis naſci obligationem gravem actu credendi. Quomodò enim abſque graviſſimo ſcelere negari queat aſſenſus DEO tantis ſignis & portentis conteſtanti ſe eſſe Authorem ejus Doctrinæ?

PHIL. Hic hæreo,fateor. Nam etſi argumenta illa oſtendant evidenter aliquam ejus Doctrinæ credibilitatem : non tamen Veritatem. Illa verò credibilitas ſola , cum ſummâ difficultate credendi conjuncta eſt ; & multò magis cum maximâ difficultate exequendi ea , quæ docet eſſe neceſſaria ad Felicitatem conſequendam. Illa quippè redduntur ad hanc ſimpliciter neceſſaria, ſi præſtetur Fides illi Doctrinæ , cùm unuſquiſque teneatur operari conformiter ſuo Dictamini, & debeat eſſe miſer, ſi velit calcitrare contra hunc ſtimulum.

THEOL. Eſt ut dicis ; hæc omnia ita inter ſe cohærent. Vnde nil ſupereſt, niſi ut ſubmittas piam cervicem Domino Creatori tuo,adeóque ſponte liberrimâ captives tam Intellectum quàm Voluntatem in obſequium CHRISTI , qui verus DEVS & Homo,unicus eſt noſtræ Salutis Aſſertor & Caput.

PHIL. Retardat nonnihil illud argumentum,quod memini à me aliquando in Germaniâ objectâſſe cuidam Lutherano Magiſtro,nec quivit ſe ab eo expedire.

THEOL. Effare quódnam illud? adamantinúmne?

PHIL. Qualecunque ſit , tu modò ſolve ſis, & ſufficit mihi. Sic enim arguo: Oblatis duabus Regulis & viis obtinendæ Beatitudinis , unâ evidentis veritatis , alterâ obſcuræ ; aliâ facilioris ſperabilioriſque executionis, ideóque majorem gignentis ſpem nanciſcendæ felicitatis , quàm altera queat gignere ; ſola prior eſt prudenter eligibilis , ac proinde poſterior non niſi ſtultè , ac cum aliquo felicitatis contemptu eligi poteſt. At hoc modo ſeſe habent Regula evidens naturalis , quæ & morum præcepta multò pauciora & leviora perſpicuè imponit ; & ex oppoſito Regula Fidei obſcura & difficillima. Ergò non niſi prior eſt prudenter eligibilis. Quid dicis ad hoc P. Theologe?

THEOL. Hoc argumentum non nego habere ſpeciem veritatis , ſed ſoliditate deſtituitur. Supponit enim Beatitudinem naturalem adhuc nobis eſſe aſſequutu poſſibilem æquè ac ſupernaturalem. Id verò perquàm falsò aſſumi patet , quia poſitâ jam promulgatione Doctrinæ Catholicæ, nulla iniri poteſt via , quæ doceat evidenter modum & media omnia ſufficientia ad obtinendam Beatitudinem ; Nam Doctrina hæc inter alia tradit ,neminem ſine ipsâ ſalvum eſſe poſſe ; quod certè Ratio naturalis de priori viâ nequit aſſerere,cùm ſic pariter ſtatueret , non ſuppetere DEO viam & rationem perducendi homines ad felicitatem Naturâ excelſiorem , quod rectè mecum cenſuiſti falſum eſſe. Doctrina autem à Chriſto D. per Apoſtolos revelata nec eſt

Digitized by Google

evidenter vera, nec evidenter falſa. Sive ergò admittatur, ſive rejiciatur hæc Doctrina, impoſſibile jam eſt, ut per ſolas evidentes notitias dirigaris in viam Salutis. Cùm itaque à Deo in eam inevitabilem conjecti ſimus neceſſitatem eligendi Doctrinam inevidentem, directivam ad Beatitudinem, tuum jam eſt accuratâ mentis trutinâ perpendere, quænam Doctrina ſit dignior, & cujus argumenta ſint firmora, ideóque digniora, ut à nobis impetrent aſſenſum. Quâ in contentione neſcio an tu auſis præferre tuam illam doctrinam purè Philoſophicam, utcunque olim claram, jam tamen per Evangelii promulgationem valde obſcuratam.

PHIL. Acutè hoc obſervaſti, fateor, ideóque nec ipſe auderem ultra Philoſophicæ illi fidere. Clarè enim cerno, pro illâ non poſſe produci niſi rationes aliquas non convincentes, imò convinci haud difficiles, ſi ſemel deprehendatur, eas non oriri niſi ex intellectûs noſtri debilitate, cujus aciem nativam longiſſimè prætervolant arcana, quæ à Deo poſſunt ſupra Naturæ meritum manifeſtari & perfici.

THEOL. Sapienter planè judicaſti: quo tibi nomine plurimùm gratulor.

PHIL. Id debeo poſt Deum tuæ manuductioni: Deo gratias & Tibi. At at! quid de facilitate in obſervatione legis naturalis præ Chriſtianâ ſtatuendum ſit, ſcrupulus adhuc hæret: & hunc quæſo eximere digneris.

THEOL. Et hic facilè eximetur, ſi ex unâ parte notes ex omni hiſtoriâ, quàm rari & propè nulli ſint, qui ad qualemcunque morum ſanctitatem & puritatem per viam illam naturalis Philoſophiæ pervenerint: (nam pleroſque Gentilium Philoſophos graviſſimis licèt occultioribus ſceleribus fuiſſe obnoxios ſatis conſtat.) E contrario autem è veteri & recentiori hiſtoriâ perſpicuum eſt, quot & quanti Reges, Principes, Philoſophi, Plebeji etiam in ſequiore ſexu & imbecillâ ætate, toti mundo fuerint admirabiles, & in ſummâ veneratione ob vitæ puritatem, humanam conditionem propè ſupergreſſam. Finem non invenirem, ſi hæc ſigillatim perſequerer. Addo tamen rationem hujus rei quaſi à priori. Nam quos Deus ad finem tam excelſum felicitatis ſupernaturalis dignatur evocare, eoſdem quoque & prævenit, & comitatur, & ſubſequitur talibus ac tantis Gratiæ opitulantis præſidiis, tantâque congruitate, quæ ſoli naturæ, præſertim jam per primi Parentis lapſum in omnibus poſteris debilitatæ, eſt prorſus incognita. Huic ergò gratiæ fide ſis & innitere.

PHIL. Satis eſt: viciſti; Chriſto me totum devinxiſti. Sed unicus adhuc reſtat, iſq; non modicus nodus extricandus. Experientiâ didici, non minorem eſſe ſententiarum & ſectarum inter Chriſtianos diſcrepantiam, quàm inter aliarum etiam ſuperſtitionum cultores. Nunquid, etiam te adſtipulante, nefas eſt, unumquemque ſuum ad libitum ſibi deligere ſectam & cœtum, ubi Chriſtum profiteatur & colat?

THEOL. Abſit, ut impium ſcelus hoc liceat. Lege divinâ ſanctum eſt, ut quotquot volunt Deum Patrem habere in cœlis, Eccleſiam ſponſam Chriſti diligant, venerentur ut Matrem in terris, è cujus utero ſpiritualiter renaſcuntur, cujus cibo aluntur in virum perfectum, cujus infallibili ductu denique etiam ad metam perveniunt optatam felicitatis æternæ.

PHIL. Sed nunquid habetis & vos volumen divinarum revelationum, quod Biblia Sacra nuncupant?

THEOL.

Digitized by Google

THEOL. Habemus utique & veneramur ſummè non ad ſpeciem, ut Heterodoxi omnes, ſed ad ſalutem, dum ſacroſancta illa verba non noſtræ ſubjicimus phantaſiæ, ſed illam pariter cum intellectu noſtro ſubmittimus ſenſui univerſalis Eccleſiæ, ejuſque Præſulibus, quibus cùm ad conſummationem ſæculi uſque jugem aſſiſtentiam Spiritûs Sancti pollicitus ſit Chriſtus increata & incarnata veritas, fatuum pariter & impium fuerit ad ſui cerebri commenta, aut aliorum deliria, ſacrorum corticem verborum detorquere.

PHIL. Optimè hoc capio, neque video, quomodo non graviſſimè ſegreges omnes, (qui omnem ſuam Religionem unico Bibliorum volumine definiunt,) pernicioſiſſimè errent contra ipſum naturale lumen. Egi in Germaniâ cum quodam Muſæo, qui ſe Lutheranum, SS. Theologiæ Doctorem conceptis verbis nuncupat. Contendit homo ille omni vi perſuadere, eſſe quidem argumenta illa credibilitatis ἔνδοξα, (ut vocat) quibus infidelis primò inducatur ad credendum probabiliter, eſſe verbum DEI, quod in iſtis ſacris Bibliis continetur; quo poſito, inquit, per ipſam Bibliorum doctrinam vel lectam vel auditam à Spiritu Sancto accenditur fides in Auditoribus, quâ hi de verâ fide certificentur, & ex hac demum ipſam quoque veram Eccleſiam à falſis diſcernant. Hoc enim verò mihi non tam error quàm fatuitas videri poteſt. Si enim miſericordiſſima DEI providentia nequit permittere, ut in ſacros Codices omnis error noxius irrepat, (ut illi fatentur:) quomodo eadem permitteret, ut Præſides Eccleſiæ ſuæ in Scripturæ S. ſenſu declarando pernicioſè labantur? *Propter quod enim unumquodque eſt tale, illud magis eſt tale.* At propter verum ſenſum (quod ſolum eſt verè DEI verbum) neceſſarius aut utilis potiùs eſt ſacræ Scripturæ liber. Ergò ſenſus verus magis eſt utilis & neceſſarius. Ergò DEI optima & ſapiens providentia non potuit illum denegare Præſulibus Eccleſiæ, quam ipſe in ſponſam delegit ſibi. Hæc omnis recta ratio de Deo validiſſimè perſuadet.

THEOL. Prudenter ſanè judicas & meritò admiraris mortalium illorum veſaniam, cùm & ipſi cum Catholicis Nobis profiteantur in ſymbolo VNAM, SANCTAM, CATHOLICAM, APOSTOLICAM ECCLESIAM. Niſi enim aut cum lacte materno hauſtum in Rom. Eccleſiam odium, aut ex arrogantia, irritatione &c. perturbatus affectus mentis aciem faſcinâſſet, quàm pronum illis fuiſſet cernere, ſolam Romanam eique addictas Eccleſias ſummam in Fide, Sacramentis & Gubernatione colere VNITATEM, cùm cæteræ Bibliſtarum ſectæ velut infernalis Hydra tot capitibus inter ſe diſcordiſſimis diſſideant, ut nullus Hercules illis reſecandis ſufficere poſſe videatur: eandem ſolam SANCTIS pollere legibus, moribus, cultoribus, quibus innumeris vel unicum ſimilem nequeunt monſtrare infelices illi Cacodoxi: CATHOLICAM item ſeu univerſalem eſſe eandem ſolam, cùm nullum tempus nullus locus aſſignari queat, ubi non unius ejuſdémque Fidei ſanctitas & veritas innotuerit & perſonuerit; cum viciſſim Bibliſtæ ad unum omnes nec unicum quidem mortalem exhibere queant intra 1000 annos ante Martinum Lutherum, qui præcipuis ſuæ ſectæ capitibus citra controverſiam ſit ſuffragatus: denique APOSTOLICAM eandem eſſe quàm clarum eſt ex continuâ illâ ſerie Præſulum Apoſtolicæ ſedis à Sancto Petro,

 (quem

Digitized by Google

(quem omnis retrò pia antiquitas ut Chriſti Vicarium ejuſque ſucceſſores perinde ſemper venerata eſt) uſq; ad hunc S.D.N. Clementem X. Vrbis hujus almæ & orbis Catholici Antiſtiti?

PHIL. Perlibenter iſta audio & non poſſum non pedibus in tuam abire ſententiam. Certè in hi: omnibus video ſummam cum rectâ ratione convenientiam. Vnde ergò provenit, ut populi Septentrionales relicto fonte illo Apoſtolico foderint ſibi ciſternas venenatas ? Quid Lutherus Calvinus eorúmque ſynergi ſapientiæ, ſanctitatis, adeoque divinitatis præ ſe tulêre, ut gentes illas à veritate ad fabulas ſuas deflecterent?

THEOL. Nil te utique celabo: quod res eſt, candidè proſabor. Mores Catholicorum plurimorum & præcipuè Eccleſiaſticorum à priſtina ſanctitate haud modicè degenerârant : abuſus aliqui rerum ſacrarum irrepſerant : datâ occaſione Lutherus ſub ſpecie corrigendi illos facile ſibi conciliavit favorem plurimorum : quâ afflante aurâ Fidem propè omnem innovare, noctu edoctus ſtygio à Magiſtro occœpit. Quid verò erat pro clivius, quàm ut ſtipula ſicca flammas conciperet ? homines carnales ad tam ſuave ſenſibus & carni Evangelium accurrerent ? Papæ & Clero (bonis eorum in prædam expoſitis) velut Antichriſto ejuſque ſatellitibus hoſtis capitalis authoraretur plebs Luthero Calvinóque ſemel mancipata?

PHIL. Quò profundiùs hæc perpendo, eò plùs ſtupeo poſſe jam poſt detectas craſſas illas neo-Evangelicorum ſectas, lumini & naturali & divino tam obſtreperos adhuc invenire aſſeclas. Quid enim conſequentiæ habet. [*Præſules nonnulli & Eccleſiæ Miniſtri ſanctitatem profeſſi defecerunt à ſua profeſſione. Ergo novum fabricare Evangelium, novam Eccleſiam oportet?*] Quomodo ſe conſanguineos Apoſtolorum in doctrinâ perſuadere poſſunt, cùm plùs quàm per 1000. annos neminem inveniant ſuæ ſuffragari? Sed quid ego portenta illa moror ? Viderint ipſi quid agant. Ego rebus ut meis conſulam, me ex aſſe Rom. Eccleſiæ Filium & Diſcipulum profiteor, dummodo ſuorum me numero dignabitur accenſere.

THEOL. Ne dubites. Magnâ te charitate in gremium ſuum pia Mater & magiſtra ſuſcipiet : Ejus te Magiſterio committe ſecurè. Fallere & falli neſcit in ſalutis negotio, divino præmunita adjutorio. Vnde cum omni fiducia Deo olim nobiſcum dicere poteris : *Domine ſi error eſt, quod credimus, Tu nos decepiſti. Iis enim ſignis facta nobis eſt credibilis hæc doctrina, ejusque magiſtra, quæ niſi à te fieri non potuêre.*

PHIL. Sic prorſus ſentio, omneſque illos execror, ac veluti fabulones rideo, qui profitentur, ſe ſuóſque Præſides fallere & falli poſſe, de facto tamen non falli, quia in corde ſuo ſentiunt *teſtimonium infallibile, ſed occultum Spiritus divini.* Fungus ſit, aut à ſpiritu vertiginis dementatus, qui hoc Magiſterium erroris & Cathedram peſtilentiæ non olfacit; aut ſi agnoſcit, non horret ut orcum.

THEOL. Sic eſt. Sed noveris, Fidem eſſe donum Dei, cui quòd ex infidelitatis errorúmque tenebris erepti ſimus, acceptum referre par eſt, non ingenio, non induſtriæ noſtræ ; quamvis quod ad hanc lucem divinam caligent Errones iſti, ſuæ tantùm ſpontaneæ debent pervicaciæ, quâ lumini divino rebelles perſiſtunt.

PHIL. Sinamus illos & rem noſtram agamus, ac ante omnia corde & ore laudes gratiáſque Domino Deo noſtro.

THEOL. TE DEVM LAVDAMVS &c. GLORIA PATRI, & FILIO ET SPIRITVS SANCTO. &c. Amen!

CAR-

Digitized by Google

CARNIFICINA S. SCRIPTURÆ,

SIVE,

TROPHÆUM TERTIUM,

Quo demonſtratur,

OMNES QUIDEM LUTHERO-CALVINICOS, SED PRÆCIPUE JENENSES THEOLOGOS IMPIE ABUTI SACRIS LITERIS.

CAPUT PRIMUM,

Quid hactenus de hoc argumento actum cum Muſæo? & quid deinceps agendum ſit?

ANte annos 12. in Parall. Append. 1. §. 10. poſtquàm argumentum Muſæanum, (quod ſuprà ad initium ſecundi Trophæi recitatur,) oſtenderam nullam habere firmitatem, veritatem, ſinceritatem, ſed eſſe velamen um nequitiæ, pallium hæreſeos univerſæ, muſcipulam rudium, illecebram toxicatam mellis delibacunculo oblitam; provocavi Muſæum, ut, ſi vir eſt, figat hic pedem, & candidè, quod res eſt, profiteatur, an non primarius & fundamentalis articulus Evangelii Lutherani ſit ille de juſtificatione per fidem ſpecialis miſer cordiæ ſine ullis operibus? Et an non hic ipſe articulus ſub ſpecie verbi divini, non ſit niſi proprius Lutheri ſenſus XV. ſæculis ignotus, quem ipſe violentè S. Scripturæ verbis (etiam addendo ſacrilegè vocem *SOLA*) affingit, cùm potiùs oppoſitum Iac. II. 24. verbis apertiſſimis aſſeratur? Hunc verò proprium ſpiritum ab ipſo Luthero in Epiſtolâ ad Leonem X. extare claris verbis expreſſum, cùm ait: LEGES INTERPRETANDI VERBUM DEI NON PATIOR. Et in Epiſtolâ ad FF. Auguſtinenſes de abrogandâ Miſſa privatâ ait: *non modò totius mundi judicia pro foliis levibus & ſummis ariſtis habenda ſunt, quin etiam adverſus judicium tentantis Dei pugnandum. HÆC*

EST

Digitized by Google

EST ILLA CERTITVDO INFALLIBILIS, QVAM QVÆRIMVS. Demùm rem totam illuſtravi gemino exemplo è Bibliis Ienenſium vernaculè gloſſatis deprompto, nempè de Antichriſto è vaticiniis Danielis & Apocalypſi ſabricato, & de matrimonio ab omnibus pubertatis annos egreſſis ineundo, &c. Ad hanc meam Reſponſionem Muſæus biennio pòſt replicaturus, operi ſuo de Converſione peccatoris præmiſit declamationem apologeticam 12 quaternionum, *in quâ* (ut ipſe ajebat) *Biblia Norimbergenſia, vernaculè gloſſata à Viti Erbermanni virulentâ maledicentiâ vindicantur.* Ego verò non modò bimeſtri pòſt repoſui II. partem Anti-Muſæi, ſereniſſimo Duci Saxoniæ ERNESTO &c. Proceribus Norimbergenſibus inſcriptam, ſed etiam anno ſequenti IVSTAM EXPOSTVLATIONEM cum Lutheranis Doctoribus, Ienenſibus præcipuè, quòd tam atrocibus, quàm conparentibus calumniis, falsisque criminibus, (dum & in opere vernaculè gloſſato, & in Confeſſione Acatholicâ Ioan. Gerhardi ANTICHRISTIANISMVM Romanæ Eccleſiæ affingunt,) deſideratæ concordiæ Proteſtantium cum Catholicis in unâ Fidei confeſſione, præfracte obſiſtere non deſinant. Quid ad hæc Muſæus? Diſſertationes quidem nonnullas Benedictionibus Lutheranis oppidò locupletatas repoſuit priori opuſculo; at jam juſtæ Expoſtulationi *οὐδὲ γρῦ*, ita ut niſi in nupero ſuo ſpiſſo opere de Eccleſiâ feciſſet mentionem Dialogorum Forerii parte II. diſp. IV. num. 95. & niſi in eâdem diſp. IV. (quæ tota verſatur in excuſando Schiſmate Lutherano,) arietâſſet paragraphum ſecundum Cap. I. tertiæ partis Iuſtæ Expoſtulationis, hanc ab eo conſpectam lectamque non fuiſſe, facilè mihi perſuaſiſſem. Nimirum toties à me in tribus Epoſtulationis partibus iteratæ provocationes, conteſtationes, ſponſiones, quibus Biblicas Ienenſium gloſſas de tot atrocibus calumniis accuſavi, paratus judicio Cæſaris, Statuum Imperii, imo Græcorum Schiſmaticorum, & quorumvis etiam à Chriſtiano nomine alienorum, dummodo alioqui probitatis & ingenii laude conſpicui ſint, legi Talionis ſubjacere, niſi intentum evicerim, &c. Hæc, inquam, omnia ſi Muſæus vel ut *NVGAS reſponſo dignatus non eſt*, vel quia nullius Patrocinio ſuſtineri ea poſſe ſenſit, ſibi omninò diſſimulanda putavit; ego ut OPIMISSIMA SPOLIA Ienenſibus erepta ſine prævaricatione cauſæ tam ſanctæ, quam tueor, non poſſum non huic tertio TROPHÆO ſuſpendere. Et quia omnis iſtius CARNIFICINÆ, & indè procreati hæreticorum ANTICHRISTI auctor per nocturnum didaſcalum eſt M. LVTHERVS, ab hoc ordiemur, eúmque apertis demonſtrationibus conficiemus.

CAPUT SECUNDUM.

Demonſtratur, Lutherum in hâc SS. Scripturarum Carnificinâ omnes hæreſiarchas ſuperâſſe.

CONſtat ex ſuprà recitato S. Auguſtini dicto, omnibus hæreſiarchis ſolenne eſſe, *venena ſua ſub ſacrorum Verborum cortice occultare*: Sed palmam in hoc omnibus præripuiſſe Lutherum nemo negabit, qui non modò multitudinem errorum, quos à nocturno Magiſtro didicit, ſed etiam obſtinatiſſimam cervicoſitatem, quâ maluit anathemate feriri, quàm

quàm palinodiam canere, ac ipſa ejus dicta hæretico Spiritu turgida ſecum æquâ lance expenderit. Quid enim aliud niſi hæreticalem contumaciam ſpirant hæc verba, quæ ad Leonem X. 6 Septemb. 1520 ſcripta, & eodem anno Wittebergæ typis excuſa extant: *LEGES INTERPRETANDI VERBI DIVINI NON PATIOR: PALINODIAM UT CANAM, BEATISSIME PATER, NON EST QUOD ULLUS PRÆSUMAT*, &c. Et anno ſequente 1521 ad FF. Auguſtinenſes, ut Miſſarum privatarum abrogationem perſuaderet, inter alia horrenda etiam ſic ait: *Eâ certitudine & fiduciâ tentandum eſt, quod Vos FF. Auguſtinenſes præſtituiſtis, ut non modò totius mundi judicia pro foliis levibus & ſummis ariſtis habeamus, ſed & armati ſimus in morte adverſus portas Inferi. QUIN ETIAM ADVERSUS IUDICIUM TENTANTIS DEI PUGNARE, ET CUM IACOB CONTRA DEUM PRÆVALERE. HÆC EST ILLA CERTITUDO INFALLIBILIS QUAM QUÆRIMUS.* Hæc & plura ſimilia propoſui ante annos XII in Parall. Append. 1. §. 10. iterumque in parte II Anti-Muſæi pag. 10. repetii adjunctis hiſce verbis: [Quæ ſanè talia ſunt omnia, ut ſi iis proprius ſenſus & privati Spiritûs teſtimonium, adeóque ipſiſſima medulla contumaciſſimæ ſuperbiæ & ſuperbiſſimæ contumaciæ non exprimitur, neceſſe omnino ſit fateri, nullum hactenus fuiſſe inter Chriſtianos proprii ſenſûs hominem circa articulos revelatos, nullum hæreticum verba SS. Scripturæ ad imagines phantaſmatum ſuorum pervicaciter detorſiſſe] His biennio pòſt non habuit Muſæus, quod reponeret, niſi aliqua Lutheri dicta, quibus aliâ occaſione viſus eſt admittere, aliquas interpretandi Verbi Divini Regulas *genuinas & rectas*, cùm in ſuperioribus dictis non niſi de *legibus Papiſticis & ſpuriis* intelligi velit. At hanc evaſionem mox præcluſi ego, oſtendendo ex optimo Lutheri libro, (ut ipſemet vocabat,) qui eſt de ſervo arbitrio, ubi Cap. VIII & LXII & LXVIII, univerſaliter & ſummatim aſſerit, *DE TOTA SCRIPTURA DICO, NULLAM EIUS PARTEM VOLO OBSCURAM DICI.* Unde neceſſe eſt, evaneſcere omnem neceſſitatem & utilitatem genuinarum Regularum interpretandi Verbi Divini, & conſequenter Lutherum unum, primum, ſolum poſt XV ſæcula intellexiſſe articulum de FIDE SOLA IUSTIFICANTE, cæteros omnes Patres & Doctores *ob ſuam cæcitatem & ſocordiam id non vidiſſe.* Demùm adjeci hanc conteſtationem ad ſereniſſimum Ducem Erneſtum, & Norimbergenſes his verbis: [Veſtram conteſtor fidem & conſcientiam, S. P. & PP. A A. nunquid ſi Arius, Calvinus, Socinus ſimilia iis, quæ Lutherus ſuprà, de ſuâ quiſq; hæreſi pronunciâſſet, & Muſæus, vel quivis alius ea dicta, & & facta à privati ſpiritûs, proprii ſenſûs, adeóque hæreſæos profeſſione vellet eximere, non crederetis, eum ita ſentire, quantumvis etiam interpoſitâ juſjurandi Religione affirmaret, aut certè emotæ mentis eum exiſtimaretis? Quid enimverò obſtat, cur abſque perſonarum acceptione idem de Luthero non ſentiatis?] Hæc ipſa mea verba Muſæus poſt biennium cum nonnullis anterioribus recitavit, ſed præter largam Lutheranarum Benedictionum degrandinationem ad rem certè nihil repoſuit. Unde ego in tertiâ parte Iuſtæ Expoſtulationis, recitatis Muſæi verbis, non modò ſereniſſimo Duci Erneſto, & Proceribus Norimbergenſibus, ſed omnibus nullâ paſſione aut præjudicio faſcinatis arbitrandum propoſui, omnium fidem & conſcientiam denuò conteſtatus. Nónne ſi Arius ex. gr. de ſuo *ὁμοιουσίῳ* eadem, quæ Lutherus de ſuâ *ſpeciali fide*, aliiſque ab eo protruſis dogmatibus

O pronun-

Digitized by Google

pronunciâſſet,& Muſæus ea dicta à privati Spiritûs,proprii ſensûs, adeóque hæreſeos profeſſione apertâ vellet eximere,non crederetis eum ita ſentire ? aut certè eum emotæ mentis exiſtimaretis ? Verùm quid ego alios quoscunque conteſtor ? Teipſum, Muſæe,compello,& abs te quæro coram toto orbe literato. Si Arius de ſuo errore ejurando ſive à Papâ Sylveſtro,ſive a Concilio Nicæno commonitus dixiſſet : [*Legem interpretandi Verbi divini non patior : palinodiam,ut canam non eſt,ut quiquam præſumat.* Item. *Nihil in verbis Scripturæ externis relictum eſt obſcurum & ambiguum , ſed omnia ſunt per verbum in lucem producta graviſſimam,& declarata toti orbi, quæcunque ſunt in Scripturis. Obſecro vos,Papa & Epiſcopi, obſcuráne ſunt illa verba Scripturæ* : PATER MAIOR ME EST ? *At ſi obſcura eſt Scriptura quam vos declarare præſumitis,quis nos certos faciet ipſam veſtram declarationem eſſe certam ? alia nova declaratio ? quis & illam declarabit ? ita fiet proceſſus in infinitum.* Hæc,inquam,& reliqua Lutheri in Epiſtolâ ad PP. Auguſtinenſes , & in lib. de ſervo arbitrio ad Eraſmum ſcripta , ſi Arius pronunciâſſet , auderésne à proprii ſensûs & privati ſpiritûs adeóque ab hæreſeos confeſſione apertâ eximere ? Hîc abſque tergiverſatione & ambagibus reſponde. Dic,an non proprii ſensûs obſtinatio prædictis verbis & ſententiis Arii à Luthero mutuatis ſufficientiſſime,imò ſuperabundanter exprimitur ? Aut ſi frontem perfricans id profiteri renuis ; dic, quibus aliis clarioribus exprimi poſſit ? Quodſi nequeas hoc præſtare,rationẽ diſparitatis produc,quâ vel probabiliter viro prudenti & æquo ſuadeatur,abſque perſonarum acceptione te in pari causâ non idem ſtatuere de utroque ? Quodſi dicas,Lutherum multò apertiores pro SOLA FIDE habere Scripturas, quàm Arius de PATRE MAIORE,ideóque in hoc,verbis & ſententiis à Luthero relatis & Ario accommodatis indicari proprii ſensûs hominem & privatum ſpiritum,non in illo. At diſparitas hæc etſi revera daretur,nec illi noceret,neque huic prodeſſet : & certè oppoſitum, ſi placet,ad oculum Tibi oſtendam, ac primò quidem repræſentando Dialogum Foreri Arium inter & Lutherum de Homouſio,dein alterum de ſolâ Fide juſtificante.

DIALOGUS PRIMUS
Lutherum inter & Arium.

LVTHERVS. Heus Ari,in medium prodi,& cauſam dicito , cur DEVM Patrem Filio majorem credideris,alióſque innumeros,ut idem crèderent,induxeris ?; me audi,ego te Scripturas docebo.

ARIVS. Adſum non invitus, & compareo impiger. Ego enim tam præcipitis conſilii non fui,ut temerè tantam rem aggrederer , ſicut tu doctrinam tuam temerè & caſu te incepiſſe confeſſus es. Nunquam à communi Chriſtianorum, Filium Patri æqualem credentium,ſenſu diſceſſiſſem , niſi me evidentiſſima Scripturæ verba coëgiſſent. Quid enim clariùs dici poterat,quàm quod Filius ipſe Ioan. 14. PATER MAIOR ME EST ? Ecce Filius majorẽ Patrẽ palàm profitetur; quis ego ſum,ut ei contradicã?ut eũ mendacẽ faciã? ut æterno Patri detrahã,nec obediã mandanti nobis de Filio, IPSVM AVDITE ? propitius ergo mihi ſit Dominus; nec permittat me unquam prolabi in tantum facinus,ut hominibus,quámvis multis, quámvis

Digitized by Google

quámvis bonis, quámvis doctis, credam contra Deum: illi enim, Scripturâ teſte, fallere poſſunt & mentiri; Deus autem verax eſt, & nulli obnoxius errori. Hæc Arius.

Quid ad hæc LVTHERVS? Falleris, inquit, falleris O Ari, & turpiter hallucinaris, neque DEO contra homines, ſed tibi ipſi contra DEVM & homines credis, dum Patrem Filio Deitate majorem credis. Neque enim Filius ait, *Pater major me eſt Deitate*; ſed hoc tantùm: *Pater major me eſt*. Reſtat ergò inquirendum, majórne ſit Deitate, an aliquâ aliâ ratione? Major utique eſt DEVS homine: Pater autem DEVS eſt, & Filius homo, ut docet Scriptura. Quid ergò mirum, ſi Pater major eſt Filio, quippe DEVS homine? Vides Ari, quàm bellè Scriptura per Scripturam explicetur? & quàm tu graviter erràris.

Herclè, nondum video Luthere, inquit ARIVS, niſi clariùs demonſtràris; quin ego tibi oculos veritati adhuc clauſos aperiam. Quæſo te, Eſtnè Filius tantùm *Homo*, an etiam Deus? tu certè Scripturam ſic interpretaris, quaſi homo tantùm eſſet, non etiam DEVS. Atqui hoc ipſiſſimum eſt, quod ego unicè contendo; nempè Patrem eſſe majorem Filio; quòd Pater DEVS ſit, Filius verò tantummodo homo. Dum ergò per inanem contentionem mihi, vel potiùs veritati reſiſtis, ut Moyſi Ioannes & Mambre, vel nolens in meam veritatiſque ſententiam deſcendis. Quod ſi, ut tu pugnas, Filius eſt Deus & Homo; Pater verò Deus tantùm; non ergò Pater major eſt Filio, ſed Filius Patre; vel ut tibi ſcholaſticè rem exponam, ergò Filius intenſivè æqualis eſt Patri, extenſivè autem major. Quia omnia habet, quæ Pater, attributa ſcilicet Divina & quædam alia, quæ non habet Pater, attributa ſcilicet humana; vides ergò Luthere, quàm tu graviter erràris?

Reſpondet LVTHERVS, Miſeret me tui, O Ari, qui cæcus cæcum ducem ſequeris. Deſiderabam, ut Scripturam per Scripturam explicares, quod ego feceram; tu verò Scripturæ explicationem ex ratione humanâ, quæ cæca eſt, attuliſti; immemor, quid antè dixeris. Ajebas nimirum, DEO eſſe contra homines credendum, non hominibus contra DEVM. Tu verò jam non DEO, ſed homini credis contra DEVM, rationi inquam tuæ ſolius, qui homo es, non DEVS.

Reſpondet viciſſim ARIVS, Miſerere animæ tuæ, mi Luthere, cæcitatem, quâ tu laboras, non eſt, cur limpidiſſimis meis oculis imponas. An non cæcus es, qui rationis lumen, quod in te eſt, ſequendum negas, & quod hinc ſequitur, in tenebris ambulandum arbitraris? Rationis lumen à DEO nobis datum eſt, ut eo adjuti, in errores ne incurramus. Quod ſi in rebus humanis diſcernendis opus eſt hoc lumine, quantò magis in Divinis altiſſimiſque & ab humano ſenſu remotiſſimis myſteriis: ſed quid ego hæc tibi commemoro, cùm tu ipſe feceris, quod à me factum reprehendis? Vnde tu colligis, Scripturam per Scripturas explicandam, niſi ex ratione humanâ? Vnde colligis illam Scripturam, PATER MAIOR ME EST, explicandam eſſe per hanc, FILIVS EST HOMO, niſi ex ratione humanâ? Aut ſi non ita eſt, profer Scripturæ locum, ubi dicatur: Scriptura per Scripturam explicanda eſt; & hæc Scriptura, PATER MAIOR ME EST, explicanda eſt per illam, FILIVS EST HOMO. Nondum oſtendis? Vide ergò, quàm miſerum argumentum mihi oppoſueris?

Digitized by Google

Non nego, inquit LVTHERVS, rationem Scripturâ comitatam nos ſequi oportere; ſolam rationem Scripturâ deſtitutam ajo cæcum ducem eſſe in Divinis. Nam ad humana perſpicienda, utcunque adhuc ſufficit. Ego Scripturam cum ratione conjunxi; Tu mihi rationem ſine Scripturâ objectâſti.

Ignoſce mihi Luthere, inquit ARIVS, videris mihi de ratione ſine ratione diſputare, vel, ut illud Comici uſurpem, *cum ratione inſanire.* Neque enim Scripturam per Scripturam explicâſti, ſed Scripturam mihi oppoſuiſti, quæ tantùm abeſt, ut Scripturam à me allatam explicet in ſenſu tuo, ut eandem confirmet in meo. Tu enim ſic explicabas: Filius eſt homo; Ergo Pater major eſt Filio, ut homine tantùm, non etiam ut DEO. Ego eâdem, quâ tu, Scripturâ uſus ſum, eámque in te retorſi. Quâ tu ergò fronte rationem ſine Scriptura à me tibi objectam conqueſtus es? En! denuò eandem Scripturam tibi inculcabo. Filius eſt homo, ut tu ex Scriptura dicebas; & Filius eſt DEVS; ut tu idem ultrò affirmas; & quidem, ut opinaris, itidem ex Scriptura alia. Ergò Filius eſt major Patre; niſi fortè apud te minus ſit DEVS & homo, quàm DEVS tantùm, hoc eſt, ut cæcutienti majus lumen adhibeam, niſi apud te minus ſint *duo*, quàm *unum*; & quod hic conſequens eſt, plùs unum, quàm duo. Quod ſi contra Arithmeticam ſcientiam, non niſi humanam, adeò turpiter erras, mirum alicui videatur, ſi in Theologiam tam fœdum ſolœciſmum committas? Concludo igitur, & hanc ſimpliciſſimam, veraciſſimam, & clariſſimam Scripturæ per Scripturam explicationem eſſe aio. *Pater major me eſt:* Quia DEVS eſt, & ego homo ſum, non etiam DEVS. Neque mihi Scripturas objicias, quibus Chriſtus etiam DEVS, aut Filius DEI dicitur. Eo enim modo Scripturæ CHRISTVM DEVM aut DEI Filium vocant, quo & cæteros Prophetas nonnunquam; id quod ipſius, cujus cauſa agitur, Chriſti verbis apertiſſimè demonſtro. Nam Ioan. 10. cùm Iudæi Chriſtum blaſphemiæ arguiſſent, ac dixiſſent. *Homo cum ſis, facis te ipſum DEVM*; reſpondit Chriſtus: *Homines, ad quos ſermo DEI factus fuit, in Scripturis dici DEOS, & filios DEI,* ideoque ſibi vitio non vertendum, quòd ſe *Filium* DEI diceret; quippe ad quem itidem ſermo DEI factus fuerit. Atqui homines, ad quos ſermo DEI factus fuit, non *propriè*, ſed tantùm *impropriè* fuére Dii & Filii DEI. Ergò Chriſtus quoque non niſi *impropriè* fuit DEVS, aut Filius DEI. Nega, ſi audes, hunc Scripturæ locum, aut quem ego comite ratione explicavi, tu, ut ſuprà faciendum contendebas, ſine ratione aliter explica.

LVTHERVS. Sed & tu nega, ſi audes, hunc patentiſſimum locum, quem tibi proponam. Legiſtin', quid Chriſtus dixerit Ioan. 10. v. 30. *Ego & Pater unum ſumus*? Si unum ſunt, quomodo non eſt Filius Patri æqualis? aut ſi Pater eſt Deus, quomodo non eſt Deus quoque Filius? Vnum quippe ſunt Pater & Filius. Si ergò Pater eſt Deus, Deus eſt & Filius.

ARIVS. Miror, te, Luthere, mihi hunc locum objicere, cùm tu alibi ſimillimum huic, neſcio quâ fide, expunxeris, & in eo non parùm meam cauſam promoveris. Legiſtin' quid Ioannes ſcripſerit in 1. Epiſtola c. 5. v. 7. [*Tres ſunt, qui teſtimonium dant*

Digitized by Google

dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus & hi tres Vnum ſunt?] Si legiſti; cur in tuâ Germanicâ verſione hæc omnia omiſiſti? an quia in Græcis quibuſdam exemplaribus deerant, ideo ea ab alienâ manu aſſuta credidiſti? Quid ſi ego dicam, hunc, quem tu mihi objicis locum, à meis hoſtibus in Evangelium Ioannis eſſe intruſum? Vnde me ita convinces falſitatis, ut te ipſum quoque non eodem flagello cædas? Deinde cur Ioan. 8. hiſtoriam de *adulterâ* tuis Bibliis inſeruiſti, licèt & *illa non habeatur in plerisque græcis exemplaribus*, inquit tuus Eraſmus.

Sed ponamus eſſe legitimum hoc teſtimonium, an neſcis *Vnitatem* eſſe multiplicem? Sint *unum* Pater & Chriſtus per *Concordiam voluntatis*, num ideò *unum* idemque neceſſariò ſunt per *naturam*? Minimè ſane. An non meminiſti, Chriſtum pariter dicere Ioannis 17. v. 22 *Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus?* Quis autem niſi inſanus dixerit, diſcipulos Chriſti inter ſe fuiſſe prorſus unum idémque *conſubſtantialiter per naturam*? Similiter eodem cap. v. 21. legitur. VT OMNES VNVM SINT, SICVT TV PATER IN ME, ET EGO IN TE. VT ET IPSI IN NOBIS VNVM SINT. Vides iterum mi, Luthere, Scripturam contra TE? Si enim Nos ſumus VNVM in DEO, *ſicut Pater eſt* VNVM *in Filio*, tunc manifeſtum eſt, Filium in Patre, & Patrem in Filio, non eſſe dicendum VNVM *conſubſtantialiter*, & propter *identitatem naturæ*: quandoquidem neque nos dicimur VNVM eſſe in eo, ut ipſe in nobis, propter *naturam eandem*.

Denique ſi Pater & Filius VNVM *ſunt* per *identitatem naturæ*, ut tu ais, an non ego inferre contra te poſſum, eſſe quoque VNVM *per identitatem perſonæ?* Nam ex communi omnium hominum judicio, ubi eſt una tantùm natura & eſſentia, ibi eſt una tantùm perſona. Proinde; qui juxta commune omnium hominum judicium diceret; Marcum & Tullium eſſe *unius individuæ naturæ, & eſſentiæ*, diceret etiam eſſe *unicam* tantùm *Perſonam*: & contra; qui diceret Marcum & Tullium eſſe *duas Perſonas*, negaret eſſe *unius naturæ & eſſentiæ* individuæ. Hæc mihi tu ex nullâ Scripturâ evertes.

LVTHERVS. Imò verò, ſi Scriptura cum Scripturâ benè conferatur, hæ tuæ argutiæ facilè concident; longè enim alia ratio eſt rerum divinarum, quàm humanarum. *Non enim impoſſibile erit apud Deum omne Verbum.* Luc. 1. v. 37.

ARIVS. Etiam hoc dictum limitatum habet ſenſum, & varias patitur diſtinctiones. Ex quâ igitur Scripturâ probas hunc caſum, de unâ natura & duabus aut tribus perſonis, in iſto dicto comprehendi? Nam etiamſi concedam, Deum omnia poſſe, quæ non involvunt contradictionem; fateri tamen cogeris, Deum illa non poſſe, quæ involvunt contradictionem. Ex nullâ autem Scripturâ conſtat hoc ipſum (quòd in divinis ſit tantùm una Natura, & plures Perſonæ) contradictionem non involvere. Aut ſi habes Scripturam, profer.

Deinde per collationem Scripturarum inter ſe fit ſæpè, ut quis magis perplexus fiat & involvatur; ut in hoc exemplo patet. Nam legis Ioann. 1. v. 14.

Digitized by Google

VERBVM CARO FACTVM EST. Hoc tu ſi de Dei Filio interpretaris, plùs tibi probabo, quàm velis. Si enim Dei Filius verè & propriè homo dicendus eſt, quia dicitur VERBVM CARO FACTVM, tùm etiam idem Dei Filius ſecundum te, eſt verè & propriè *peccatum* dicendus; quia apud Apoſtolum 2. Corinth. 5. verſ. ult. dicitur etiam factus *peccatum*. Audi Apoſtolum, *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Quid dicis ad hæc Luthere? Eſtne Chriſtus verè & propriè factus *peccatum*, ſive *peccator*, an tantùm apparenter? ſi prius affirmes, quid magis impium & blaſphemum? Omne id, quod eſt verè & propriè *peccatum* ſive *peccator*, abominabile eſt coram Deo. Si ergo Dei Filius fuit verè & propriè peccator, adeóque abominabilis in oculis Dei, quomodo pro nobis ſatisfacere & nos in gratiam reſtituere potuit? ſi autem tantùm *apparenter* factus eſt *peccatum*, an non tibi quis pariter inferet; Ergo etiam tantùm *apparenter* VERBVM *factum eſt* CARO? Et ſic tandem non niſi apparentem & phantaſticum Chriſtum habebis, Luthere. Denique & iſtud addo, An non Chriſtus Ioan. 17. v. 3. ait, *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant Te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Audiſtine Luthere? Chriſtus ipſe fatetur diſertiſſimè, *Patrem ſolum eſſe verum Deum.* Ergò Filius non eſt verus Deus. Quamcunque Gloſſam hic mihi objicias, illa non eſt ſcriptura, ſed figmentum ex mico cerebri tui expreſſum. Certè ſi quis diceret, Lutherus SOLVS fuit Reformator Germaniæ, ut tu dixiſti, quando dixiſti, *Primò* SOLVS *eram.* Ergò Carolſtadius & Zwinglius non fuerunt Reformatores: Annon tu ſtatim proniſſimo annutu id verum eſſe magnis vociferationibus clamitares? Cur ergò etiam non hìc valeat de Chriſto ratiocinatio? Vides, quò te tua Scripturarum cum Scripturis inſtituta comparatio perducat.

LVTHERVS. Sophiſtam agis ô ARI, & tot allegatis Scripturis nil proficis, quia à vero intellectu Scripturæ recedis.

ARIVS. Ego Sophiſtam agam? oſtende mihi hoc expreſſe in Scriptura, & totidem verbis: Nempè Arius Scripturas non in vero ſenſu interpretatur, & errat; Hoc ni facis, in aëre piſcaris & promiſſo tuo, quod initiò feciſti, neutiquam ſtas.

LVTHERVS. Equidem video te, Ari, mirabiliter Scripturas explicare, & valdè obſtinatum eſſe; ſed quod tu contendis, nondum video. Nam Scripturas non in eo ſenſu accipis, quo ſunt à Deo nobis datæ: Longè aliter Ioannem interpretati ſunt Athanaſius, Cyrillus, & Hilarius, quàm tu: quos ſi audires, aliter quoque ſentires.

ARIVS. Riſum mihi moves Luthere, putabam te ex Scriptura ſolâ mihi meum errorem (ut tu loqueris) demonſtraturum, & nunc tui immemor, Patrum interpretationem mihi opponis, Nihil agis, aut Scripturam profer, aut victum te fatere. Atque ita concludo.

LVTHERVS. Vt animadverto, ex diſputatore irriſor factus es: concludam igitur, cùm tecum nihil proficiam. Tu Scripturam attuliſti: Et ego Scripturam reddidi: Vterque Scripturam per Scripturam explicavimus, hoc ſolo diſcrimine, quod ego benè, tu malè!

Non contradico, inquit ARIVS, imò prorsùs iiſdem verbis idem dico; uterque Scripturam per Scripturam explicavimus, hoc ſolo diſcrimine, quod ego benè, tu malè. Neque hoc aliter, quàm tu probâſti, probo; authoritate videlicet *meâ*, ſicut & tu *tuâ*: meſequuntur

Digitized by Google

quuntur Ariani: te ſequantur, quicunque volent. Quòd verò me irriſorem appellas, tuo nomine me appellâſti. Nam ſcripta tua mihi teſtimonium perhibent, te non ſolùm irriſorem, ſed etiam (ut non plus dicam) inſignem convitiatorem & ſcurram fuiſſe. Tui ſermones ſympoſiaci loquantur, ut de aliis fœdiſſimis ſcriptis tuis nihil dicam. Hæc ARIVS. Et ſic finitum eſt colloquium.

DIALOGUS SECUNDUS Arium inter & Lutherum.

ARIVS. Vocâſti me heri ad pugnam, & ad examen Scripturarum meam de Homouſio doctrinam. Nunc viciſſim ego te, MARTINE in arenam revoco, ac rationem exigo recentis tui dogmatis de gratuitâ per SOLAM FIDEM ſpecialem Iuſtificatione. Id novum eſſe haud negaveris: ſed hoc jam non agam. Satisfacies mihi, ſi ex claris Scripturæ verbis illam mihi demonſtraveris.

¶. LUTHERUS. Non nego, *doctrinam de Fide, quam eſſe oportet in Eccleſiâ præcipuam, jam diu jacuiſſe ignotam, quemadmodum fateri omnes neceſſe eſt, de Iuſtitia Fidei altiſſimum fuiſſe ſilentium; ita ut neminem ſciam, qui de Fide & Operibus rectè judicare potuerit, exceptis Apoſtolis. In cæteris libris id nequaquam invenitur, ita ut mirum non ſit, eam doctrinam noſtris temporibus ita periiſſe & extinctam fuiſſe.*

¶. ARIVS. Mirum eſt, quòd, cùm heri auſus ſis expoſitioni Scripturarum à me prolatæ opponere Athanaſium, Cyrillum, & Hilarium, hodie non pudeat te tam diſerte fateri, dogma illud tuum noviſſimum de Iuſtificatione omnibus retrò Doctoribus uſque ad Apoſtolos fuiſſe ignotum. Ego ſanè hoc nunquam de Filio Dei ὁμοιουσίῳ fatebor, cùm qui ante me in Eccleſia docuerunt, ſi non apertè in meas partes conceſſerunt, ſaltem mihi non poſitivè contradicunt, ut patet ex Ignatio, Iuſtino, Irenæo, Tertulliano, Cypriano, quos Tu cum reliquis poſteriorum ſæculorum Doctoribus manifeſtè habes tibi contradicentes.

¶. LVTHERVS. Noli mirari me, ARI, quod verbum Dei præferam omnium hominum ſcriptis. Dudum dixi, (nec me pœnitet dixiſſe.) *inſanis ſophiſtis, indoctis Pontificibus, impiis ſacerdotibus, ſacrilegis monachis, & toti Papæ cum ſuis ſquamis, lupanaribus, lucis, excluſis univerſis, nos non eſſe baptizatos, neque credentes in nomine Auguſtini, Bernardi, Gregorii, nec in nomine Petri, nec Pauli, nec in nomine almæ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Sodomæ, aut Lovanienſis Gomorrhæ cum ſuis ſorbis, ſed in nomine ſolius* Ieſu Chriſti, *quem ſolum confitemur ut Magiſtrum noſtrum. -- Scio quid Patres, quid decreta, quid uſus, quid vulgi opinio habeant. Non audimus, Bernardus ſic vixit & ſcripſit; ſed, Bernardus ſic vivere & ſcribere debuit jux-*

ut juxta Scripturas. Sancti errare potuerunt docendo, & peccare vivendo. Sanctos accepto, ſed quorum gloria non ex hominibus, imò ex DEO eſt, quos non Papa canonizat & probat, ſed quos Deus commendat. Ipſius enim tauri & altilia occiſa, parata ad nuptias CHRISTI *filii ſui, hoc eſt, quorum dicta & facta, & quatenus nobis Divina Scriptura commendat, ut ſunt Patriarchæ, Prophetæ & Apoſtoli, quibus ſolis fideliter & nitimur & ſervamur.*

ARIUS. Nimis clarè loqueris, MARTINE! Ergone *tu ſolus ſapis? tótne errant univerſi? tanta ſæcula ignoraverunt? Quid ſi tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter?* Ego ſanè non omnibus ita me oppoſui: nullos ante me legi vel audivi Homouſion tradentes. Si mihi conſtitiſſet, omnes priorum trium ſæculorum Doctores oppoſitum ſenſiſſe, nunquam auſus fuiſſem omnibus illis contradicere. Vide, quid agas LUTHERE!

¶. LUTHERUS. Non inficior, *ſæpè mihi* antehac *trepidavit tremulum cor, & objecit* illa ipſa, quæ tu jam mihi. *Sentiebam* (præſertim circa annum 1519. cùm mihi continui eſſent conflictus cum Papiſtis) *me coram DEO eſſe peccatorem inquietiſſimæ conſcientiæ, nec meô ſatisfactione placatum confidere poſſe.* NON *amabam, imo* ODIEBAM *juſtum & punientem peccatores DEUM, tacitaq; ſi non blaſphemiâ, certè ingenti murmuratione indignabar DEO, dicens? quaſi verò non ſatis ſit, miſeros peccatores & æternaliter perditos peccato originali, omni genere calamitatis oppreſſos eſſe per legem Decalogi, niſi DEUS per Evangelium dolorem dolori adderet, & etiam per Evangelium juſtitiam & iram ſuam intentaret! Furebam ita ſæva & perturbata conſcientia, pulſabam tamen importunus Paulum, ardentiſſimè ſitiens ſcire, quid S. Paulus Rom. 1. illis verbis:* [Juſtitia DEI revelatur in Evangelio] *vellet; donec miſerante DEO meditabundus dies ac noctes connexionem verborum attenderem, nempè* juſtitia DEI revelatur in illo, ſicut ſcriptum eſt: juſtus ex fide vivit. *Ibi juſtitiam DEI cæpi intelligere eam, qua juſtus dono DEI vivit, nempè ex Fide; Et eſſe hanc ſententiam: Revelari per Evangelium juſtitiam DEI, ſcilicet paſſivam, qua nos DEUS miſericors juſtificat per Fidem. Hic me prorſus renatum eſſe ſenſi, & apertis portis in ipſum Paradiſum intraſſe. Ibi continuo alia mihi facies totius Scripturæ apparuit. Poſtea legebam Auguſtinum de ſpiritu & literâ; ubi præter ſpem offendi, quod & ipse juſtitiam DEI ſimiliter interpretetur, quâ nos DEUS induit, dum nos juſtificat. Et quanquam hoc imperfectè adhuc ſit dictum, ac de* IMPUTATIONE *non clarè omnia explicet, placuit tamen Iuſtitiam DEI doceri, quâ nos juſtificemur.*

¶. ARIUS. At conſidera, quæſo, quid ſi non *in Paradiſum* hâc tuâ perſuaſione, ſed ad Orci limina admiſſus ſis? Unde tibi tanta certitudo, Te *unum, ſolum, primum* poſt Apoſtolos intellexiſſe veram de IUSTIFICATIONE doctrinam. Nónne ſuſpecta cuivis prudenti

prudenti debet eſſe nova inventio univerſis Chriſtianorum Doctoribus inaudita & ignota? Quid ſi non à DEO, ſed à maligno Diabolo in hanc phantaſticam & pernicioſam conſolationem inductus ſis? An non hoc ipſum haud obſcurè colligitur ex illâ tuâ Diſputatione cum Dæmone, quam vidi Tomo VII. tuorum Operum latin. Wittebergæ impreſſo inſertam, cujus hic eſt titulus: *De privatâ Miſſâ & unctione Sacerdotum?* Nónne ibi fol. 228. refers hæc verba Diaboli: *Primùm noſti, nullam tunc* (cùm Miſſas celebrares) *habuiſti cognitionem* CHRISTI, *nec veram fidem. Fidem habuiſti, non aliam, quàm Turca & nos Spiritus rejecti qui non fidimus illius miſericordiâ, neque habemus eum pro Salvatore, ſed exhorreſcimus, ut ſævum judicem. Ejuſmodi fidem & non aliam tu habebas; ideo à CHRISTO tanquam à crudeli judice confugiebatis ad S. Mariam & Sanctos, illi erant Mediatores inter Vos & CHRISTVM.* Nónne hæc erant verba Diaboli tecum diſputantis, uti tu ipſe retuliſti? Huicne credas, contra omnium Chriſtianorum Doctorum retrò uſque ad Apoſtolos exploratiſſimam doctrinam? Id eſt, unde dogma tuum? nempe vel à nocturno tuo diſputatore, vel ex propriâ turbatæ imaginationis fallaciâ, vel ab utroque ſimul.

§. LVTHERVS. Bona verba, quæſo Ari! non diſputator nocturnus me docuit, ſed hoc quod jam DEVS per verbum ſuum clariſſimum me docuerat, aſſumpſit, ut me in deſperationem adduceret. Verum quidem eſt, quod *mendax ſit Satan, ſed ejus mendacia non ſunt ſimplicis artificis, ſed longè callidiora & inſtructiora ad fallendum, quàm humanus captus aſſequi poſſit. Ipſe ſic adoritur, ut apprehendat aliquam & ſolidam veritatem, quæ negari non poteſt. atque eam adeò callidè & verſutè urget & acuit, & adeò ſpecioſè fucat ſuum mendacium, ut fallat vel cautiſſimos.* Nemo niſi DEVS ita potens eſt, ut perturbatam & *ejus juſtitiam odio* proſequentem animam ſubitò poſſit conſolari, eique lumen infundere, quo *alia facies Scripturæ totius appareat.* CHRISTVS ergò ſolus eſt, qui *confirmavit me verbis ſuis veris & fidelibus: Eâ certitudine, & fiduciâ roboratus, non modò totius mundi judicia pro levibus foliis & ſummis ariſtis habeo, ſed & armatus ſum in morte adversùs portas inferi, quin etiam adversùs judicium tentantis DEI pugnare, & cum Iacob contra DEVM prævalere. Hæc eſt illa certitudo infallibilis, quam quæſivi*, quam nunc & teneo & tenebo.

ARIVS. Parcat tibi DEVS, Luthere! Nequaquam ego talia jactare auſus eſſem adversùs antiquiores Doctores. Ego trium ſæculorum Patres pro me potiùs, quàm contra me habeo. Tu XV ſæculorum Doctores & Paſtores omnes ad unum contra te. Et tamen quia unius Conventiculi Nicæni Epiſcopos cum Papa Sylveſtro reſpuens Homouſii novitatem nolui profiteri; quantumcumque ratio clara & Verbum DEI ſcriptum pro me ſtet expreſsè; anathema mihi dictum eſt. Ego ſanè nihil horum video pro te ſtare; imò, ratio recta eſt tibi contraria, nec quidquam puto S. Scripturæ verba & ſenſum tibi patrocinari. Atque ut hinc ordiar, unde omne novum lumen te hauſiſſe gloriaris, illa verba Pauli [IVSTITIA DEI REVELATVR IN EVANGELIO EX FIDE IN FIDEM:] nihil te juvant, imò potiùs jugulant. Nam etſi Origenes, & fortè pauci alii, per *Iuſtitiam DEI* intellexerint, quâ ipſe DEVS Iuſtus reddidit unicuique

Digitized by Google

ſecundùm opera ſua, mala malis, bona bonis; tamen alii plerique cum Auguſtino juſtitiam DEI interpretantur donum DEI, quo juſti efficimur. Quid hic non congruum verbis & ſcopo Apoſtoli? Tua verò multa interpretatio, quâ vis *imputari* nobis extrinſece juſtitiam, quæ intrinſecè in DEO eſt, planè repugnat rectæ rationi, nec vel leve in Apoſtolo fundamentum habet.

¶. LVTHERVS. Quamvis in iis Apoſtoli verbis non habeatur clarè, Iuſtitiam DEI vel CHRISTI *imputari* nobis; ex aliis tamen pluribus ejuſdem dictis id ſatis indicatur. Nónne in ejuſdem Epiſtolæ cap. 4 ℣. 5. 6. 7. apertè dicitur: ***Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundùm propoſitum gratia DEI, ſicut & David beatitudinem hominis, cui DEVS acceptam fert juſtitiam ſine Operibus: Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.*** Quid clarius? Nunquid hic habetur, nobis imputari fidem ad juſtitiam, hoc eſt, fidem, quæ apprehendit juſtitiam CHRISTI ut propriam, facere ut hæc fides imputetur ad juſtitiam, ſeu, coram DEO facit peccatorem tam gratum ac ſi ipſe haberet intrinſecè ſibi inhærentem CHRISTI juſtitiam. ***Extra Chriſtum eſſem quidem reus mortis æternæ; ſed quia ſum in Chriſto, & in ipſo credo ipſum invoco, tum jam mea damnatio eſt damnata, meus reatus jam ipſe reus, atque ibi conſtanter poſſum dicere: Etiamſi ſim peccator, tamen ſanctus & innocens in Chriſto. Peccator quidem ſum in me ipſo extra*** CHRISTVM, ***ſed ſanctus, purus, mundus ſum extra me in Chriſto, quia ipſe peccatum meum delevit per ſanguinem ſuum.***

¶. ARIVS. Audio ego quidem hanc tuam interpretationem, ſed non video, qui conformis ſit verbis Apoſtoli. Hic enim eo loco non agit de Iuſtitia Chriſti, ſed apertè ait, ***Abraha fidem*** (non nudam, ſed ſpe, charitate, obedientiâ heroicâ veſtitam) ***fuiſſe reputatam ad juſtitiam.*** Nulla certe hic mentio juſtitiæ extrinſecæ; Abraham enim vere intrinſecè fuit juſtus, mundus à peccatis, per gratiæ divinæ donum inhærens, non vero extrinſecâ imputatione falsò habitus juſtus, ac reipsâ ſordidus.

LVTHERVS. Cùm Apoſtolus ait, ***fidem Abraha reputatam eſſe ad juſtitiam,*** non poteſt intelligi, ipſam fidem eſſe ipſam formam juſtificantem, ſed eſſe id ſolùm, quo apprehenditur ipſa perfecta juſtitia CHRISTI. Ergò hoc ipſo, quòd dicitur fides imputari, non poteſt aliud intelligi, quàm ipſa CHRISTI perfecta juſtitia per fidem ſpecialem apprehenſa.

¶. ARIVS. Iterum audio verba, ſed tua, non Apoſtoli. Hujus enim illa verba optimè ſalvantur in ſententia communi Chriſtianorum omnium, qui te præceſſerunt, nempe fidem illam quâ credidit Abraham DEO, eique ex charitate in rebus difficillimis obedivit, reputatam ei fuiſſe ad juſtitiam, ***ſecundùm propoſitum gratiæ DEI,*** (uti mox ſubjungitur) quia nempe etſi fides, & omnia bona opera ex eâ emanantia, quatenus actus hominis ſunt, non poſſint parere juſtitiam, quæ coram DEO juſtum faciat; acceptantur tamen à DEO gratiosè, tanq. congruæ diſpoſitiones ad donum illud pretioſum, quo divinæ conſortes fiamus naturæ, infundendum. Et hoc primò contigit Abrahamo, cùm DEO, evocanti ex Vr Chaldæorum, promptè credidit, & ſecutus eſt in terram promiſſionis, & ſic ex impio juſtus eſt factus, gratioſum DEI donum juſtificans in ſe primò recipiens: deinceps verò iterum DEO alia promittenti & jubenti

Digitized by Google

jubenti obediens , factus eſt è juſto juſtior. Quid hic non congruum & Apoſtolo & rationi?

¶. LVTHERVS. Habent hæc apparentiam, non inficior: repugnant tamen Apoſtolo diſertè pronuncianti c. 3. & 4. & Galat. 2. 16. nos ſolâ fide, non ex operibus ullis juſtificari. Sola ergò fides, quatenus apprehendit Iuſtitiam Chriſti, nos juſtificat. Cur enim aliàs ſola fides diceretur parere Iuſtitiam, ſi non illa apprehenderet Iuſtitiam Chriſti eámq; ſibi tanquam propriam applicaret? Noſtra certè opera omnia non ſufficiunt ad juſtitiam coram DEO.

¶. ARIVS. Agnoſcis ergò, Luthere, Iuſtitiam illam formalem extrinſecè imputatam non habere expreſſum clarum Apoſtoli dictum pro ſe, ſed tantùm ex alio principio illam infers, ſed argutatione nimis infirmâ. Quomodo enim ex eo, quòd Fides apprehendit merita Chriſti, ac per ſpem & contritionem diſponit ad Iuſtitiam à DEO gratis infundendam, neceſſariò infertur, hoc ipſum eſſe aliquid extrinſecum nobis imputatum? Oppoſitum certè potiùs ſequitur. Nam eſſe gratum DEO, juſtum, ſanctum, beatum, ſonant vel maximè aliquam perfectionem eximiam. Atqui omnis perfectio eſt denominatio intrinſeca. Quàm parùm ergò ſtultus poteſt eſſe ſapiens per ſapientiam Salomonis illi imputatam; tam parùm etiam poſſumus verè coram DEO eſſe juſti formaliter per Iuſtitiam Chriſto inhærentem, nobis extrinſecè imputatam.

¶. LVHERVS. Tamen juxta eundem Apoſtolum 1. Cor. 1. 3. *Chriſtus factus eſt nobis juſtitia.* Ergò ejus juſtitia illam apprehendentibus imputatur.

¶. ARIVS. Non vides, Luthere, ſplendidum eſſe delirium, ſi de formali juſtitia accipiatur, ſicut nec de formali redemptione, ſapientiâ, & ſanctificatione accipi poteſt, ſed ſolùm de cauſali? Chriſtus enim meritoriè nobis & redemptionem, & juſtitiam, & ſapientiam contulit. Mero igitur eóque vaniſſimo ſophiſmate ludis aut luderis, neglectâ diſtinctione inter juſtitiam formalem, (de quâ ſola hìc quæſtio eſt, & quam nullo Scripturæ dicto firmare potes; multóque minùs ratione) & eam quæ cauſaliter juſtifica & ſanctum efficit. Hoc ergò fundamento tuo phantaſtico planè ſubverſo (unde & *regeneratio* illa, & *conſolatio* illa, & *facies illa nova Scriptura* à te tam confidenter jactata, meræ imaginationes nullâ veritate ſubnixæ deprehenduntur) omnis illa tua ſpecialis & ſola fides, Chriſti juſtitiam apprehendens, pariter ut phantaſtica evaneſcit.

¶. LVTHERVS. Nequaquam, Ari! Fides, quæ juſtificat, non debet eſſe nudus aſſenſus intellectûs, ſed juncta cum fiduciâ ſpecialis miſericordiæ, quâ certi reddantur ex promiſſione DEI unumquemque credentem & fiduciam ſuam in meritis Salvatoris unicè collocantem, hoc ipſo infallibiliter Iuſtum eſſe, per ipſam CHRISTI juſtitiam credenti ita imputatam. Nónne hoc Ioan. 3. apertè à CHRISTO promittitur? ut *omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Act. 13. *In hoc omnis qui credit juſtificatur*; & alibi paſſim.

¶. ARIVS. Hæc & ſimilia dicta etiam ſexcenta ſi produxeris, nunquam inde extundes, requiri aut conducere ad juſtitiam & ſalutem, ut quis infallibiliter credat, ſibi credenti abſolutè & abſq; ullâ conditione promiſſam eſſe juſtitiam & ſalutem. Quin imò hoc tuum commentum

Digitized by Google

tam malè materiatum penitiùs inſpectum ſe ipſum evertit. Nam inprimis, per te omnis verè credens firmiter perſuaſus eſt, ſibi per Fidem actualem remitti peccata. Nunquid ita eſt? Annuis? At hinc infero manifeſtè: Quandocunque propoſitio aliqua prærequirit rem exiſtentem ad ſui veritatem, actus intellectûs noſtri (cùm verus eſſe non poſſit, niſi exiſtat id, in quod fertur) non eſt ejus cauſa. Sed hic actus, quo intellectu affirmo [*Remittuntur mihi peccata*] fertur in ipſam remiſſionem. Ergò non eſt ejus cauſa, ſed poſterior; non enim intelligendo vel affirmando eam remiſſionem, poteſt eam efficere: Rurſus, Hæc tua ſpecialis fides, neque in ſe alicui particulari revelata eſt, (ut ſupponimus) nec poteſt evidenter proponi, ut contenta in aliquâ univerſali revelatâ, ut patet. Quia omnes illæ propoſitiones univerſales remiſſionem peccatorum ob Chriſti merita promittentes, ſunt conditionatæ, & reſpectu adultorum nunquam (citra ſpecialem revelationem) infallibiliter conſtat, eam conditionem eſſe impletam. Ea enim conditio poſita eſt in actibus internis conſcientiæ hominis, qui nec ſunt evidentes in ſe, nec per experientiam ſufficienter ipſi homini innoteſcunt. Nemo ſanè (citra ſpecialem revelationem) actum ſupernaturalem etiam quoad prædicatum ultimum differentiale infallibiliter cognoſcit. Ergò nemo etiam certitudine infallibili, ſed ſolùm morali cognoſcere (citra privilegiatam revelationem) poteſt, ſe credere prout oportet, ut juſtificationis gratiam conſequatur. Denique non vides, hanc tuam fidem ſpecialem evertere ſe ipſam? Si enim intellectus tuus, fide ſpeciali credit firmiſſimè & certiſſimè, ſibi propter Chriſtum remiſſa eſſe vel remitti peccata, quomodo poteſt eandem remiſſionem ſperare voluntas? Nónne objectum ſpei & fiduciæ in viatoribus tale eſt, ut ſecum patiatur formidinem de oppoſito? (quia nempè, licet ſpes ex parte DEI habeat firmitatem infallibilem, non minùs ac Fides: tamen quia juſtificatio & glorificatio adulti exigit cooperationem, fruſtrari poteſt materialiter) ſicut & timor relinquit ſaltem aliquam ſuſpicionem, quòd poſſit evitari, aut differri malum imminens. Et quomodo, quæſo, Chriſtus juberet nos timere gehennam, ſi ſpes cæli in quovis fideli haberet certitudinem infallibilem?

¶. LVTHERVS. Noli pæana canere ante victoriam, ô Ari! Parùm aut nihil curo ratiunculas illas tuas, cùm mihi verbum Dei toties inculcet illam certitudinem Iuſtificationis per fidem ſpecialem obtentæ. Nónne Rom. 8. v. 15. dicimur *accepiſſe ſpiritum adoptionis, qui teſtatur cum ſpiritu noſtro, quod ſumus filii Dei?* Nónne ibidem v. 36. dicit Apoſtolus, ita ut nos, credens, *ſe certum eſſe, nullam rem poſſe nos ſeparare à dilectione Dei in* IESV CHRISTO?

¶. ARIVS. Nihil proficis his & ſexcentis ejuſmodi S. Scripturæ teſtimoniis. Vbinam exprimitur, vel etiam ineluctabiliter inſinuatur, teſtimonium illud eſſe de ſingulis in individuo infallibile? Vniverſaliter de omnibus credentibus, ſperantibus, & diligentibus Deum ſicut oportet divinâ fide credimus, ex teſtimonio Spiritûs S. quòd ii ſint filii Dei adoptivi. At ubinam exprimitur, ſingulos ex ſua parte præſtare, quod oportet? Deinde, fac Apoſtolum habuiſſe de ſuâ juſtitiâ, & ſalute æternâ ſpecialem revelationem, & hinc certitudinem infallibilem de ſuâ perſeverantiâ; quomodo hinc infertur neceſſariò, te quoque & ſingulos alios de eâdem perſeverantiâ eſſe ſecuros infallibiliter? Nónne ſi-

Digitized by Google

ne fidei divinæ actus nunquam poteſt eſſe falſus ? Eſſet autem , juxta te , frequenter falſus, ſi quiſque teneretur credere fide divinâ & infallibiliter , ſe in fide perſeveraturum ; cùm ad oculum pateat, plurimos,qui à te tuiſque ſeducti ſunt ad tam ſuavem animarum carnificinam, à te ad Papiſtas. Calvinicos &c. diſcedere. Vides ergò,etiam pro fide illâ ſpeciali nihil ſolidi & firmi è S. Scripturâ adduci à te poſſe : recta autem per fidem ratio illam planè evertit, ut ineluctabiliter tibi demonſtravi. Nihilo validiùs firmatur SOLA illa , quam invexiſti, fides juſtificans. Vbinam hoc legitur in Apoſtolo, niſi per te falſificato?

¶. LVTHERVS. *Non falſificat interpres vel translator textum, ſi ſenſum fideliter reddit, etiamſi verbum addat, vel demat, quod in Originali textu habetur. Interpreti enim, cujus eſt, ſenſum genuinum, quoad fieri poteſt, ſignificanter exprimere, licitum eſt verſioni, ad verborum emphaſin exprimendam, particulam excluſivam inſerere.*

¶. ARIVS. Non evadis reatum falſificationis. Nam vel ea ſententia Apoſtoli, ſine illo aſſumento tuo, clara erat, ut qui eam legeret, nihil dubitaret, ſolâ nos fide, ſine ullis operibus juſtificari : vel antè obſcura & ambigua fuit, & certitudinem claritatémque non niſi ex tuo additamento mutuata eſt. Si prius dixeris; cur addidiſti ? cur actum egiſti ? cur ſoli faculam accendiſti ? ſi poſterius ; cur non reliquiſti obſcurum & ambiguum , uti Apoſtolus poſuit ? Non eſt fidelis translatoris , ſed fraudulenti impoſtoris , pro verbis obſcurum & ambiguum ſenſum continentibus , ponere verba clare determinantia ad id , quod proprio interpretis genio contra omnes omnino antiquiores arriſit. In cauſa , ob proprium commodum (ut nempe ſibi potiùs quàm adverſæ parti favere videantur) Inſtrumenta publica falſare ac violare, Falſi crimen eſt, improbum in rebus humanis, ſacrilegum verò in divinis.

¶. LVTHERVS. Criminaris me atrociter tanq. falſarium, ô Ari: vide, quàm iniquè! Nónne Gal. 2. v. 16. dicitur : *Non juſtificatur homo ex operibus legis , niſi per fidem* IESV CHRISTI. Rom. 4. Epheſ. 2. Tit. 3 Phil. 3. & alibi paſſim Scriptura docet, hominem *juſtificari ſine operibus , non ex lege factorum , non ex operibus , non ex lege , ſed ex fide.* Quid autem niſi verbis aut tantummodo phraſi differunt hæc ab illo, IVSTIFICAMVR SOLA FIDE?

¶. ARIVS. Vide , Luthere, quàm parum aut nihil tibi conſtes. In heſterno congreſſu omni vi contendiſti, illa verba [*Pater major me eſt*] debere admittere limitationem , nempe ſecundùm humanam naturam ; quod tu tamen ex nullo textu Scripturæ evincere potuiſti , cùm unitas illa, quam inter ſe & Patrem affirmat CHRISTVS , ejuſque dilectus Apoſtolus, è claris verbis alibi à CHRISTO prolatis reſtringatur ad affectum, non ad ſubſtantiam utriuſque. Hic verò , cùm vis juſtificandi ſeu diſponendi ad juſtificationem tot apertiſſimis locis SS. Scripturæ tribuatur etiam Timori, Spei, Dilectioni , Contritioni &c. ac ita omnes ſemper Chriſtiani ante te intellexerint; quâ fronte & conſcientiâ audes hîc id tribuere ſoli Fidei , cùm id competat

Digitized by Google

æquè actibus virtutum ex Fide prodeuntibus? Quo vel unico S. Scripturæ loco clarè oſtendis, juxta Apoſtolum, quoties opera excluduntur à Iuſtificatione, intelligenda eſſe omnia opera præter actum Fidei; & non tantùm opera legis, ex ſolis naturæ viribus elicita?

LVTHERVS. Cùm Apoſtolus ℣. 28. infert abſolutè, hominem *juſtificari Fide ſine operibus Legis*, id eſt, ſine ullis operibus in lege præceptis, non habitâ ratione, ſintne ex ſolis viribus liberi arbitrii, an ex Fide facta, conſequenter hæc etiam, quæ ex Fide, ad legis præſcriptum fiunt, ſunt & manent legis opera. Ergò quod hîc dicit, hominem non juſtificari ex operibus legis, id poſtea c. 4. dicit de quibusvis operibus. Quando autem indefinitè dicitur, hominem non juſtificari ex operibus, tum negativa hæc non poteſt alium, quàm hunc habere ſenſum: Eum non juſtificari ex ullis ſuis operibus.

¶. ARIVS. Si de juſtificatione primâ, quâ ex impio fit juſtus, ſermo ſit, libenter concedo, nullum eſſe meritum qualiscunque Iuſtitiæ in ullo opere ſive Fidei, ſive cujuſcunque alterius virtutis & præcepti; ſed illa omnia concurrunt tantùm ut diſpoſitiones præviæ. De incremento Iuſtitiæ autem negatur ſimpliciter, quod tu aſſeris, nec probas ullatenus. Nam etſi opera ſupernaturalia quævis poſſint generali aliquâ ratione dici *opera legis*: tamen Apoſtolus Fidem ab Operibus diſtinguens, intelligit tantùm opera legis naturalis & Moſaïcæ, ſolo naturæ dictamine, & viribus facta; ſub Fide verò Gratiam, Spem, Charitatem, cæteráſque virtutes, ut patet tum ex Rom. XII. v. 3. ubi gratias, dona, virtutes, quas DEVS variis variè diſtribuit, vocat *menſuram Fidei*, quam cuique DEVS divìdit: tum ex Iacob. 2. v. 21. *Abraham nonne ex operibus juſtificatus eſt? - - - Vides, quoniam Fides cooperabatur operibus ejus, & ex operibus fides conſummata eſt?*

¶. LVTHERVS. Hoc ipſum de Abrahamo exemplum Iuſtificationis facit pro me contra te. Etſi enim is jam ante fuerit renatus, & multa bona opera ex Fide profecta haberet; tamen Rom. 4. v. 3. dicitur *juſtificatus* non ex operibus, ſed quia credidit DEO.

¶. ARIVS. At per ly *credidit Deo*, ſine dubio non intelligitur Fides nuda, ſed ſperans, amans, obediens in re maximè arduâ. Poſſétne apertiùs hoc dici, quam ab Apoſtolo Iacobo verbis jam à me allegatis factum eſt?

¶. LVTHERVS. Quid tu mihi objectas S. Iacobi Epiſtolam? Hanc *nullius Apoſtoli ſcriptum cenſeo, quia directè contra S. Paulum, & omnem aliam Scripturam operibus Iuſtificationem tribuit; & planè omnis Evangelici ſpiritus eſt expers, adeoque reſpectu Evangelicorum librorum verè STRAMINEA Epiſtola eſt. Et quamvis Gloſſâ aliquâ remedium afferri illi Operum Iuſtificationi poſſet: in eo tamen defendi non poteſt, quòd dictum Moyſis Gen. 15. (de ſolâ Abrahami fide, non operibus, loquentis, juxta allegationem Pauli Rom. 4.) ad opera refert. Ex quo proinde vitio colligitur, eam nullius Apoſtoli eſſe.*

¶. ARI-

Digitized by Google

¶. ARIVS. Nimirum hoc unum reſtabat, ut poſt falſificationem Paulinæ ad Romanos, nunc quoque ſacrilegè Epiſtolam S. Iacobi, tuæ hæreſi è diametro adverſam, e cen'u S. Scripturæ expungeres! Quâ tu me conſcientiâ, quâ porrò fronte audes hæreſeos damnare? Tu, inquam, qui ſupra omnes, quos ut hæreticos abominaris, minùs habes fundamenti in ratione pariter & Scripturis. Has ad tuum guſtum verſas, torques, falſificas, quin & è Canone expungis. Audebiſne deinceps mihi meiſque anathema dicere?

¶. LVTHERVS. Quidnî auderem anathema tibi dicere, cùm idem tu mihi? Abi nunc ſceleſte, effunde impia viſcera tua, & ad Orcum, nunquam indè rediturus propera?

¶. ARIVS. I præ, Martine, ſequar.

Porrò ad iſtam tam juſtam & ſeriam provocationem & hos Dialogos tam liquidæ veritatis indices cùm Muſæus nec verbum à decennio oppoſuerit, coram toto orbe literato hoc ſuo ſilentio manifeſtum fecit, præter immanem contumeliarum degrandinationem non ſuppetere ſibi, quod reſpondeat, adeóque abunde à me monſtratum eſſe, legem interpretandi verbi divini Lutherum noluiſſe pati, ideóque omnibus hæreſiarchis apertiſſimâ profeſſione contumaciæ ſuperbiſſimæ palmam præripuiſſe. Dixit is quidem nuper in parte ſecundâ diſp. IV. num 95 *ſequemur verba ad tuum ſequens caput, & ibi videamus, quid tanto dignum ferat hic promiſſor hiatu.* Sed quomodò me inſecutus eſt? Mox in ſequenti periodo pœnitens factæ pollicitationis dixit, *me ſucceſſu nullo Luthero affingere ſpiritum privatum tentâſſe, VT SI HVIVS, LOCI ESSET, AD OCVLVM OSTENDI POSSET.* Nimirum hoc eſt dare verba!

CAPUT TERTIUM.

Lutherum ſolo vindictæ œſtro percitum è SS. Literis fabricâſſe Antichriſtum demonſtratur.

Fiet hoc apertiſſimè, ubi quæ Muſæum inter & me in ſecundâ & tertiâ parte acta ſunt exponentur. Produxeram ego pag. 13. e Bellarm. vind. Tom. I. Lib. III. Cap. IV. §. 3. hoc argumentum. Sicut Iudæi CHRISTVM non rejeciſſent, niſi hic eorum ſcelera carpſiſſet; ita Martinus Lutherus ſe à Pontifice Romano non ſeparâſſet, niſi hic connivere noluiſſet Luthero in erroribus contumaciſſimè defenſandis. Dicant nobis Muſæus & cæteri Ienenſes, cùm Lutherus ſub ipſum tempus, quo juſtiſſima excommunicationis Bulla Romæ jam expedita erat, (Nota benè : Bulla data erat Romæ anno 1520. 17. die Iulii ; Epiſtola verò Lutheri ad Leonem X. data eſt Wittebergæ 6, Septembr. 1520. ut habet prima, genuina, & ſolitaria editio ; non verò 6. April. ut mentitur Tomus II. operum Lutheri Latinus editionis Wittebergenſis anno 1562.) ſcripſit Leoni verbis blandiſſimis : *Eum Danielem in Babylone, Ezechielem inter*

ſcor-

ſcorpiones Agnum in medio luporum, cujus innocentiam ipſe tutatus ſit, cujus celebratior & auguſtior ſit in omni terrarum orbe tot tantorum virorum literis cantata opinio, & vita inculpata fama, quàm ut à quovis vel maximi momenti poſſit quâvis arte impeti, &c. Cùm, inquam, ſic de Romano Pontifice ſenſit & ſcripſit Lutherus, nunquid contra mentem & rei veritatem non locutus eſt? Si annuitis; fateri cogemini, Leonem X. hominem innocentem & ſanctum non niſi impiè & blaſphemè à Luthero, furiarum ſtimulis poſtea agitato, probroſum Antichriſti nomen accepiſſe. Si renuitis; Patriarcham veſtrum Lutherum arguitis flagitii intolerabilis, adulationis ſcilicet impiæ, ſacrilegæ, mendaciſſimæ. Vel enim agnovit tunc, cùm iſta ſcriberet, Leonem X. eſſe Antichriſtum, vel non? ſi ita; impiè blanditus eſt Antichriſto, in ejuſque obſequio ſe fore ſpopondit, dummodo non adigeretur ad palinodiam. Si non; Ergò non Daniel, non Paulus, non Ioannes Apoſtolus, ſed fulmen illud Vaticanum, ſeu potiùs ira furórque Lutheri revelavit hunc Antichriſtum, adeóque ſicut Chriſtus veritatem Phariſæis dicens factus eſt *Samaritanus & Dæmonium habens*: ita & ejus vicarius Lutherum ejuſque ſequaces in viam reducere volens, inimicus iis eſt factus, & ex Agno DEI lupus infernalis, ex Daniele Nemrothus, ex Ezechiele Tyrannus & Antichriſtus. Ad hoc argumentum ſcripſeram me expectare reſponſionem, quâ vel apparenter homini nullâ paſſione excœcato ſatisfiat: mihi quidem vel hoc unicum convincere videri, ita ut excogitare non poſſim, quid (ſaltem exercitii gratiâ conſequenter in hâc Lutheranâ causâ mentiendo) vel ad ſpeciem tolerabile dici queat.

Videamus ergò, quid Muſæus in IV. ſuâ diſſertatione, & quàm *verè, ſolidè, abunde* huic meo Ceraſtino ſatisfecerit. Omitto ejus præludia, quæ præter inanem verboſitatem nihil continent, ut à me oſtenſum eſt pag. 232. Tandem igitur ſic reſpondet: *Syllogiſmus, ut patet, cornutus eſt, ſed cujus ita obtuſa ſunt cornua, ut nec feriant nec lædant. Reſpondemus ergò breviter. Lutherum verbis citatis non quidem contra mentem, tamen contra veritatem locutum eſſe, (quæ duo multùm differre noſſe Erbermannus debebat.) Lutherus ergò, dum prædicta encomia Leoni X. adſcripſit, non locutus eſt contra mentem, quia ex famâ publicâ de ejus innocentiâ & ſanctitate ſibi perſuaſum habebat, Eum eſſe talem, qualem in Epiſtolâ pinxerat, atque ſic illud quod in Epiſtolâ loquebatur, etiam mente ſentiebat. Contra veritatem autem locutus eſt, quia intus & in animo Leo Papa talis non erat, qualem fama publica prædicabat. Et docuit poſtea eventus, Eum comprobare omnia, quæ Curia Romana hactenus ad opprimendam veritatem molita fuerat, contrà quàm Lutherus crediderat.* Et infrà num. 21. ait, *Lutherum, cùm Epiſtolam ad Leonem X. ſcriberet, nondum pro certo habuiſſe, Eum eſſe Antichriſtum.* Ita Muſæus; ſed nihil proficit. Conſtabit enim ineluctabile robur propoſiti à dilemmatis, ubi demonſtratum fuerit, Lutherum vel contra conſcientiam illa Leoni X. panxiſſe elogia, vel certè Eum nullâ verâ ratione, ſed ſolâ hæreticali contumaciâ, indéque enato ulciſcendi deſiderio cognitâ excommunicationis Bullâ fuiſſe incitatum, ut ſummas laudes in atrociſſimas commutaret contumelias. Prior pars

Probatur I. Quia ipſe ſtylus & loquendi modus ſpirat mendaciſſimam adulationem. Quis enim fuit hactenus tam innocens & ſanctus, *quem nullus non laudârit*? quis unquam Momo caruit? Nec DEVM laudant omnes; nec Iupiter omnibus placet. Quid Curia Romana, hoc eſt, (phraſi Lutherica) leones, ſcorpiones, lupi? an & hi laudârunt, ſuiſque

ſuiſque adulationibus Papæ animum occupârunt? At ejuſmodi ſceleſtiſſimorum adulationibus qui capitur, nec Daniel, nec Ezechiel, nec Agnus eſſe convincitur. Quomodo ergò hiſce tam magnificis præconiis ſine fœdâ adulatione Leo X. à Luthero mactari potuit?

II. Leo X. cùm illam epiſtolam Lutherus ſcripſit, jam ultra ſeptennium præerat Eccleſiæ & Curiæ Romanæ, quæ juxta Lutherum in eâdem epiſtolâ *erat ſedes peſtilentia, ſpelunca latronum, lupanar impudentiſſimum, patens quoddam os inferni & tale os, quod urgente DEI irâ obſtrui non poteſt: quâ nihil corruptius, peſtilentius, odioſius: incomparabiliter etiam Turcarum vincens impietatem*, &c. Quomodo autem niſi vel ironicè, vel paraſiticè, dici poteſt *innocens* ille Princeps, quin & Ezechieli Danielique ſuppar, qui ſcorpiones venena diffundere, lupos perdere hominum pecunias & animas permittit, cùm tam immanem Tyrannidē etiam cum ſui profuſione cruoris ſub reatu æterni ſupplicii impedire teneatur?

III. Omnia illa encomia Leoni X. fuiſſe à Luthero non niſi irronicè aut adulatoriè decantata, evincitur etiam ex ejuſdem Lutheri appellatione, quam ſolenniter coram Notario & teſtibus inſtituit à Leone X. (*tanquam à temerario & iniquo judice, in S. Scripturâ damnato hæretico & hoſte totius S. Scripturæ*) ad Concilium futurum. Hæc appellatio Leoni X. ſine dubio probroſiſſima & iterata in menſe Iulio anni 1520 ſi Tomo I. Ienenſi Germanico fol. 231 fides habenda eſt, ubi ea ponitur poſt 8 ante 9 Iulii; epiſtola verò illa Lutheri ad Leonem X, non niſi 6 Septembris eodem anno data eſt. Pollicentur autem Ienenſes in præfatione ejus I Tomi, in hoc *recenſeri omnia ſecundum ordinem annorum, invariatè omnino, uti pretioſus DEI vir ipſe conſcripſit.* Anne hic largietur Muſæus, etiam ſuos Ienenſes mentiri vel fallere in hoc, uti de epiſtolâ Lutheri ad Leonem X 10 Aprilis mentitos eſſe Wittebergenſes in Tomo II latino tacitè agnoſcit?

IV. Tota illa epiſtola ſcatet tum immaniſſimorum convitiorum in adverſarios degrandinatione hyperbolicâ, tum apertis & ſeipſa evertentibus mendaciis; quidni ergò habeatur ſui ſimilis, dum fucatis laudibus conciliare ſibi Leonis Papæ animum laboravit? Primum ſatis patet, vel ex paulò antè recitatâ Curiæ Romanæ denigratione. Secundum conſtat plurimis manifeſtiſque exemplis, ut 1. cùm in principio epiſtolæ ait, *ſe totis viribus optima quæque Sedi Romanæ optâſſe*, quam infrà *ſedem peſtilentiæ, deſperatæ & conclamatæ impietatis* appellat, quam *qui omnibus modis execrantur* CHRISTVM *glorificent.* 2. ait: *Mei ſtudii fuit eritque ſemper, nec eos inceſſere, quos publica fama fœdat*; & tamen maximam partem epiſtolæ conſumit exagitandis moribus Cajetani, Eckii, & aliorum de Curiâ Romanâ, *ad quorum*, inquit, *malitiam, quod accedat, jam cogitari non poſſit, ne Antichriſtus quidem ſi venerit; cùm aliud è Roma in Orbem non inundet, quàm vaſtitas rerum, corporum, animarum & omnium rerum peſſimarum exempla.* 3. ait: *Mihi ipſi ſatis conſcius ſum magnæ trabis in oculo meo, nec primus eſſe poſſum, qui in adulteram lapidem mittam.* Et tamen hoc unum deinceps ſatagit, ut ipſe unus, tanquam novus de cœlo lapſus Prophetes aut Evangeliſta, *adverſarios non ob malos mores, ſed impias doctrinas non ſegniter mordeat.* 4. iteratò aſſeverat, ſe pacem adverſariis obtuliſſe & optâſſe: ſemper deſideraſſe audire, ut Leo X contentionibus iſtis ad ſe vocatis & extinctis, ſilentium & pacem utrinque mandet; & tamen ſuprà §. *communiter* ait: *Ideo non pœnitet me, quòd adverſarios non ſegniter momorderim & animum induxerim, in eâ Zeli vehementiâ perſeverare, CHRISTI, Apoſtolorum & Prophetarum exemplo*, &c. In §.

VERBVM CARO FACTVM EST. Hoc tu ſi de Dei Filio interpretaris, plùs tibi probabo, quàm velis. Si enim Dei Filius verè & propriè homo dicendus eſt, quia dicitur VERBVM CARO FACTVM, tùm etiam idem Dei Filius ſecundum te, eſt verè & propriè *peccatum* dicendus; quia apud Apoſtolum 2. Corinth. 5. verſ. ult. dicitur etiam factus *peccatum*. Audi Apoſtolum, *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Quid dicis ad hæc Luthere? Eſtne Chriſtus verè & propriè factus *peccatum*, ſive *peccator*, an tantùm apparenter? ſi prius affirmes, quid magis impium & blaſphemum? Omne id, quod eſt verè & propriè *peccatum* ſive *peccator*, abominabile eſt coram Deo. Si ergo Dei Filius fuit verè & propriè peccator, adeóque abominabilis in oculis Dei, quomodo pro nobis ſatisfacere & nos in gratiam reſtituere potuit? ſi autem tantùm *apparenter* factus eſt *peccatum*, an non tibi quis pariter inferet; Ergo etiam tantùm *apparenter* VERBVM *factum eſt* CARO? Et ſic tandem non niſi apparentem & phantaſticum Chriſtum habebis, Luthere. Denique & iſtud addo, An non Chriſtus Ioan. 17. v. 3. ait, *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant Te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Audiſtine Luthere? Chriſtus ipſe fatetur diſertiſſimè, *Patrem ſolum eſſe verum Deum.* Ergò Filius non eſt verus Deus. Quamcunque Gloſſam hîc mihi objicias, illa non eſt ſcriptura, ſed figmentum ex muco cerebri tui expreſſum. Certè ſi quis diceret, Lutherus SOLVS fuit Reformator Germaniæ, ut tu dixiſti, quando dixiſti, *Primò* SOLVS *eram.* Ergò Carolſtadius & Zwinglius non fuerunt Reformatores: Annon tu ſtatim proniſſimo annutu id verum eſſe magnis vociferationibus clamitares? Cur ergò etiam non hîc valeat de Chriſto ratiocinatio? Vides, quò te tua Scripturarum cum Scripturis inſtituta comparatio perducat.

LVTHERVS. Sophiſtam agis ô ARI, & tot allegatis Scripturis nil proficis, quia à vero intellectu Scripturæ recedis.

ARIVS. Ego Sophiſtam agam? oſtende mihi hoc expreſſe in Scriptura, & totidem verbis: Nempè Arius Scripturas non in vero ſenſu interpretatur, & errat; Hoc ni facis, in aëre piſcaris & promiſſo tuo, quod initiò feciſti, neutiquam ſtas.

LVTHERVS. Equidem video te, Ari, mirabiliter Scripturas explicare, & valdè obſtinatum eſſe; ſed quod tu contendis, nondum video. Nam Scripturas non in eo ſenſu accipis, quo ſunt à Deo nobis datæ: Longè aliter Ioannem interpretati ſunt Athanaſius, Cyrillus, & Hilarius, quàm tu: quos ſi audires, aliter quoque ſentires.

ARIVS. Riſum mihi moves Luthere, putabam te ex Scriptura ſolâ mihi meum errorem (ut tu loqueris) demonſtraturum, & nunc tui immemor, Patrum interpretationem mihi opponis. Nihil agis, aut Scripturam profer, aut victum te fatere. Atque ita concludo.

LVTHERVS. Vt animadverto, ex diſputatore irriſor factus es: concludam igitur, cùm tecum nihil proficiam. Tu Scripturam attuliſti: Et ego Scripturam reddidi: Vterque Scripturam per Scripturam explicavimus, hoc ſolo diſcrimine, quod ego benè, tu malè!

Non contradico, inquit ARIVS, imò prorsùs iiſdem verbis idem dico: uterque Scripturam per Scripturam explicavimus, hoc ſolo diſcrimine, quod ego benè, tu malè. Neque hoc aliter, quàm tu probâſti, probo; authoritate videlicet *meâ*, ſicut & tu *tuâ*: meſequuntur

Digitized by Google

quuntur Ariani: te ſequantur, quicunque volent. Quòd verò me irriſorem appellas, tuo nomine me appellâſti. Nam ſcripta tua mihi teſtimonium perhibent, te non ſolùm irriſorem, ſed etiam (ut non plus dicam) inſignem conviciatorem & ſcurram fuiſſe. Tui ſermones ſympoſiaci loquantur, ut de aliis fœdiſſimis ſcriptis tuis nihil dicam. Hæc ARIVS. Et ſic finitum eſt colloquium.

DIALOGUS SECUNDUS Arium inter & Lutherum.

ARIVS. Vocâſti me heri ad pugnam, & ad examen Scripturarum meam de Homouſio doctrinam. Nunc viciſſim ego te, MARTINE in arenam revoco, ac rationem exigo recentis tui dogmatis de gratuitâ per SOLAM FIDEM ſpecialem Iuſtificatione. Id novum eſſe haud negaveris: ſed hoc jam non agam. Satisfacies mihi, ſi ex claris Scripturæ verbis illam mihi demonſtraveris.

¶. LUTHERUS. Non nego, *doctrinam de Fide, quam eſſe oportet in Eccleſiâ præcipuam, jam diu jacuiſſe ignotam, quemadmodum fateri omnes neceſſe eſt, de Iuſtitia Fidei altiſſimum fuiſſe ſilentium; ita ut neminem ſciam, qui de Fide & Operibus rectè judicare potuerit, exceptis Apoſtolis. In cæteris libris id nequaquam invenitur, ita ut mirum non ſit, eam doctrinam noſtris temporibus ita periiſſe & extinctam fuiſſe.*

¶. ARIVS. Mirum eſt, quòd, cùm heri auſus ſis expoſitioni Scripturarum à me prolatæ opponere Athanaſium, Cyrillum, & Hilarium, hodie non pudeat te tam diſertè fateri, dogma illud tuum noviſſimum de Iuſtificatione omnibus retrò Doctoribus uſque ad Apoſtolos fuiſſe ignotum. Ego ſanè hoc nunquam de Filio Dei ὁμοουσίῳ fatebor, cùm qui ante me in Eccleſii docuerunt, ſi non apertè in meas partes conceſſerunt, ſaltem mihi non poſitivè contradicunt, ut patet ex Ignatio, Iuſtino, Irenæo, Tertulliano, Cypriano, quos Tu cum reliquis poſteriorum ſæculorum Doctoribus manifeſtè habes tibi contradicentes.

¶. LVTHERVS. Noli mirari me, ARI, quod verbum Dei præferam omnium hominum ſcriptis. Dudum dixi, (nec me pœnitet dixiſſe.) *inſanis ſophiſtis, indoctis Pontificibus, impiis ſacerdotibus, ſacrilegis monachis, & toti Papæ cum ſuis ſquamis, lupanaribus, lucis, excluſis univerſis, nos non eſſe baptizatos, neque credentes in nomine Auguſtini, Bernardi, Gregorii, nec in nomine Petri, nec Pauli, nec in nomine almæ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Sodomæ, aut Lovanienſis Gomorrhæ cum ſuis ſorbis, ſed in nomine ſolius* Ieſu Chriſti, *quem ſolum confitemur ut Magiſtrum noſtrum. -- Scio quid Patres, quid decreta, quid uſus, quid vulgi opinio habeant. Non audimus, Bernardus ſic vixit & ſcripſit; ſed, Bernardus ſic vivere & ſcribere debuit jux-*

ut juxta Scripturas. Sancti errare potuerunt docendo,& peccare vivendo. Sanctos accepto,ſed quorum gloria non ex hominibus,imò ex DEO eſt , quos non Papa canonizat & probat ,ſed quos Deus commendat. Ipſius enim tauri & altilia occiſa , parata ad nuptias CHRISTI *filii ſui,hoc eſt,quorum dicta & facta, & quatenus nobis Divina Scriptura commendat,ut ſunt Patriarchæ,Prophetæ & Apoſtoli , quibus ſolis fideliter & nitimur & ſervamur.*

ARIUS. Nimis clarè loqueris,MARTINE ! Ergone *tu ſolus ſapis? tótne errant univerſi ? tanta ſæcula ignoraverunt ? Quid ſi tu erres,& tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter ?* Ego ſanè non omnibus ita me oppoſui : nullos ante me legi vel audivi Homiouſion tradentes. Si mihi conſtitiſſet , omnes priorum trium ſæculorum Doctores oppoſitum ſenſiſſe , nunquam auſus fuiſſem omnibus illis contradicere. Vide,quid agas LVTHERE!

¶. LVTHERUS. Non inficior, *ſæpè mihi* antehac *trepidavit tremulum cor,& objecit* illa ipſa, quæ tu jam mihi. *Sentiebam* (præſertim circa annum 1519. cùm mihi continui eſſent conflictus cum Papiſtis) *me coram DEO eſſe peccatorem inquietiſſimæ conſcientiæ , nec meâ ſatisfactione placatum confidere poſſe.* NON *amabam,imo* ODIEBAM *juſtum & punientem peccatores DEVM , tacitaq; ſi non blaſphemiâ , certè ingenti murmuratione indignabar DEO,dicens ? quaſi verò non ſatis ſit,miſeros peccatores & æternaliter perditos peccato originali,omni genere calamitatis oppreſſos eſſe per legem Decalogi,niſi DEVS per Evangelium dolorem dolori adderet , & etiam per Evangelium juſtitiam & iram ſuam intentaret ! Furebam ita ſæva & perturbata conſcientia,pulſabam tamen importunus Paulum , ardentiſſimè ſitiens ſcire , quid S. Paulus Rom.1. illis verbis :* [Juſtitia DEI revelatur in Evangelio] *vellet ; donec miſerante DEO meditabundus dies ac noctes connexionem verborum attenderem,nempè* juſtitia DEI revelatur in illo,ſicut ſcriptum eſt : juſtus ex fide vivit. *Ibi juſtitiam DEI cæpi intelligere eam , qua juſtus dono DEI vivit, nempè ex Fide; Et eſſe hanc ſententiam : Revelari per Evangelium juſtitiam DEI,ſcilicet paſſivam,qua nos DEVS miſericors juſtificat per Fidem. Hic me prorſus renatum eſſe ſenſi , & apertis portis in ipſum Paradiſum intraſſe. Ibi continuo alia mihi facies totius Scripturæ apparuit. Poſtea legebam Auguſtinum de ſpiritu & literâ ; ubi præter ſpem offendi,quod & ipſe juſtitiam DEI ſimiliter interpretetur,quâ nos DEVS induit, dum nos juſtificat. Et quanquam hoc imperfectè adhuc ſit dictum,ac de* IMPUTATIONE *non clarè omnia explicet , placuit tamen Iuſtitiam DEI doceri, quâ nos juſtificemur.*

¶. ARIVS. At conſidera,quæſo,quid ſi non *in Paradiſum* hâc tuâ perſuaſione , ſed ad Orci limina admiſſus ſis ? Vnde tibi tanta certitudo , Te *unum , ſolum ,primum* poſt Apoſtolos intellexiſſe veram de IVSTIFICATIONE doctrinam. Nónne ſuſpecta cuivis

prudenti

Digitized by Google

prudenti debet eſſe nova inventio univerſis Chriſtianorum Doctoribus inaudita & ignota? Quid ſi non à DEO, ſed à maligno Diabolo in hanc phantaſticam & pernicioſam conſolationem inductus ſis? An non hoc ipſum haud obſcurè colligitur ex illâ tuâ Diſputatione cum Dæmone, quam vidi Tomo VII. tuorum Operum latin. Wittebergæ impreſſo inſertam, cujus hic eſt titulus: *De privatâ Miſſâ & unctione Sacerdotum?* Nónne ibi fol. 228. refers hæc verba Diaboli: *Primùm noſti, nullam tunc* (cùm Miſſas celebrares) *habuiſti cognitionem* CHRISTI, *nec veram fidem. Fidem habuiſti, non aliam, quàm Turca & nos Spiritus rejecti qui non fidimus illius miſericordiâ, neque habemus eum pro Salvatore, ſed exhorreſcimus, ut ſævum judicem. Ejuſmodi fidem & non aliam tu habebas; ideo à CHRISTO tanquam à crudeli judice confugiebatis ad S. Mariam & Sanctos, illi erant Mediatores inter Vos & CHRISTVM.* Nónne hæc erant verba Diaboli tecum diſputantis, uti tu ipſe retuliſti? Huicne credas, contra omnium Chriſtianorum Doctorum retrò uſque ad Apoſtolos exploratiſſimam doctrinam? Id eſt, unde dogma tuum? nempe vel à nocturno tuo diſputatore, vel ex propriâ turbatæ imaginationis fallaciâ, vel ab utroque ſimul.

§. LVTHERVS. Bona verba, quæſo Ari! non diſputator nocturnus me docuit, ſed hoc, quod jam DEVS per verbum ſuum clariſſimum me docuerat, aſſumpſit, ut me in deſperationem adduceret. Verum quidem eſt, quòd *mendax ſit Satan, ſed ejus mendacia non ſunt ſimplicis artificis, ſed longè callidiora & inſtructiora ad fallendum, quàm humanus captus aſſequi poſſit. Ipſe ſic adoritur, ut apprehendat aliquam & ſolidam veritatem, quæ negari non poteſt. atque eam adeò callidè & verſutè urget & acuit, & adeò ſpecioſè fucat ſuum mendacium, ut fallat vel cautiſſimos.* Nemo niſi DEVS ita potens eſt, ut perturbatam & *ejus juſtitiam odio* proſequentem animam ſubitò poſſit conſolari, eique lumen infundere, quo *alia facies Scripturæ totius appareat.* CHRISTVS ergò ſolus eſt, qui *confirmavit me verbis ſuis veris & fidelibus: Eâ certitudine, & fiduciâ roboratus, non modò totius mundi judicia pro levibus foliis & ſummis ariſtis habeo, ſed & armatus ſum in morte adverſùs portas inferi, quin etiam adverſùs judicium tentantis DEI pugnare, cum Iacob contra DEVM pravalere. Hæc eſt illa certitudo infallibilis, quam quæſivi*, quam nunc & teneo & tenebo.

ARIVS. Parcat tibi DEVS, Luthere! Nequaquam ego talia jactare auſus eſſem adversùs antiquiores Doctores. Ego trium ſæculorum Patres pro me potiùs, quàm contra me habeo. Tu XV ſæculorum Doctores & Paſtores omnes ad unum contra te. Et tamen quia unius Conventiculi Nicæni Epiſcopos cum Papa Sylveſtro reſpuens Homouſii novitatem nolui profiteri; quantumcumque ratio clara & Verbum DEI ſcriptum pro me ſtet expreſsè; anathema mihi dictum eſt. Ego ſanè nihil horum video pro te ſtare; imò, ratio recta eſt tibi contraria, nec quidquam puto S. Scripturæ verba & ſenſum tibi patrocinari. Atque ut hinc ordiar, unde omne novum lumen te hauſiſſe gloriaris, illa verba Pauli [IVSTITIA DEI REVELATVR IN EVANGELIO EX FIDE IN FIDEM:] nihil te juvant, imò potiùs jugulant. Nam etſi Origenes, & fortè pauci alii, per *Iuſtitiam DEI* intellexerint, quâ ipſe DEVS Iuſtus reddidit unicuique

Digitized by Google

ſecundùm opera ſua, mala malis, bona bonis; tamen alii plerique cum Auguſtino juſtitiam DEI interpretantur donum DEI, quo juſti efficimur. Quid hîc non congruum verbis & ſcopo Apoſtoli? Tua verò multa interpretatio, quâ vis *imputari* nobis extrinſecè juſtitiam, quæ intrinſecè in DEO eſt, planè repugnat rectæ rationi, nec vel leve in Apoſtolo fundamentum habet.

¶. LVTHERVS. Quamvis in iis Apoſtoli verbis non habeatur clarè, Iuſtitiam DEI vel CHRISTI *imputari* nobis; ex aliis tamen pluribus ejuſdem dictis id ſatis indicatur. Nónne in ejuſdem Epiſtolæ cap. 4. ℣. 5. 6. 7. apertè dicitur: *Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundùm propoſitum gratia DEI, ſicut & David beatitudinem hominis, cui DEVS acceptam fert juſtitiam ſine Operibus: Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Quid clariùs? Nunquid hic habetur, nobis imputari fidem ad juſtitiam, hoc eſt, fidem, quæ apprehendit juſtitiam CHRISTI ut propriam, facere ut hæc fides imputetur ad juſtitiam, ſeu, coram DEO facit peccatorem tam gratum ac ſi ipſe haberet intrinſecè ſibi inhærentem CHRISTI juſtitiam. *Extra Chriſtum eſſem quidem reus mortis æternæ; ſed quia ſum in Chriſto, & in ipſo credo ipſum invoco, tum jam mea damnatio eſt damnata, meus reatus jam ipſe reus, atque ibi conſtanter poſſum dicere: Etiamſi ſim peccator, tamen ſanctus & innocens in Chriſto. Peccator quidem ſum in me ipſo extra* CHRISTVM, *ſed ſanctus, purus, mundus ſum extra me in Chriſto, quia ipſe peccatum meum delevit per ſanguinem ſuum.*

¶. ARIVS. Audio ego quidem hanc tuam interpretationem, ſed non video, qui conformis ſit verbis Apoſtoli. Hic enim eo loco non agit de Iuſtitia Chriſti, ſed apertè ait, *Abrahæ fidem* (non nudam, ſed ſpe, charitate, obedientiâ heroicâ veſtitam) *fuiſſe reputatam ad juſtitiam.* Nulla certè hic mentio juſtitiæ extrinſecæ; Abraham enim verè intrinſecè fuit juſtus, mundus à peccatis, per gratiæ divinæ donum inhærens, non vero extrinſecâ imputatione falsò habitus juſtus, ac reipsâ ſordidus.

LVTHERVS. Cùm Apoſtolus ait, *fidem Abrahæ reputatam eſſe ad juſtitiam*, non poteſt intelligi, ipſam fidem eſſe ipſam formam juſtificantem, ſed eſſe id ſolùm, quo apprehenditur ipſa perfecta juſtitia CHRISTI. Ergò hoc ipſo, quòd dicitur fides imputari, non poteſt aliud intelligi, quàm ipſa CHRISTI perfecta juſtitia per fidem ſpecialem apprehenſa.

¶. ARIVS. Iterum audio verba, ſed tua, non Apoſtoli. Hujus enim illa verba optimè ſalvantur in ſententia communi Chriſtianorum omnium, qui te præceſſerunt, nempe fidem illam quâ credidit Abraham DEO, eique ex charitate in rebus difficillimis obedivit, reputatam ei fuiſſe ad juſtitiam, *ſecundùm propoſitum gratiæ DEI*, (uti mox ſubjungitur) quia nempe etſi fides, & omnia bona opera ex eâ emanantia, quatenus actus hominis ſunt, non poſſint parere juſtitiam, quæ coram DEO juſtum faciat; acceptantur tamen à DEO gratiosè, tanq. congruæ diſpoſitiones ad donum illud pretioſum, quo divinæ conſortes fiamus naturæ, infundendum. Et hoc primò contigit Abrahamo, cùm DEO, evocanti ex Vr Chaldæorum, promptè credidit, & ſecutus eſt in terram promiſſionis, & ſic ex impio juſtus eſt factus, gratioſum DEI donum juſtificans in ſe primò recipiens: deinceps verò iterum DEO alia promittenti & jubenti

jubenti obediens , factus eſt è juſto juſtior. Quid hic non congruum & Apoſtolo & rationi?

¶. LVTHERVS. Habent hæc apparentiam, non inficior: repugnant tamen Apoſtolo diſertè pronuncianti c. 3. & 4. &, Galat. 2. 16. nos ſolâ fide, non ex operibus ullis juſtificari. Sola ergò fides, quatenus apprehendit Iuſtitiam Chriſti, nos juſtificat. Cur enim aliàs ſola fides diceretur parere Iuſtitiam, ſi non illa apprehenderet Iuſtitiam Chriſti eámq; ſibi tanquam propriam applicaret? Noſtra certè opera omnia non ſufficiunt ad juſtitiam coram DEO.

¶. ARIVS. Agnoſcis ergò, Luthere, Iuſtitiam illam formalem extrinſecè imputatam non habere expreſſum clarum Apoſtoli dictum pro ſe, ſed tantùm ex alio principio illam infers, ſed argutatione nimis infirmâ. Quomodo enim ex eo, quòd Fides apprehendit merita Chriſti, ac per ſpem & contritionem diſponit ad Iuſtitiam à DEO gratis infundendam, neceſſariò infertur, hoc ipſum eſſe aliquid extrinſecum nobis imputatum? Oppoſitum certè potiùs ſequitur. Nam eſſe gratum DEO, juſtum, ſanctum, beatum, ſonant vel maximè aliquam perfectionem eximiam. Atqui omnis perfectio eſt denominatio intrinſeca. Quàm parùm ergò ſtultus poteſt eſſe ſapiens per ſapientiam Salomonis illi imputatam; tam parùm etiam poſſumus verè coram DEO eſſe juſti formaliter per Iuſtitiam Chriſto inhærentem, nobis extrinſecè imputatam.

¶. LVHERVS. Tamen juxta eundem Apoſtolum 1. Cor. 1. 3. *Chriſtus factus eſt nobis juſtitia.* Ergò ejus juſtitia illam apprehendentibus imputatur.

¶. ARIVS. Non vides, Luthere, ſplendidum eſſe delirium, ſi de formali juſtitia accipiatur, ſicut nec de formali redemptione, ſapientiâ, & ſanctificatione accipi poteſt, ſed ſolùm de cauſali? Chriſtus enim meritoriè nobis & redemptionem, & juſtitiam, & ſapientiam contulit. Mero igitur eóque vaniſſimo ſophiſmate ludis aut luderis, neglectâ diſtinctione inter juſtitiam formalem, (de quâ ſola hic quæſtio eſt, & quam nullo Scripturæ dicto firmare potes; multóque minùs ratione) & eam quæ cauſaliter juſtifica & ſanctum efficit. Hoc ergò fundamento tuo phantaſtico planè ſubverſo (unde & *regeneratio* illa, & *conſolatio* illa, & *facies illa nova Scriptura* à te tam confidenter jactata, meræ imaginationes nullâ veritate ſubnixæ deprehenduntur) omnis illa tua ſpecialis & ſola fides, Chriſti juſtitiam apprehendens, pariter ut phantaſticâ evaneſcit.

¶. LVTHERVS. Nequaquam, Ari! Fides, quæ juſtificat, non debet eſſe nudus aſſenſus intellectûs, ſed juncta cum fiduciâ ſpecialis miſericordiæ, quâ certi reddantur ex promiſſione DEI unumquemque credentem & fiduciam ſuam in meritis Salvatoris unicè collocantem, hoc ipſo infallibiliter Iuſtum eſſe, per ipſam CHRISTI juſtitiam credenti ita imputatam. Nónne hoc Ioan. 3. apertè à CHRISTO promittitur? ut *omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Act. 13. *In hoc omnis qui credit juſtificatur*; & alibi paſſim.

¶. ARIVS. Hæc & ſimilia dicta etiam ſexcenta ſi produxeris, nunquam inde extundes, requiri aut conducere ad juſtitiam & ſalutem, ut quis infallibiliter credat, ſibi credenti abſolutè & abſq; ullâ conditione promiſſam eſſe juſtitiam & ſalutem. Quin imò hoc tuum commentum

Digitized by Google

tam malè materiatum penitiùs inſpectum ſe ipſum evertit. Nam inprimis, per te omnis verè credens firmiter perſuaſus eſt, ſibi per Fidem actualem remitti peccata. Nunquid ita eſt? Annuis? At hinc infero manifeſtè: Quandocunque propoſitio aliqua præ-requirit rem exiſtentem ad ſui veritatem, actus intellectûs noſtri (cùm verus eſſe non poſſit, niſi exiſtat id, in quod fertur) non eſt ejus cauſa. Sed hic actus, quo intellectu affirmo [*Remittuntur mihi peccata*] fertur in ipſam remiſſionem. Ergò non eſt ejus cauſa, ſed poſterior; non enim intelligendo vel affirmando eam remiſſionem, poteſt eam efficere: Rurſus, Hæc tua ſpecialis fides, neque in ſe alicui particulari revelata eſt, (ut ſupponimus) nec poteſt evidenter proponi, ut contenta in aliquâ univerſali revelatâ, ut patet. Quia omnes illæ propoſitiones univerſales remiſſionem peccatorum ob Chriſti merita promittentes, ſunt conditionatæ, & reſpectu adultorum nunquam (citra ſpecialem revelationem) infallibiliter conſtat, eam conditionem eſſe impletam. Ea enim conditio poſita eſt in actibus internis conſcientiæ hominis, qui nec ſunt evidentes in ſe, nec per experientiam ſufficienter ipſi homini innoteſcunt. Nemo ſanè (citra ſpecialem revelationem) actum ſupernaturalem etiam quoad prædicatum ultimum differentiale infallibiliter cognoſcit. Ergò nemo etiam certitudine infallibili, ſed ſolùm morali cognoſcere (citra privilegiatam revelationem) poteſt, ſe credere prout oportet, ut juſtificationis gratiam conſequatur. Denique non vides, hanc tuam fidem ſpecialem evertere ſe ipſam? Si enim intellectus tuus, fide ſpeciali credit firmiſſimè & certiſſimè, ſibi propter Chriſtum remiſſa eſſe vel remitti peccata, quomodo poteſt eandem remiſſionem ſperare voluntas? Nónne objectum ſpei & fiduciæ in viatoribus tale eſt, ut ſecum patiatur formidinem de oppoſito? (quia nempè, licet ſpes ex parte DEI habeat firmitatem infallibilem, non minùs ac Fides: tamen quia juſtificatio & glorificatio adulti exigit cooperationem, fruſtrari poteſt materialiter) ſicut & timor relinquit ſaltem aliquam ſuſpicionem, quòd poſſit evitari, aut differri malum imminens. Et quomodo, quæſo, Chriſtus juberet nos timere gehennam, ſi ſpes cæli in quovis fideli haberet certitudinem infallibilem?

¶. LVTHERVS. Noli pæana canere ante victoriam, ô Ari! Parùm aut nihil curo ratiunculas illas tuas, cùm mihi verbum Dei toties inculcet illam certitudinem Iuſtificationis per fidem ſpecialem obtentæ. Nónne Rom. 8. v. 15. dicimur *accepiſſe ſpiritum adoptionis, qui teſtatur cum ſpiritu noſtro, quod ſumus filii Dei?* Nónne ibidem v. 36. dicit Apoſtolus, ita ut nos, credens, *ſe certum eſſe, nullam rem poſſe nos ſeparare à dilectione Dei in* IESV CHRISTO?

¶. ARIVS. Nihil proficis his & ſexcentis ejuſmodi S. Scripturæ teſtimoniis. Vbinam exprimitur, vel etiam ineluctabiliter inſinuatur, teſtimonium illud eſſe de ſingulis in individuo infallibile? Vniverſaliter de omnibus credentibus, ſperantibus, & diligentibus Deum ſicut oportet divinâ fide credimus, ex teſtimonio Spiritûs S. quòd ii ſint filii Dei adoptivi. At ubinam exprimitur, ſingulos ex ſua parte præſtare, quod oportet? Deinde, fac Apoſtolum habuiſſe de ſuâ juſtitiâ, & ſalute æternâ ſpecialem revelationem, & hinc certitudinem infallibilem de ſuâ perſeverantiâ; quomodo hinc infertur neceſſariò, te quoque & ſingulos alios de eâdem perſeverantiâ eſſe ſecuros infallibiliter? Nónne ſi-

ne fidei divinæ actus nunquam poteſt eſſe falſus ? Eſſet autem, juxta te, frequenter falſus, ſi quiſque teneretur credere fide divinâ & infallibiliter, ſe in fide perſeveraturum; cùm ad oculum pateat, plurimos, qui à te tuiſque ſeducti ſunt ad tam ſuavem animarum carnificinam, à te ad Papiſtas, Calvinicos &c. diſcedere. Vides ergò, etiam pro fide illâ ſpeciali nihil ſolidi & firmi è S. Scripturâ adduci à te poſſe: recta autem per fidem ratio illam planè evertit, ut ineluctabiliter tibi demonſtravi. Nihilo validiùs firmatur SOLA illa, quam invexiſti, fides juſtificans. Vbinam hoc legitur in Apoſtolo, niſi per te falſificato?

¶. LVTHERVS. *Non falſificat interpres vel translator textum, ſi ſenſum fideliter reddit, etiamſi verbum addat, vel demat, quod in Originali textu habetur. Interpreti enim, cujus eſt, ſenſum genuinum, quoad fieri poteſt, ſignificanter exprimere, licitum eſt verſioni, ad verborum emphaſin exprimendam, particulam excluſivam inſerere.*

¶. ARIVS. Non evadis reatum falſificationis. Nam vel ea ſententia Apoſtoli, ſine illo aſſumento tuo, clara erat, ut qui eam legeret, nihil dubitaret, ſolâ nos fide, ſine ullis operibus juſtificari: vel antè obſcura & ambigua fuit, & certitudinem claritatémque non niſi ex tuo additamento mutuata eſt. Si prius dixeris; cur addidiſti? cur actum egiſti? cur ſoli faculam accendiſti? ſi poſterius; cur non reliquiſti obſcurum & ambiguum, uti Apoſtolus poſuit? Non eſt fidelis translatoris, ſed fraudulenti impoſtoris, pro verbis obſcurum & ambiguum ſenſum continentibus, ponere verba clarè determinantia ad id, quod proprio interpretis genio contra omnes omnino antiquiores arriſit. In cauſa, ob proprium commodum (ut nempe ſibi potiùs quàm adverſæ parti favere videantur) Inſtrumenta publica falſare ac violare, Falſi crimen eſt, improbum in rebus humanis, ſacrilegum verò in divinis.

¶. LVTHERVS. Criminaris me atrociter tanq. falſarium, ô Ari: vide, quàm iniquè! Nónne Gal. 2. v. 16. dicitur: *Non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per Fidem* IESV CHRISTI. Rom. 4. Epheſ. 2. Tit. 3. Phil. 3. & alibi paſſim Scriptura docet, hominem *juſtificari ſine operibus, non ex lege factorum, non ex operibus, non ex lege, ſed ex fide.* Quid autem niſi verbis aut tantummodo phraſi differunt hæc ab illo, IVSTIFICAMVR SOLA FIDE?

¶. ARIVS. Vide, Luthere, quàm parum aut nihil tibi conſtes. In heſterno congreſſu omni vi contendiſti, illa verba [*Pater major me eſt*] debere admittere limitationem, nempe ſecundùm humanam naturam; quod tu tamen ex nullo textu Scripturæ evincere potuiſti, cùm unitas illa, quam inter ſe & Patrem affirmat CHRISTVS, ejuſque dilectus Apoſtolus, è claris verbis alibi à CHRISTO prolatis reſtringatur ad affectum, non ad ſubſtantiam utriuſque. Hic verò, cùm vis juſtificandi ſeu diſponendi ad juſtificationem tot apertiſſimis locis SS. Scripturæ tribuatur etiam Timori, Spei, Dilectioni, Contritioni &c. ac ita omnes ſemper Chriſtiani ante te intellexerint; quâ fronte & conſcientiâ audes hîc id tribuere ſoli Fidei, cùm id competat

Digitized by Google

æquè actibus virtutum ex Fide prodeuntibus ? Quo vel unico S. Scripturæ loco clarè oſtendis, juxta Apoſtolum, quoties opera excluduntur à Iuſtificatione, intelligenda eſſe omnia opera præter actum Fidei; & non tantùm opera legis, ex ſolis naturæ viribus elicita ?

LVTHERVS. Cùm Apoſtolus ℣. 28. infert abſolutè, hominem *juſtificari Fide ſine operibus Legis*, id eſt, ſine ullis operibus in lege præceptis, non habitâ ratione, ſintne ex ſolis viribus liberi arbitrii, an ex Fide facta, conſequenter hæc etiam, quæ ex Fide ad legis præſcriptum fiunt, ſunt & manent legis opera. Ergò quod hîc dicit, hominem non juſtificari ex operibus legis, id poſtea c. 4. dicit de quibusvis operibus. Quando autem indefinitè dicitur, hominem non juſtificari ex operibus, tum negativa hæc non poteſt alium, quàm hunc habere ſenſum: Eum non juſtificari ex ullis ſuis operibus.

§. ARIVS. Si de juſtificatione primâ, quâ ex impio fit juſtus, ſermo ſit, libenter concedo, nullum eſſe meritum qualiſcunque Iuſtitiæ in ullo opere ſive Fidei, ſive cujuſcunque alterius virtutis & præcepti; ſed illa omnia concurrunt tantùm ut diſpoſitiones præviæ. De incremento Iuſtitiæ autem negatur ſimpliciter, quod tu aſſeris, nec probas ullatenus. Nam etſi opera ſupernaturalia quævis poſſint generali aliquâ ratione dici *opera legis*: tamen Apoſtolus Fidem ab Operibus diſtinguens, intelligit tantùm opera legis naturalis & Moſaicæ, ſolo naturæ dictamine, & viribus facta; ſub Fide vero Gratiam, Spem, Charitatem, cæteráſque virtutes, ut patet tum ex Rom. XII. v. 3. ubi gratias, dona, virtutes, quas DEVS variis variè diſtribuit, vocat *menſuram Fidei*, quam cuique DEVS dividit: tum ex Iacob. 2. v. 21. *Abraham nonne ex operibus juſtificatus eſt? - - - Vides, quoniam Fides cooperabatur operibus ejus, & ex operibus fides conſummata eſt?*

§. LVTHERVS. Hoc ipſum de Abrahamo exemplum Iuſtificationis facit pro me contra te. Etſi enim is jam ante fuerit renatus, & multa bona opera ex Fide profecta haberet; tamen Rom. 4. v. 3. dicitur *juſtificatus* non ex operibus, ſed quia credidit DEO.

§. ARIVS. At per ly *credidit Deo*, ſine dubio non intelligitur Fides nuda, ſed ſperan, amans, obediens in re maximè arduâ. Poſſétne apertiùs hoc dici, quam ab Apoſtolo Iacobo verbis jam à me allegatis factum eſt?

§. LVTHERVS, Quid tu mihi objectas S. Iacobi Epiſtolam? Hanc *nullius Apoſtoli ſcriptum cenſeo, quia directè contra S. Paulum, & omnem aliam Scripturam operibus Iuſtificationem tribuit; & planè omnis Evangelici ſpiritus eſt expers, adeoque reſpectu Evangelicorum librorum verè STRAMINEA Epiſtola eſt. Et quamvis Gloſſâ aliquâ remedium afferri illi Operum Iuſtificationi poſſet: in eo tamen defendi non poteſt, quòd dictum Moyſis Gen. 15. (de ſolâ Abrahami fide, non operibus, loquentis, juxta allegationem Pauli Rom. 4.) ad opera refert. Ex quo proinde vitio colligitur, eam nullius Apoſtoli eſſe.*

§. ARI-

Digitized by Google

¶. ARIVS. Nimirum hoc unum reſtabat, ut poſt falſificationem Paulinæ ad Romanos, nunc quoque ſacrilegè Epiſtolam S. Iacobi, tuæ hæreſi è diametro adverſam, è cenſu S. Scripturæ expungeres! Quâ tu me conſcientiâ, quâ porrò fronte audes hæreſeos damnare? Tu, inquam, qui ſupra omnes, quos ut hæreticos abominaris, minùs habes fundamenti in ratione pariter & Scripturis. Has ad tuum guſtum vertis, torques, falſificas, quin & è Canone expungis. Audebiſne deinceps mihi meiſque anathema dicere?

¶. LVTHERVS. Quidnî auderem anathema tibi dicere, cùm idem tu mihi? Abi nunc ſceleſte, effunde impia viſcera tua, & ad Orcum, nunquam indè rediturus propera?

¶. ARIVS. I præ, Martine, ſequar.

Porrò ad iſtam tam juſtam & ſeriam provocationem & hos Dialogos tam liquidæ veritatis indices cùm Muſæus nec verbum à decennio oppoſuerit, coram toto orbe literato hoc ſuo ſilentio manifeſtum fecit, præter immanem contumeliarum degrandinationem non ſuppetere ſibi, quod reſpondeat, adeóque abundè à me monſtratum eſſe, legem interpretandi verbi divini Lutherum noluiſſe pati, ideóque omnibus hæreſiarchis apertiſſimâ profeſſione contumaciæ ſuperbiſſimæ palmam præripuiſſe. Dixit is quidem nuper in parte ſecundâ diſp. IV. num 95 *ſequemur verba ad tuum ſequens caput, & inibi videamus, quid tanto dignum ferat hic promiſſor hiatu.* Sed quomodò me inſecutus eſt? Mox in ſequenti periodo pœnitens factæ pollicitationis dixit, *me ſucceſſu nullo Luthero affingere ſpiritum privatum tentâſſe, VT SI HVIVS, LOCI ESSET, AD OCVLVM OSTENDI POSSET.* Nimirum hoc eſt dare verba!

CAPUT TERTIUM.

Lutherum ſolo vindictæ œſtro percitum è SS. Literis fabricâſſe Antichriſtum demonſtratur.

FIet hoc apertiſſimè, ubi quæ Muſæum inter & me in ſecundâ & tertiâ parte acta ſunt exponentur. Produxeram ego pag. 13. è Bellarm. vind. Tom. I. Lib. III. Cap. IV. §. 3. hoc argumentum. Sicut Iudæi CHRISTVM non rejeciſſent, niſi hic eorum ſcelera carpſiſſet; ita Martinus Lutherus ſe à Pontifice Romano non ſeparâſſet, niſi hic connivere noluiſſet Luthero in erroribus contumaciſſimè defenſandis. Dicant nobis Muſæus & cæteri Ienenſes, cùm Lutherus ſub ipſum tempus, quo juſtiſſima excommunicationis Bulla Romæ jam expedita erat, (Nota benè: Bulla data erat Romæ anno 1520. 17. die Iulii; Epiſtola verò Lutheri ad Leonem X. data eſt Wittebergæ 6. Septembr. 1520. ut habet prima, genuina, & ſolitaria editio; non verò 6. April. ut mentitur Tomus II. operum Lutheri Latinus editionis Wittebergenſis anno 1562) ſcripſit Leoni verbis blandiſſimis: *Eum Danielem in Babylone, Ezechielem inter*

ſcor-

Digitized by Google

ſuisque adulationibus Papæ animum occupârunt? At ejuſmodi ſceleſtiſſimorum adulationibus qui capitur, nec Daniel, nec Ezechiel, nec Agnus eſſe convincitur. Quomodo ergò hiſce tam magnificis præconiis ſine fœdâ adulatione Leo X. à Luthero mactari potuit?

II. Leo X. cùm illam epiſtolam Lutherus ſcripſit, jam ultra ſeptennium præerat Eccleſiæ & Curiæ Romanæ, quæ juxta Lutherum in eâdem epiſtolâ, *erat ſedes peſtilentiæ, ſpelunca latronum, lupanar impudentiſſimum, patens quoddam os inferni & tale os, quod urgente DEI irâ obſtrui non poteſt: quâ nihil corruptius, peſtilentius, odioſius: incomparabiliter etiam Turcarum vincens impietatem*, &c. Quomodo autem niſi vel ironicè, vel paraſiticè, dici poteſt *innocens* ille Princeps, quin & Ezechieli Danielique ſuppar, qui ſcorpiones venena diffundere, lupos perdere hominum pecunias & animas permittit, cùm tam immanem Tyrannidē etiam cum ſui profuſione cruoris ſub reatu æterni ſupplicii impedire teneatur?

III. Omnia illa encomia Leoni X. fuiſſe à Luthero non niſi irronicè aut adulatoriè decantata, evincitur etiam ex ejuſdem Lutheri appellatione, quam ſolenniter coram Notario & teſtibus inſtituit â Leone X. (*tanquam à temerario & iniquo judice, in S. Scripturâ damnato hæretico & hoſte totius S. Scripturæ*) ad Concilium futurum. Hæc appellatio Leoni X. ſine dubio probroſiſſima & iterata in menſe Iulio anni 1520 ſi Tomo 1. Ienenſi Germanico fol. 231 fides habenda eſt, ubi ea ponitur poſt 8 ante 9 Iulii; epiſtola verò illa Lutheri ad Leonem X, non niſi 6 Septembris eodem anno data eſt. Pollicentur autem Ienenſes in præfatione ejus 1 Tomi, in hoc *recenſeri omnia ſecundum ordinem annorum, invariatè omnino, uti pretioſus DEI vir ipſe conſcripſit.* Anne hic largietur Muſæus, etiam ſuos Ienenſes mentiri vel fallere in hoc, uti de epiſtolâ Lutheri ad Leonem X 10 Aprilis mentitos eſſe Wittebergenſes in Tomo II latino tacitè agnoſcit?

IV. Tota illa epiſtola ſcatet tum immaniſſimorum convitiorum in adverſarios degrandinatione hyperbolicâ, tum apertis & ſeipſa evertentibus mendaciis; quidni ergò habeatur ſui ſimilis, dum fucatis laudibus conciliare ſibi Leonis Papæ animum laboravit? Primum ſatis patet, vel ex paulò antè recitatâ Curiæ Romanæ denigratione. Secundum conſtat plurimis manifeſtiſque exemplis, ut 1. cùm in principio epiſtolæ ait, *ſe totis viribus optima quæque Sedi Romanæ optâſſe*, quam infrà *ſedem peſtilentiæ, deſperatæ & conclamatæ impietatis* appellat, quam *qui omnibus modis execrantur* CHRISTVM *glorificent.* 2. ait: *Mei ſtudii fuit eritque ſemper, nec eos inceſſere, quos publica fama fœdat*; & tamen maximam partem epiſtolæ conſumit exagitandis moribus Cajetani, Eckii, & aliorum de Curiâ Romanâ, *ad quorum*, inquit, *malitiam, quod accedat, jam cogitari non poſſit, ne Antichriſtus quidem ſi venerit; cùm aliud è Roma in Orbem non inundet, quàm vaſtitas rerum, corporum, animarum & omnium rerum peſſimarum exempla.* 3. ait: *Mihi ipſi ſatis conſcius ſum magnæ trabis in oculo meo, nec primus eſſe poſſum, qui in adulteram lapidem mittam.* Et tamen hoc unum deinceps ſatagit, ut ipſe unus, tanquam novus de cœlo lapſus Prophetes aut Evangeliſta, *adverſarios non ob malos mores, ſed impias doctrinas non ſegniter mordeat.* 4. iteratò aſſeverat, ſe pacem adverſariis obtuliſſe & optâſſe; ſemper deſiderâſſe audire, ut Leo X contentionibus iſtis ad ſe vocatis & extinctis, ſilentium & pacem utrinque mandet; & tamen ſuprà §. *communiter* ait: *Ideo non pœnitet me, quòd adverſarios non ſegniter memorderim & animum induxerim, in eâ Zeli vehementiâ perſeverare, CHRISTI, Apoſtolorum & Prophetarum exemplo*, &c. In §.

Digitized by Google

ſed ut ampliùs. idipſum inficiatur,cùm ait : *Nec hoc ipſum unquam ſuper cor meum aſcendit,ut in Romanam Curiam inveherer, aut quidquam de eâ diſputarem. videns enim deſperata omnia ſalutis remedia,contempſi,& dato repudii libello dixi ad eam : Qui ſordet,ſordeſcat adhuc*,&c. Omitto cætera ſimilis farinæ. Ex his liquidò patet, ſi ſeriò & non ironicè egit,hoc unicum intendiſſe eâ ad Leonem X epiſtolâ,ut ſibi eum conciliaret,& quovis modo impetraret,ne adigeretur ad palinodiam. Anno enim ſuperiore 1519 (ut paulò antè in ſecundo Dialogo ipſum de ſe fatentem audivimus) *renatum ſe ſenſerat, & apertis portis in ipſum paradiſum intraſſe,aliâ totius Scripturæ facie ſibi occurrente*, &c. Vnde quæcunq; lucrando devinciendóq; ſibi Papæ animo blandimenta verborum profudit,non potuerunt ab eo proferri, niſi vel ironicè,vel ſenſu duplici & hypothetico, ita ut ſi totum cor abſq; reſtrictione & duplicitate voluiſſet aperire,ſic debuiſſet dicere : *Ego te,Leo Papa, inſigniter innocentem & vitæ inculpatæ prædico,optima quæq; tibi volo contingere in æternum,dummodo ad palinodiam me non adigas,nec legem interpretandi verbum DEI ponas. Sin minùs; noveris me nihil vereri tuam (uti Iulii & Pii prædeceſſorum tuorum) vaniſſimam conſtitutionem,ſtultâ tyrannide prohibentem,ne à Sede tua ad futurum provocem Concilium : quia & hoc pro certiſſimo ſigno habeo,Te non agnum innocentem,ſed ipſum eſſe magnum illum Antichriſtum,hominémq; peccati,qui extollitur,&c. ad quem mundo revelandum ego miſſus ſum.*

Verùm demus jam liberaliter Muſæo,quod veritas negat,nihil in prædictis à Luthero fucatè,nihil duplici animo & contra conſcientiã actum ſcriptúmq; fuiſſe,ſed omnia ſincerè, ſimplicique & rectâ conſcientiâ; demus,inquam,prius ex iis,quæ probanda aſſumpſi; tunc ſaltem poſterius à Muſæo admittendum eſſe evinco,idque multipliciter. I. Non tantùm convitiator iniquus,ſed etiam *ſtultus* judicio Lutheri eſt, *qui inceſſit eum, quem nullus non laudat.* At Lutherus inceſſit Leonem X. *quem nemo non laudabat*, teſte eodem Luthero. Ergò Lutherus ſuo proprio judicio *ſtultus fuit*, & non tantùm convitiator injuſtus, dum inceſſit Leonem X, *quem nemo non laudabat*; imò non modò qualitercunque ſtultus, ſed furiarum ſtimulis in rabidam veſaniam actus fuit, cùm non qualitercunque inceſſebat, ſed ut omnium ſceleratorũ nequiſſimum magnum illum Antichriſtum eſſe pronunciabat, *quem nemo non laudabat cujusque innocentiam inſignem* ille paulò antè *egregio ſtudio ſe tutatum eſſe* jactat. II. Repugnat ferè in terminis, *eum eſſe hominem peccati ſeq; extollere ſupra omne id, quod colitur aut dicitur DEVS, cujus celebratior & auguſtior eſt in omni terrarum orbe tot tantorum virorum literis cantata opinio & vitæ inculpatæ fama, quàm ut à quovis vel maximi nominis poſſit quâvis arte impeti.* Sed talis erat teſte Luthero LEO X. Ergò repugnabat,Eum ſimul eſſe hominem peccati,qui extollitur,&c. Ergò non niſi ex hæreticali contumaciâ, indéque ortâ vindictæ cupiditate mactavit eo probroſiſſimo convitio Leonem X Lutherus. Repugnantia illa in majori propoſitione affirmata clariſſimè patebit,ſi univerſas illas proprietates, quibus Lutherici Antichriſtum deprehendiſſe jactitant,opponamus huic encomio,quod Leoni X Lutherus panxit. Nónne Antichriſtum omnes Fideles execrabuntur? Ejus tyrannidem deteſtabuntur? tanquam ab infernali monſtro fugient,& in ſolitudine abdent? Quomodo ergò niſi per rabidam inſaniam ille dici poteſt Antichriſtus, cujus eſt auguſtior inculpatæ vitæ fama, quàm ut à quovis vel maximi nominis (Moyſe & Eliâ) poſſit quâvis arte impeti? III. Quòd non ſolùm nullâ verâ & ſanâ ratione,

ſed ex

Digitized by Google

ſed ex ſolâ hæreticali contumaciâ, indéque ortâ vindictæ cupiditate potuerit Lutherus illa eminentiſſima Leonis X encomia mutare in atrociſſimas contumelias, quaſi ad oculum patebit, ſi ponamus in ſimili cauſâ & circumſtantiis quemvis alium hæreſiarcham. Finge, ſi lubet, (quod Lutherus fieri debere credebat & futurum ſperabat,) Leonem X contentionibus illis ad ſe vocatis & extinctis ſilentium & pacem utrinque mandâſſe, (uti noſtro ævo à Paulo V & Vrbano VIII factum inter phyſicæ prædeterminationis Ianſenianorumq; articulorum propugnatores & ſcientiæ mediæ aſſertores,) eique mandato placidiſſimè acquieviſſe Lutherum. Ponamus ulteriùs Zwinglium, vel Calvinum, vel Socinum, aut quemvis alium novum dogmatiſten, cujus commenta Lutherici rejiciunt, eandem fabulam, quam Leonem X inter & Lutherum actam cognovimus, in Curiâ Romanâ cum Leonis X ſucceſſore egiſſe, ſimili animoſitate oppoſuiſſe ſeſe omnibus, Papam laudibus in cœlum extuliſſe, quamdiu in novum dogma fulmen non vibravit; hoc verò in contumacem dogmatiſten contorto, in rabiem actum clamâſſe, Papam eſſe Antichriſtum, hoc ſe experimento didiciſſe, cùm cœleſtem veritatem à Chriſto & Apoſtolis patefactam rejiciat, damnet, execretur, &c. Quis ſanæ mentis inter Luthericos in dubium vocaret, talem dogmatiſten ex ſolâ contumaciâ indéq; ſuborto furore, ſumma præconia in atrociſſimas mutâſſe contumelias? At cur in ſimili plane cauſâ non idem judicium? Articulos Lutheri à Leone X damnatos Arianis & Zwinglianis nihilo ſaniores fuiſſe, patet ex ſuprà dictis, & vel ſolus ille XXXVI, qui tollit omne liberum arbitrium, dicitúrque a Luthero *omnium optimus & ſumma cauſæ Lutherica* evincit. Adhæc Muſæus obmutuit ſimiliter, uti de Spiritu privato Lutheri oſtenſum eſt ad finem Capitis proximè præcedentis.

CAPUT QUARTUM.

Carnificina à Gloſſatoribus Jenenſibus in SS. Scripturam exercita demonſtratur.

IMpium hoc artificium detorquendi SS. Scripturas ad propria commenta & depravatos affectus, eſt quidem omnibus in ſcholâ Lutheri edoctis perquam familiare & quotidianum, unde & ſemper nova monſtra cerebri abortientis enaſcuntur; (uti patet vel ex recentiſſimo partu Suedici illius dialogiſtæ, qui ſuperiori anno ſub nomine Sinceri Wechrebergii *polygamiæ & repudii* licentiam poſtlimio reſtituere & propugnare auſus eſt, nequicquã obſtante B. Mentzero Angelo pacis Lutheranæ ad Boreales Reges deſtinato:) nullibi tamẽ luculentiùs oſtendunt, quàm in procudendo ſuo ANTICHRISTO. Hic QVICQVID LIBET LICET. Non repetam, quæ de hâc apertiſſimâ inſaniâ & furore Gabrielis Povelti Angli, Argentoratenſis Danhaueri, Tenebrionis Heilbrunnenſis &c. in Bell. Vind, Tom. I, lib. 3. cap. 5. retuli: hîc ſolùm ago cũ Ienẽſibus, de quorũ Gloſſis biblicis in Parallelis, Analyſi, & Iuſtâ Expoſtulatione, adeóque hactenus tertiò pronunciavi, & nunc quartùm pronuncio, à nullis huculque Hæreticis & Fidei hoſtibus opus illo gloſſato nocentius & execrabilius prodiiſſe. Idem non tantùm luculentè ad oculum oſtendi, ſed etiam obtuli me ad examen & judicium, non modò Cæſaris Auguſtiſſimi & Statuum Imperii, ſed etiam Græcorũ Rom. Eccleſiæ inimicorũ, & quorumvis

Gentilium

Digitized by Google

Gentilium ingenii & æquitatis laude conſpicuorum, ſub pœnâ Talionis, ut jam Cap. I. dixi. Ab hoc propoſito tantùm abeſt, ut jam recedam, ut potiùs plurimùm in eo firmatus ſim. Vidi quippe interea Biblia Lutheri in formâ, ut vocant, minoris octavæ anno 1651. hoc eſt decennio poſt Opus Gloſſatum, Norimbergæ minimis typis excuſum, in quo tamen majore typo adduntur Summaria, Diviſiones capitum, & Declarationes rerum obſcuriorum; nec erubuit Ioannes Michael Dilherus (qui creditur olim fuiſſe unus è Synergis Operis Gloſſati) tunc præcipuus Norimbergenſium Præconum in præfatione ad pium Lectorem hæc addere: [Und wird der verſtändige Leſer nicht verdencken / da ich in erläuterung derſelben dunckelen Sachen mich nicht allezeit an die gemeine Meinung gebunden; ſondern ſecundum Fidei analogiam der Chriſtlichen Freyheit gebraucht. Will hiermit niemand ichtwas freventlich præjudiciren / oder wider ſeinen Willen auffgetrungen haben.] hoc eſt: *Prudens lector non ſuccenſebit, ſi alicubi in rerum obſcuriorum elucidatione non ſemper communi me opinioni adſtrinxi, ſed ſecundum analogiam Fidei Chriſtianâ libertate gaviſus ſum. Nemini interea temerè quicquam præjudicabo, aut invitis, quæ ſentio, obtrudam.* Ita Dilherus, qui alioquin in Catholico, videri volebat minùs acerbus. Videamus autem hîc palmare ſpecimen ſuæ tam in Catholicos moderationis, quàm reverentiæ in SS. literas. Declaraturus igitur juxta Analogiam Evangelii Lutherani Cap. XIII. Apocalypſis, poſtquam fusè primam beſtiam è mari aſcendentem de Antichriſto ſuo Rom. Pontifice expoluiſſet, ſubjecit contra Ienenſes Gloſſas explicationem alterius beſtiæ, per quam vult intelligi Societatem Ieſuitarum his verbis: [Altera beſtia imago eſt celebris illius ſectæ, quæ ab Agno ſibi nomen fecit. *Aſcendit de terrâ*, id eſt, ex terrenis paulatim emerſit. *Habet cornua duo, ſimilia Agni*, id eſt prætexit poteſtati ſuæ nomen & Societatem Agni. *Poteſtatem prioris beſtiæ omnem facit in conſpectu ejus*, intellige, tota nititur favore Antichriſti & gratiâ. *Facit quoque terram & habitantes in eâ adorare beſtiam primam, cujus curata eſt plaga mortis*, id eſt, jacentem Antichriſtum aſtu ſingulari erexit, eique ſe obſtrinxit, ut ex omni plagâ homines ad obedientiam ejus reduceret. *Facit ſigna magna, ut etiam ignem faciat de cœlo deſcendere*, quod intellige juxta hebraicum loquendi morem, quo ſolemus, cùm de mirabilibus ſermo eſt, certam ſpeciem compellare, verbi gratia, adducere ignem de cœlo, transferre montes &c. Idem igitur hîc à S. Ioanne, quod ab Apoſtolo 2. Theſſ. II. prænunciatum eſt. Ad quid autem ſigna? *Vt ſeducantur habitantes in terra, & faciant imaginem beſtiæ primæ.* Proinde talis eſt hæc Secta ſive Ordo, ut novus quidam & ſpecialis Antichriſtianiſmus dici poſſit, ut ſicut Antichriſtus in cathedrâ ſuâ dominatur angelis ac miniſtris ſuis, ita ipſa quoque habeat Generalem ſuum Regentem ad Sedis Antichriſtianæ incolumitatem, & characteris confeſſioniſque communis propagationem.] Hactenus I. M. Dilherus moderatiſſimus ille Lutherani Evangelii apud Norimbergenſes præco. Quid porrò tibi, Chriſtiane Lector, de hoc SS. Literas tractandi modo videtur? Nónne quodlibeticus eſt? neque ſolùm qualitercunque quodlibeticus & ſacrilegè perverſus, ſed etiam propriæ doctrinæ & confeſſioni contrarius. Et quidem ſi ipſius Lutheri, jam per Leonis X. bullam illuminati, (qui lib. de Iure & poteſtate Chriſtianæ poteſtatis omnem doctrinam judicandi &c. ſic ait: *CHRISTVS ademit*

ademit Epiſcopis, Doctoribus & Conciliis jus & poteſtatem dijudicandi doctrinam, eamq; omnibus tribuit & univerſis Chriſtianis in communi; & ne putaremus de omnibus Chriſtianis copulativè id accipiendum eſſe, clariſſimè in libro de Inſtit. miniſtrorum Eccleſiæ ſic loquitur: *Eſt Chriſtianus. Ergò habet Spiritum S. Ergò eſt judex omnium. Quivis Chriſtianus habet Spiritum S. Ergò docetur omnia à Spiritu S. Ergò omnia judicare poteſt. Vnctio docet illum omnia. Ergo judicis officio ritè fungi poteſt. Chriſtianus eſt certus, quid credere non debeat. Ergo eſt judex omnium.*) Hæc, inquam, Lutheri dictamina, ſi ut vera admittant Lutherani; fateantur neceſſe eſt, tum opus illud grande Gloſſatum, tum hoc minuſculum Sauteri & Dilheri, ſuis ſummariis, diviſionibus & elucidariis vix minorem nequitiam, quàm opus Gloſſatum exhibuiſſe contra ipſius Lutheri doctrinam. Si enim omnis Chriſtianus intelligit & judicat omnia, quæ in SS. Literis ſunt; ad quid Gloſſæ & elucidaria? Nunquid unicè ad hoc, ut ſacra verba ad libitum, quo commodum videbitur, detorta rudibus & ſimplicibus ſic inſtillentur, ut ſimul imbibant, cum erroribus ſacro textu velatis, etiam affectus odii & abominationis in Papam, & omnes ei obſequentes Catholicos? Hoc certè unum videntur ſibi præfixiſſe Gloſſatores in Danielem & Apocalypſin. Sed etiam Dilherum in ſuis elucidariis tum dictorum librorum, tum ipſorum evangeliorum, quæ in Dominicis per annum legi conſueverunt, id unum in his ſpectâſſe, dubitare non poteſt, qui ea luſtraverit. Inſpiciatur verbi gratiâ vel caput ultimum S. Marci, ubi fusè contra miracula Catholicorum tanquam ludibria Antichriſti diſſerit.

Sed mittamus hanc Lutheri doctrinam impunè ab ejus poſteritate Ienæ neglectam; quid porrò dicemus de ipſis Operis Gloſſati Authoribus Ioanne Gerhardo, aliiſque? Nonne ipſi in præfatione Bibliorum à ſe gloſſatorum 25. Iunii 1640. editâ, columnâ antepenultimâ, poſtquam monuiſſent Primò, *ſe nunquam in eo Opere ullius controverſiæ, quæ vel articulum Fidei, vel Scripturæ falſam expoſitionem concernat, mentionem feciſſe*; Secundò *dicunt, ſe nec doctrinam morum & juſtitiæ propriè & principaliter, excepto eo, quod textus immediatè in ſuo literali ſenſu ſecum fert, deduxiſſe.* Tertiò addunt: *ſed propriè & unicè legitimum, purum, literalem ſenſum ſtrictè intendimus, & hoc, quod in verbis & phraſibus juventuti & ſimplicibus obſcurum apparet, per clara notiora & expreſſiora verba & phraſes declaravimus: id verò, quod in communi uſu & ſermone notum eſt, præterivimus, ut ita tota ſcriptura abſque ullo offendiculo & impedimento perlegi, & quis genuinus ſit ſenſus in locis difficilioribus, perſpici poſſit.* Idipſum breviſſimè & clariſſimè in ipſâ Operis inſcriptione pollicentur, ſic enim habet: Die gantze H. Schrifft durch reine Theologos dem Wort-Verſtand nach erklaret/id eſt, *VNIVERSA BIBLIA SACRA PER QVOSDAM PVRITANOS THEOLOGOS SECVNDVM GENVINVM LITERALEM SENSVM EXPOSITA*, &c. Pollicentur ergò Gloſſatores, SE PVRVM LITERALEM SENSVM VNICE SPECTARE, quem tantùm clarioribus verbis pro juventute & ſimplicibus explicare intendant. At quæſo ego Te, Muſæe, eſtne ſententiæ illius Prov. 30. *Mulierem fortem quis inveniret?* ſenſus purè literalis, à Spiritu S. unicè

Digitized by Google

(& non potiùs ab Aſmodæo & Venere) intentus, quem Gloſſatores ex ſuo Patriarchâ addiderunt, hic nempe

Nichts liebers iſt auff Erden/
Alß Frauen-Lieb/ wems kan werden.

Nónne feſcenninus hic rhythmus Alcorano, non autem Chriſti Evangelio concinit? Anne Apoſtoli [*Honorabile matrimonium in omnibus*] purè literalis ſenſus eſt: *Quivis, cujuscunque ſtatus & ordinis ſit* (etiam Wigandus 40. annis voto caſtitatis obſtrictus) *debet ſemper honorificè & optimè ejus meminiſſe, & cùm ad annos pubertatis devenerit, cum Deo & oratione illud auſpicari*? An hoc eſt, *id quod juventuti & ſimplicibus obſcurum apparet, tantùm per clariora notiora & expreſſiora verba & phraſes explicare*? Sed mittamus hæc, quæ in tertiâ parte Expoſtulationis Iuſtæ pag. 251. & ſeqq. excuſſa, & hactenus à Muſæo intacta manent. Sicelides Muſæ, paulo majora canamus!

Quæro iterum ex Te, Muſæe, annon in opere Gloſſato per Ienenſes Theologos Puritanos contineatur in quinque editionibus, quæ ab anno 1640. uſque ad 1652. Norimbergæ prodierunt, elucidarium Cap. VIII. Apocal. unà cum arbore hæreticali? An non in his affinguntur Catholicis 33. Hæreſes, quas hi ex toto corde execrantur & damnant? Nunquid per atrocem calumniam ibi dicitur

1. Papa, uti Simon Magus olim, ſibi divinitatem arrogat.

2. Major pars Rom. Pontificum fuêre luxurioſi, ut Simon Magus, & permisêre omnis generis impuritates & nequitias.

3. Uti Simon ille, ita multi Papæ fuêre Magi.

4. Papiſtæ à Cerintho didicerunt, circumciſionem & reliquas leges Moſaïcas homini neceſſarias ad vitam æternam, & ita ſcripſit Bellarminus libro ſecundo de Juſtificatione.

5. Cum eodem Cerintho Papiſtæ (ſaltem aliqui palàm) docent & tuentur errorem Chiliaſtarum.

6. Cum Nicolaitis (*& non Acreanis & Encratitis*) conjugium contemnunt, & tamen in concubinatu vivunt.

7. Ophitas ſerpentum adoratores ſequuntur Papiſtæ, quia Draconem infernalem in perſonâ Rom. Pontificis adorant, ut vidit S. Joannes in viſione Apocal. XIII. ℣. 4.

8. Ad imitationem Severianorum, qui vino abſtinebant, Papiſtæ Laïcis eripiunt vinum conſecratum unà cum Sanguine Chriſti.

9. Pa-

Digitized by Google

9. Papiſtæ imitantur Valeſios, qui ſeipſos caſtrabant & hoſpites ſuos.

10. Manichæis ſimilia faciunt Papiſtæ, quòd ſicut iſti, ita & hi diſtinguant Clericos à Laicis; & ſicut Manes habet electos ſuos diſcipulos, qui ei ſemper adhærebant, ita etiam Papa habet ſuos Cardinales, qui ſemper ei adſunt.

11. Audæus hæreticus fuit auctor vitæ monaſticæ in Papatu.

12. Diſcalceati erant peculiares fucati ſanctuli, qui oraturi nudis pedibus incedebant, quod Franciſcani & Capuccini in Papatu ab ipſis didicerunt.

13. A Pattalorinchitis hæreticis hæreditario jure acceperunt Carthuſiani & alii Monachi ſilentium, quod certis horis ſervare debent.

14. Ab Aquariorum hæreſi acceperunt Papiſtæ mixtionem aquæ in calice Euchariſtico, & calicis uſum Laicis ereptum.

15. Flagellantium Hæreſin poſtea Dominicus Hiſpanus anno 1200. Papatui intulit, ac peculiarem ordinem Flagellantium inſtituit, qui adhuc in hodiernum diem ita vocatur, uti illum ante paucos annos Jeſuita Gretſerus Ingolſtadii ſtrenuè defendit.

16. A Catharis didicere Papiſtæ opera ſupererogationis, quibus etiam aliis quid promereantur.

17. A Novatianis traxerunt Papiſtæ, quòd nunquam poſſint certi eſſe & ſecuri de ſalute; item CASUS RESERVATOS; item oportere ſemper dubitare de remiſſione peccatorum & Gratiâ Dei, ut fusè docet Bellarminus l.3. de Juſtificat. cap. I. & ſeqq. item nullum Hæreticum relapſum poſſe redire in gratiam cum Deo.

18. A Meletianis ſine dubio mutuarunt Papiſtæ cymbala & campanulas Miſſaticas, uti & cùm docent, companas baptizatas arcere lemures, tonitrua, fulmina &c.

19. Similia cum Pelagianis docent Papiſtæ. I. Mandata Dei eſſe levia, II. Nos habere perfectè liberrimam facultatem etiam in ſpiritualibus.

Ter-

Tertiò Mandata DEI poſſe nos propriis viribus ſervare, Bellarminus lib. 2. de libero arb.

20. Donati ſchiſma & hæreſes ſequuntur Papiſtæ, cùm docent Primò. Eccleſiam Romanam ſolam fundari ſuper Pontifice, nec poſſe errare: Secundò, Sacramentorum efficaciam pendere à probitate Miniſtri, ut Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 27. & ſeqq. teſtatur.

21. Euchaitis Hæreticis Monachi in Papatu non ſunt diſſimiles, qui majorem partem temporis conterunt in Pater noſter, Ave Maria, Pſalmodiis, & Miſſarum celebrationibus; reliquum verò otio, nequitiâ, ebrietate, aliiſque ſceleribus, ut patet velut in meridie.

22. A Collyridianis habent Papiſtæ, quòd etiam Chriſtiparam adorent, Ei ſacrificent, & ferè omnia officia divina in Ejus nomine auſpicentur & finiant.

2[illegible]. Rhetorii hæreſin, quâ ajebat, omnes hæreticos rectè ambulare & vera dicere, imitatus eſt Puccius in libro, quem anno 1592 Clementi VIII dedicavit, in quo blaſphemabat, omnes mortales, ſive intra ſive extra Eccleſiam conſtitutos, poſſe de ſuâ ſalute eſſe ſecuros, dummodo virtuti ſtudeant, de reliquo credant, quidquid libuerit. Et quia hic Rhetorius univerſas hæreſes approbavit, nulláſque quantúmvis ſibi invicem contradicentes damnavit, hinc meritò in Arboris hæreticalis apice proponitur, connectens utrumque Ramum Papatûs & Turcici Alcorani, utpote, qui utrique parti adhæret omnéſque errores tuetur. Ita Opus Gloſſatum finit ſuum Elucidarium in Caput octavum Apocalypſis.

Quæro nunc III ex Te, Muſæe, an non ſint in recenſitis pleraque omnia ſaltem notoria & olida mendacia, maximâ ex parte calumniæ atroces in omnes Romano Pontifici addictos, nonnulla etiam crimina Falſi ad oculum facile demonſtranda? Scio enim verò, quomodo declarationem tuam apologeticam pro Gloſſarum Auctoribus in quartâ tuâ diſſertatione concluſeris. *Ipſos,* inquis, *Gloſſatores, qui tam Arborem hæreticalem ejusque declarationem nec concinnârunt, nec Operi Biblico adjecerunt, ut poſthac miſſos faciat, neque velut Auctores illius ampliùs perſtringat, omnino par & æquum eſt.* At contrà ego minimè æquum

æquum eſſe,quod tu poſtulas,oſtendi in fine Expoſtulationis Iuſtæ pag. 246 atque iterum iterumque contendo & oſtendo. Certum quippe eſt 1. D. Enterum Bibliopolam Noricum graviter aſſeruiſſe, nihil prorſus à ſe Operi Gloſſato additum,nec quicquam propriâ auctoritate factum ; figuras æquè ac omne manuſcriptum,uti è Thuringiâ accepit,ita excudiſſe ; iis,qui iſta ſubmiſêre,incumbere negotii hujus defenſionem. Sic Enterus, pro quo ſanè ſtat præſumptio innocentiæ,cùm incredibile ſit, Eum auſurum fuiſſe aliquid ſuo arbitratu adjicere Operi tam ſolenni , quod *Erneſtinam* vocari voluerunt à ſereniſſimo Duce, cujus auſpiciis partû tam auguſtum prodiiſſe credi volebant,quod fuiſſet vel ab ipſo ſereniſſimo Duce,vel à Deputatis ab eo Theologis Ienenſibus non præſcriptum,non probatum,non ſubmiſſum. Certum eſt II. ex confeſſione ipſius Muſæi, *Arborem illam hæreticalem ex Crameri Bibliis in hoc Opus Biblicum fuiſſe translatum , & ne ad illius intelligentiam manuductio ſimplicioribus deeſſet, additam eſſe ſub finem incerto auctore Declarationem*, quâ tetriores calumnias vix orcus evomere poſſet. Sic nimirum oportebat *ſimpliciores* Lutheranos *manuduci ad intelligentiam* Antichriſti ! Certum eſt III. totum artificium ſatanicum, cujus nunc tantoperè videtur pudere Ienenſes & Norimbergenſes, non fuiſſe poſt errata typographica ab Opere Biblico gloſſato prorſus ſejunctum,ut ſcribit Muſæus, cùm in editione primâ anni 1641,quam Herbipoli habui,Arbor & elucidarium mox ſequantur Apocalypſin,& in apice Arboris ponantur hæc verba æri inciſa : Ins 8. Capittel der Offenbahrung S. Ioannis. In editione quintâ anni 1652 , quâ Norimbergæ compactâ Fuldæ uſus ſum, ipſa Arbor hæreticalis inſerta eſt capiti octavo Apocalypſis , poſt cujus libri finem ſequitur immediatè inſigne illud Elucidarium, cujus jam nemo vult haberi auctor ; nulla verò penitus mentio fit Erratorum. Certum eſt IV. etſi gratis admitteremus excuſationes illas à Muſæo ſive confictas ſive prætentas; ſemper Ienenſes,Norimbergenſes,Wimarienſes,& quicunque auctoritate,conſilio,ope Gloſſata Biblia illa conflârunt, urgere illud ineluctabile argumentum : Si Ienenſes & cæteri,quorum intererat,non probârunt Arborem & elucidarium, cur in tot editionibus illa inſeri permiſerunt ? Cur Sereniſſimi Ducis Erneſti & Senatûs ampliſſimi Norimbergenſis auctoritate D. Enteri præſumptionem, ſi ulla fuit,non repreſſerunt ? Cur Ienenſes Doctores nec ſemel vel minimo ſigno proteſtati oſtenderunt,ipſis invitis & nolentibus iſta fuiſſe intruſa ? Cur I. M. Dilherus, (qui creditur in partem veniſſe ejus laboris,cùm adhuc Ienæ Profeſſor eſſet,) tot annis poſtea Norimbergæ præſens,Superintendens ; & librorum cenſor non obſtitit,ne in toties iteratis editionibus ſacrilegæ illæ calumniæ itentidem recuderentur ? In ejuſmodi nimis certa eſt illa Iuris regula : QVI SCIT ET TACET, CONSENTIRE VIDETVR. Certum eſt V. totum librum Apocalypſis,juxta primam Lutheri criſin, *nec propheticum nec apoſtolicum eſſe,ſimilem libro quarto Eſdræ in quo proinde nihil divini Spiritus advertat*; Iuxta poſteriorem Luheri cenſuram,quam Gloſſatores libro præfixerunt,& ſic approbare voluiſſe videntur, dubium eſſe; ſic enim ait: *ob incertam expoſitionem & abtruſum ſenſum hucusq; illum relinquimus, præſertim cùm etiam à nonnullis antiquis Patribus judicatus ſit non eſſe S. Ioannis Apoſtoli, in quo dubio nos quoq; illum relinquimus*, &c. Hâc tamen omni incertitudine non obſtante in ipſo hujus libri capite VIII ℣. 6 ait Gloſſa Ienenſis: *Quod per has tubas Angelorum hæreſes intelligantur, NVLLVM EST DVBIVM.* Hæc ergò certa & explorata cùm ſint;

Quæro

Quæro iterum abs Te, Muſæe, IV. an non [*poſtulando OPVS GLOSSATVM exaggeratæ impietatis, & quo nocentius execrabiliusque à nullis Fidei Chriſtianæ hoſtibus prodierit hactenus*, &c.] EGO BENE DIXERIM; & viciſſim Tu [*me ideo virulentæ maledicentiæ, ſatanicaque calumniæ arguendo*] MALE DIXERIS? Nónne enim jam in tuâ primâ diſſertatione agnovisti, verè à me pronunciatum in p. 2. Anti-Muſæi pag. 128. non eſſe maledicum, neque calumniæ reum, qui alium reflexè convincit maledicentiæ & calumniæ, ſed eum ſolum, qui convincitur? VERE enim & ideo BENE DICIT, qui demonſtrat, adverſarium criminari falſò, & ideo MALE DICERE? Atquæ conſcientia, quæ frons inficiari auſit, eſſe exaggeratæ impietatis & nocentiſſimum Opus illud, quo *SIMPLICES MANVDVCVNTVR* per tot notoria mendacia, tam atroces calumnias atque ad oculum patentia Falſi crimina ad credendum, eſſe Verbum DEI illum librum, (& doctrinam in eo juxta depravationem Gloſſatorum contentam) quem ipſimet cenſent ſaltem dubiæ Fidei & lectoris arbitrio relinquendum? Si non cum ipſo Luthero potiùs *nil divini Spiritus in eo libro nec prophetico nec apoſtolico agnoſcant*? Hîc jure meo exigo à Te reſponſum categoricum. Silentium pro confeſſione habebitur; ſicut & diſſimulatio & promiſſio per 20 annos in quinque editionibus à vobis exercita ſiquidem hanc gratis largiri vobis velimus, cùm juſta præſumptio id ab ipſismet Gloſſati Operis Auctoribus poſitivè procuratum eſſe edicat, ut ex ſuprà D. Enteri dictis liquet. Sive autem ſilere, ſive dare verba pergas; ego non ceſſabo conteſtari, provocare, appellare Cæſarem, Status Imperii, ipſos quoque Rom. Eccleſiæ inimicos Græcos. Tu ſimiliter ſubmitte, Sodes, cauſam tuam arbitrio judicium minimè ſuſpectorum, niſi velis à propriâ conſcientiâ convictus & damnatus haberi.

CAPUT QUINTUM.
Eadem carnificina in Danielem & Paulum exercita demonſtratur.

EX iis, quæ in Iuſtâ Expoſtulatione ante 10 annos producta ſunt, & in paucorum manus devenêre, ſeligam nunc tantùm potiora, ubi præmonuero, ſemper in præſenti memoriâ & præ oculis habendam eſſe illam Regulam & Legem, quam partim ſibi in principio Operis poſuêre Gloſſatores, partim univerſaliter cum Apologiâ Confeſſionis Auguſtanæ profitentur, nempè ſe *propriè & unicè legitimum purum, literalem ſenſum ſtrictè intendere* cùm præſertim Eccleſiæ ſecundum Lutherum reformatæ affirment *è ſolo literali ſenſu duci firma & efficacia argumenta*, ut his ipſis verbis ſtatuit Ioan. Gerhardus præcipuus Operis Gloſſati conditor. Videamus igitur violentias, torturas & laniationes, quas Gloſſatores ſacro textui ſacrilegè infligunt.

1. In Cap. VIII Danielis contra id, quod S. Hieronymus in ꝟ 8 hujus capitis *EX TRADITIONE OMNIVM SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM* dixit: *In conſummatione Mundi, quando regnum deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros Reges, qui Orbem Romanum inter ſe dividant, & undecimum ſurrecturum eſſe Regem parvulum, qui tres Reges*

Digitized by Google

Reges de decem Regibus ſuperaturus ſit, id eſt, Ægyptiorum, Africæ & Æthiopiæ - VNVM DE HOMINIBVS, IN QVO TOTVS SATANAS HABITATVRVS SIT CORPORALITER, &c. Gloſſatores fingunt Mahumetanum Imperium eſſe ANTICHRISTVM ORIENTALEM, Papam verò OCCIDENTALEM, cùm neuter unquam ſubjugârit Æthiopiam, uti Daniel hîc expreſsè prædicit,

2. Ibidem ℣ 25 & infrà ad ℣ 7 cap. XII (TRADENTVR IN MANVS EIVS SANCTI PER TEMPVS ET TEMPORA ET DIMIDIVM TEMPORIS.) quæ de tribus annis cum dimidio tanquam exiguo tempore accipienda eſſe, *tam perſpicuum* ait S. Auguſtinus lib. 20 de Civitate DEI, *ut qui vel dormitans ea legit, dubitare non ſinatur*; Gloſſatores tamen uti ſuo Antichriſto occidentali Pontifici Romano, ita & orientali, Turcæ, ſcilicet attribuunt dies angelicos, novo & uſque ad Lutherum inaudito commento: *quorum*, ajunt, *unusquisq; tot continet annos, quot aliàs dies numerantur in anno vulgari. Vnde angelici hi anni tres cum dimidio conficiunt annos circiter mille ducentos ſeptuaginta ſeptem cum dimidio, quamdiu Mahumetana potentia durabit.* Anne ergò hic eſt *purè literalis ſenſus, tantùm per clariora, notiora & expreſſiora verba declaratus?* Nimirum ut Papa poſſit fieri Antichriſtus, diſpenſant boni Gloſſatores in lege ſibi poſitâ, uti & in innumeris deinceps.

3. Ad eundem ℣. 25 ajunt, quod *Turca oppugnabit veram* DEI *Eccleſiam, & Sanctos Altiſſimi*, &c. At ſic reliquum ſuum commentum evertunt. Certè Turca nunquam oppugnavit clancularìam illam Muſæi Eccleſiam, imò nec Lutheranam Synecdochicam, cùm hæc, ſi Patriarchæ ſui decreto ſtare voluerit, à bello Turcico abſtinere debeat.

4. Gloſſa Capitis octavi Danielis fatetur, iſtud vaticinium eſſe propriè de Antiocho Epiphane; ajunt tamen *trahi* poſſe, & de facto TRAHVNT obtorto collo ad Papam Antichriſtum, in ſenſu ſcil. ſycophanticè accommodatitio; quæ ſi liberet, pari facilitate, majori veritatis apparentiâ poſſemus in iſtos ſacrorum verborum tortores retorquere, ut oſtenſum in Bellarm. Vind. Tom. 1. pag. 368.

5. In Cap. XI Danielis ℣. 36 iſta verba [ET FACIET IVXTA VOLVNTATEM SVAM REX] ſic gloſſantur. *Hic Antichriſtus vocatur Rex, more loquendi Scripturæ, quo gubernatores in communi vocantur Reges, etſi non uſurpent titulum Regum coronatorum. Hinc quia Antichriſtus* (Hæreticorum) *ſpiritale & ſæculare regimen, imò ſupremam utriusque auctoritatem uſurpabit, vocatur ab Angelo Rex, & talis quidem, qui omnia pro libito acturus ſit, tanquam ſupra omnem legem, nulli juri ſubjectus, talemque ſibi auctoritatem arrogaturus, quâ poſſit in Eccleſiâ DEI ſtatuere pro beneplacito, nec teneatur ulli homini in terra rationem de factis ſuis reddere.* Sanctus Paulus ita declarat verba Angeli 2. Theſs. II. v. 4. *quod Antichriſtus ſeſſurus ſit in templo DEI tanquam DEVS, & jactabit ſe eſſe DEVM; ubi per ſeſſionem intelligitur regimen. Senſus proinde Apoſtoli eſt: Antichriſtum talem ſibi auctoritatem arrogaturum, quæ ſoli DEO convenit, nempe Monarchicum imperium in Eccleſiam univerſam, poteſtatem ferendi leges, quæ omnium Chriſtianorum conſcientias obligant. Hoc reperire eſt in Papa Romano, qui ſibi adſcribit ſupremam poteſtatem in Eccleſia.*

Digitized by Google

GNALIA] in puro literali ſenſu per ſolam phraſis mutationem idem eſt, quòd *Papa in multis dogmatibus doctrinæ Chriſtianæ è diametro adverſatur.* Sed de Lutheranis articulis ſupra in fine I. Trophæi monſtratum eſt. Muſæus cum omnibus ſuis Academiis Lutheranis non potuit, nec auſus eſt oſtendere, quòd Confeſſio Catholica in P. Maſenii Concordiâ meditatâ non ſine comparatione meliùs concordet verbo DEI ſcripto, quàm Confeſſio Auguſtanâ, & mendaciſſima ejus Apologia.

8. Verſu 37. [DEVM PATRVM SVORVM NON REPVTABIT] id eſt, juxta Gloſſatores, *Papa peregrinationes, ſacrificia pro defunctis &c. invehet, & in Papatu ſunt novi articuli Fidei &c.* Nunquid hîc eſt tantùm variatio phraſis? Credite SIMPLICES; ſic enim rectè MANVDVCEMINI ad &c.

9. Ibidem [NON ERIT IN CONCVPISCENTIIS MVLIERVM.] Hoc exponit juxta Gloſſatores Apoſtolus 1. Tim. IV. quòd ſcil, Papa *prohibet nubere.* Quaſi verò ſine nuptiis non ſit fornicatio in concupiſcentiis mulierum! Quàm multiplex hîc ſycophantia & vanitas! Ipſe Muſæus hanc calumniam de Pontificibus ſodomitis refutat, cùm Ioan. X. XII. XXII. Alexandrum VI. criminatus eſt de concupiſcentiâ mulierum. De cætero cur ita tacet idem ad meam provocationem in 2. parte pag. 30. ubi dixi: Sycophanta improbiſſimus jure habebitur Muſæus cum ſuis Gloſſatoribus, donec vel de uno alteróve Lutherum ſecuto Pontifice probaverit ex ullo Scriptore probatæ fidei neſandum ſacrilegium, ſive quoad concupiſcentiam mulierum, ſive quoad flagitia contra naturam. Pudeat tam ſpurcis calumniis ſua Biblia inquinare! Sed in Antichriſto ſuo fabricando, quicquid libet, licere ſibi putant. In Hebræo textu ambiguum eſt teſte S. Hieronymo, ſitne cum vel ſine negativâ particulâ legendum, & juxta eundem Sanctum veriſimiliùs eſt, eſſe affirmativè legendum, quòd Antichriſtus ſit futurus in concupiſcentiâ mulierum. Præferunt tamen Gloſſatores negativam, ut atrociùs calumnientur, & Nuptias Italicas SIMPLICIBVS Lutheranis oſtendant.

10. Ibidem [NEC QVENQVAM DEORVM CVRABIT; DEVM AVTEM MAIORVM IN LOCO SVO VENERABITVR.] Arrigant hic aures SIMPLICES MANVDVCENDI ad Papam Antichriſtum. Tantùm per verba & phraſes clariores hîc ſignificatur, quòd *Papa ultra unicum ſacrificium propitiatorium N. Teſtamenti introducet in Eccleſiam peculiare, ſcil. Miſſaticum, quod erit munimentum regni ſui, de quo tamen nihil in Scripturâ,* [Si nocturno Lutheri Magiſtro credimus.] *Hoc impletur in Papatu, ubi miſſa habetur pro ſupremo Dei cultu, iiſque locis Miſſa celebratur, quæ ſumptuoſiſſimè extructa ſunt, ut potiùs arces quàm Eccleſiæ, & Monaſteria videri queant. Et dicitur in plurali numero* Maozim, *ut indicetur, eſſe varios modos Miſſarum.* Hæc calumnia vix ulli alteri & atrocitate, & ſtoliditate cedit, cujus proinde jam plures etiam è Luthero-Calvinicis pudet. Accuſantur autem hîc non tam Papa, quàm SS. Patres, qui illud conceptis verbis *Sacrificium propitiatorium* appellant. Interroget Muſæus Græcos omnes aliáſque orientales nationes, an non nobiſcum ſentiant, veſtrum Patriarcham à Magiſtro nocturno didiciſſe blaſphemias & abrogationem Miſſæ: Et

 quàm

Digitized by Google

quàm cœcus eſt hic furor Gloſſatorum, ut non videant, ſeipſos evertere malè materiatum commentum ſuum. Nam paulò antè dixerant, Antichriſtum palàm nullius cultum niſi ſui ipſius ut DEI cultum toleraturum; hîc autem exaggerant ſolenniſſimum, publiciſſimum, frequentiſſimum cultum Dei Maozim. Sed nimirum hoc ipſo eſt purus, legitimus literalis ſenſus, *SIMPLICES* Lutheranos *MANVDVCENS*, quò probroſius & ſtultius aliquid in Papam (omnéſque Chriſtianos non Lutheranos) furor Gloſſatorum effingere non potuit.

11. Ibidem [*REX AVSTRI PRÆLIABITVR ADVERSVS EVM*] hoc eſt, ***aliqui Chriſtiani Imperatores contra Papam inſurgent, ut Otto I. Henricus, Ludovicus Bavarus, Fridericus Barbaroſſa, Carolus V.*** Somniant ſine dubio hîc furioſi Gloſſatores. Quomodo enim aliàs iſtos Imperatores intelligerent per Regem Auſtri? Dein, quis illorum Imperatorum habuit quicquam contra Papæ officium, ſub quâ ratione eſt Lutheranus Antichriſtus, & non tantùm contra ejus perſonam talem? Quid eſt hoc, niſi pueriliter nugari pariter & ſycophantari?

12. Ibidem [ET REX AQVILONIS (***Romanus Antichriſtus***) QVASI TEMPESTAS VENIET CONTRA ILLVM IN CVRRIBVS.] ***Ita Romanus Antichriſtus invadentibus ſe magna potentia oppoſuit, dum eos anathemate percuſſit, eorum ſubditos ab omni juramento fidelitatis abſolvit.*** Poſſuntne ſine apertâ veſaniâ Gloſſatores ſcribere: Rex Aquilonis id eſt Antichriſtus Romanus tanquam tempeſtas veniet contra Antichriſtum Romanum. Sed quid volumus? SIMPLICES Lutherani MANVDVCVNTVR ad quævis utopica & chimærica credenda! Ex quo verò S. Scripturæ, aut cujusvis probati Auctoris loco oſtendunt, per currus, equites & claſſem intelligi Excommunicationem &c?

13. ℣. 41. [ET INTROIBIT IN TERRAM GLORIOSAM, ET MVLTÆ CORRVENT. ILLÆ AVTEM SOLÆ SALVABVNTVR DE MANV EIVS, EDOM, MOAB ET PRINCIPIVM FILIORVM AMMON.] hoc eſt, ***Antichriſtus Romanus Eccleſiam Dei cum omnibus tribus ſtatibus miſerè perdidit: in medio tamen furoris Antichriſti Romani Deus ſibi ſanctum ſemen*** (de quo & præclarè Muſæus totâ diſp. 10. parte 1.) ***conſervavit, ſcilicet Edomitas rubricatos, id eſt, conſtantes Martyres*** (quorum nec unicum Lutherani nominare poſſunt ſuæ fidei conſanguineum) ***Moabitas à Patre, qui in Religionis avitâ ſimplicitate perſtiterunt, & principium Filiorum Ammon, nempe parvulos, qui renati per Baptiſmum vitâ exceſſerunt.***

14. Ibidem. [DOMINABITVR THESAVRORVM AVRI ET ARGENTI, ET IN OMNIBVS PRETIOSIS ÆGYPTI, PER LIBYAM QVOQVE ET ÆTHIOPIAM.] Hoc eſt, ***Antichriſtus Romanus volet etiam dominari Imperio orientali ſub prætextu recuperandæ terræ ſanctæ.*** Et hæc eſt ſenſus literalis juxta Gloſſatores, cui mox ſubjiciunt myſterium. Ajunt enim *Spiritualiter* per Aegyptum intelligi ſummos Reges &c. per Libyam medioxumos, per Aethiopas plebem promiſcuam, quæ atra & tenebroſa, hoc eſt, modicæ æſtimationis eſt. Horum omnium theſauros & opes Papa ad ſe rapuit per Indulgentias, galeros, pallia, diſpenſationes aliáque media fraudulenta. Vah ingentem horum Divinatorum profunditatem & ſubtilitatem! Nónne de eorum ſapientiâ prædica

Digitized by Google

dicabimus, quod de Daniele & Sociis Dan. 1. v. 19. & 20. Non ſunt inventi tales, ut Gerhardus & Socii. Omne verbum ſapientiæ & intellectûs, quod ſciſcitatus eſt ab iis ſereniſſimus Dux, venit in iis decuplum ſuper cunctos ariolos & magos? &c.

15. Verſu 44. [FAMA TVRBAVIT EVM AB ORIENTE ET AQVILONE] Hoc eſt, *Romanum Antichriſtum fama ab Oriente turbavit. Per famam intelligitur* (& quidem literaliter) *Spiritus oris Chriſti 2. Theſſ. II. Hic ſpiritus eſt verbum Evangelii* (Lutherani;) *eo Chriſtus Romanum Antichriſtum perimet, ejuſque Regnum potenter domabit. Hæc fama inſonabit etiam ab Aquilone, hoc eſt, opponent ſe Papa Ioannes Huſſ, Lutherus pretioſum Chriſti organum. Hic hic eſt ille Angelus, qui per medium volavit cœlum, habebatque Evangelium æternum Apoc. 14. 6. Hujus vox contra Romanum Antichriſtum ab Aquilone id eſt Saxonia potentiſſimè percrebuit, talemque plagam inflixit, qualem adhuc ſentit & nunquam eluctari poterit.* Ita Gloſſatores. At nunquid magis cohærent, quàm ſomnia ebrii aut furioſi? Quomodo enim fama ab Oriente hoc eſt Evangelium Lutheri turbabit Papam, & ipſe Lutherus, id eſt, fama ab Aquilone eundem turbabit? Rurſus ſi fama prior ſcilicet ab Oriente Papam peremit; (ut Gloſſatores ſomniant) quomodo fama poſterior id eſt ab Aquilone illum modò perterrefaciet? *O SIMPLICES!*

16. Cap. XII. v. 1. [*IN TEMPORE ILLO* (*cum Romanus Antichriſtus vehementiſſimè Eccleſiam affliget, ejusque regni verticem tetigerit*) *MICHAEL PRINCEPS MAGNVS*, (*Chriſtus omnium Angelorum Dominus & Caput Eccleſiæ Apoc. 12. v. 2.*) *QVI STAT PRO POPVLO SVO, CONSVRGET* (*ad liberandam Eccleſiam à potentia Antichriſti*;) ERIT ENIM TEMPVS, QVALE NON FVIT AB EO, EX QVO GENTES ESSE COEPERVNT VSQVE AD TEMPVS ILLVD. (*Vbi ſub regno Antichriſti vaticinatur fore præcipuè horribiles falſificationes doctrinæ de dubia remiſſione peccatorum & gratia, de meritis operum, de purgatorio, de enumeratione peccatorum in foro pœnitentiali &c. per quæ omnis conſolatio ſubtracta fuit.* Itáne? ánne eſt falſa doctrina eorum articulorum, quos Gloſſatores recenſent & Græci nobiſcum cum omni antiquâ Eccleſiâ credunt, perſecutio talis, qualis non fuit? An X. perſecutiones tribus primis Chriſtianis ſæculis non fuerunt multò horribiliores, (etiam juxta Lutherum;) cùm tunc, qui thus non adolerent Dæmonibus, Chriſtumque apertè negarent, ad cruciatus & mortem deſtinarentur? Ergóne dogmata, quæ Catholici cum Græcis, & Patribus habent communia, ſunt graviſſimæ perſecutiones? Quàm abſurdè Chriſtus hìc fingitur Archangelus Michaël? Quis orthodoxus dixerit, Chriſtum eſſe unum de principibus primis?

17. Quæ ſuprà in Torturâ ſecundâ de annis Angelicis Turciſmi duraturi dixerant, nunc ℣. 7. de Papâ repetunt his verbis: *Cùm horrenda perſecutio ſuperatorum Gentilium ceſſaverit, & per Conſtantinum M. Eccleſiæ pax procurabitur*, [*COMPLEBVNTVR VNIVERSA HÆC.*] juxta Gloſſatores, *Tum Romanus Antichriſtus mox prorumpet ea pace Eccleſiæ abutendo, regnum ſuum inſtituendo.* H c ure quæro ex Ienenſibus, quid apud ipſos ſignificet: Bald? Nónne idem eſt, quod MOX vel BREVI? Certe juxta veſtrum Patriarcham hoc

Bald

Bald vel MOX , BREVI , & trium facilè ſæculorum. Nempe eſt Mox pluſquam angelicum. Quanta porrò crudelitas hìc affingitur Chriſto à Gloſſatoribus, quòd dilectam ſponſam ſuam per 300 annos perſecutionibus Gentilium exercitam, Mox deinde tradiderit tyrannidi Antichriſti, ſine comparatione acerbiori prioribus decem ultra mille annos? Quàm impium & blaſphemum eſt hoc vel cogitare de Chriſto! Vix crediderim, id ipſos Gloſſatores crediidiſſe , ſed *SIMPLICES MANVDVCENDI* fuerunt quovis modo ad Romani Pontificis execrationem. O fungi! o caudices!

18. v. 11. [A TEMPORE CUM ABLATUM FUERIT JUGE SACRIFICIUM.] Gloſſa. *Cùm memoria unici Sacrificii propitiatorii, quod Chriſtus in ara Crucis Patri obtulit, ablata fuerit, & homines ab iſto ad Miſſaticum abducentur,* [ET POSITA FUERIT ABOMINATIO IN DESOLATIONEM] Gloſſa. *Et doctrina Chriſtiana horribilibus falſificationibus obtenebrata & varia idololatria in Eccleſiam fuerint introducta.* [DIES MILLE DUGENTI NONAGINTA] *hoc eſt, anni tot* juxta Gloſſatores. At cùm Sacrificium Miſſæ nihil ſit niſi commemoratio incruenta Sacrificii cruenti in Cruce peracti; quomodo quæſo hoc ab illo obſcuratur & non potiùs illuſtratur? Per abominationem deſolationis communi ſenſu SS. Patrum idem hìc Daniel, quod Chriſtus Matth. XXIV ✠ 15 intellexit, ſcilicet profanationem Templi Hieroſolymitani per Idolum in eo poſitum, tum ſub Antiocho Dan. XI. ✠. 31. tum ſub Tito Veſpaſiano cap. IX. ✠. 26. tum denique ſub Antichriſto hìc. Sed quia aliàs *SIMPLICES MANVDVCERE* non poſſent ad Papam Antichriſtum, deſerendus eſt communis & certus ſenſus.

19. v. 12. [BEATUS QUI EXSPECTAT ET PERVENIT USQUE AD DIES MILLE TRECENTOS TRIGINTA QVINQVE.] Gloſſa. (*hoc eſt, annos. Cùm hi fuerint completi, veniet Chriſtus ad judicium, deſtruetque Antichriſtum illuſtratione adventus ſui, ſuamque Eccleſiam planè liberabit. Cum verò annus, quo incipere debent anni 1335, accuratè ſciri non poſſit, hinc etiam annus adventus Domini ad judicium, totalis excidii Antichriſti ac finis mundi diſtinctè ſciri non poteſt, ſed ex omnibus circumſtantiis colligitur, haud procul jam abeſſe.*) At quæro ego, poſsètne apertiùs Gloſſa Textui contradicere, niſi terminis expreſsè contradictoriis? Textus ait; *Beatus qui pervenerit ad dies 1335.* quod de uno homine clarum eſt facilè poſſe verificari; & planè ita fiet, ut qui vixerunt ante cœptam Antichriſti perſecutionem, ſupervivant ultra quadriennium. At quæ libido pervertendi omnia? quid abſurdius, quàm verbis clariſſimis ſubſtituere ſenſum, quem facilè etiam *SIMPLICES* videre queant eſſe falſiſſimum, ſcil. *Beatus, qui exſpectat uſque ad annos 1335, quouſque ne Mathuſalem quidem pervenit,* Si hoc non eſt illudere & excarnificare Verbum DEI, ac illud vertere in arma iniquitatis & nequitiæ ſycophanticæ ac blaſphemæ, quid quæſo aliud potiùs eſt? Et hæc ex Daniele ſufficiant.

In 2. Theſs. II. ſolito ſunt breviores, ſed brevitatem pravitatis mole compenſant. Videtur autem vel diverſus Gloſſator hujus epiſtolæ ab eo, qui in prophetiam Danielis, aut

Digitized by Google

aut certè ſuorum immemor fuiſſe mendaciorum. Nam in cap. XI Danielis ℣. 40 ajebat: *IN FINE MVNDI Imperatores Germanos Ottonem M. Henricum, Carolum V. &c. impugnaturos Papam*; hic verò 2 Theſs. II. ℣. 3. *adhuc ANTE FINEM MVNDI revelandum Antichriſtum Romanum*. At nunquid revelatio illa facta eſt per Lutherum? Quomodo ergo hæc *in fine* illa *ante finem mundi* poni potuit, niſi ab obliviosis mendaciorum fabricatoribus? ſed hoc parum eſt. Pergamus adnumerare inſigniores torturas.

20. Ad ℣. 3. *DIES DOMINI NON INSTAT; NISI VENERIT DISCESSIO, ET (adhuc ante finem mundi) REVELETVR (per verbum Evangelii) HOMO PECCATI, (qui per ſeipſum omnibus peccatis deditus eſt, & ſuâ doctrinâ alios ad peccandum inducit) ET FILIVS PERDITIONIS, (qui ſe & alios per falſam doctrinam & ſceleratam vitam in exitium præcipitabit.* Hæc Gloſſa nec veritati nec Luthero nec Muſæo concinit. Non huic; quia is paſſim contendit, Clancularios per 1000 annos ſub Papatu potuiſſe ſeparare pretioſum â vili: & conſequenter, cùm legebatur Evangelium, intelligere Papam & Antichriſtum, cùm Eum viderent doctrinam Lutheranam deteſtari & perſequi. Cùm ergò Evangelium in omnibus ad ſalutem neceſſariis ſit luce meridianâ clarius, certè exiſtente jam Antichriſto planè neceſſarium erat eum agnoſcere, ne quis in errores conſentiat & damnetur. A Luthero autem Papa Leo X non potuit haberi & dici HOMO PECCATI, cùm manifeſtè implicet, aliquem omnibus peccatis eſſe deditum, & nihilominus eſſe Danielem, Ezechielem, Agnum innocentem, quem nemo non laudat, & ſuprà Cap. 3 pluribus dictum eſt. De veritate ipsâ vel ex mendaciis Lutheri conſtat.

21. Ad ℣. 4. QVI ADVERSATVR, (*qui Deo & omnibus legibus ſeſe opponit*) ET EXTOLLITVR SVPER OMNE, QVOD DICITVR DEVS, AVT QVOD COLITVR, (*extollet ſe etiam ſupra omnes ordinationes DEI Altiſſimi, quas evertere conabitur;*) ITA VT SEDEAT (*tanquam Monarcha*) IN TEMPLO (*in Eccleſiâ*) DEI TANQVAM DEVS, (*dum ſibi attribuit talem potentiam, & honorem prenſat, qui ſoli DEO convenit,*) OSTENDENS (*jactans ſe*) TANQVAM SIT DEVS, (*cui nemo imperare poſſit.* Gloſſa hæc Textui & veritati apertè repugnat. Non potuit Apoſtolus loqui niſi de Templo Hieroſolymitano, nec poterant Theſſalonicenſes per Templum vel ſomniare hoc, quod Gloſſa dicit, cùm nimium differat *Templum* à cœtu Chriſtianorum. Sed quomodo alioqui Papa fieret Antichriſtus, niſi liceret quidlibet mutare in quodlibet? Deinde quomodo poteſt Papa dici *oſtendere ſeipſum, tanquam ſit DEVS*, eò quòd dicat, ſe ſupremum caput miniſteriale Eccleſiæ ſub Chriſto principali capite? Plùs quàm cœlum à terrâ diſtat caput miniſteriale, temporale, limitatam poteſtatem habens à DEO æterno, omnipotente, &c.

22. Ad ℣. 6. ET NVNC QVID DETINEAT, (quòd Antichriſtus needum ſe palàm oſtentet, & ſupremum regimen in Eccleſiaſticis & Politicis affectet) SCITIS: (Vtpote quibus aperui, nempe, quod ſit Majeſtas & potentia Romani Imperii. Vbi verò hoc cum tempore diminuetur, Antichriſtus tali occaſione abutetur ad erectionem ſui regni, & tamdiu regnabit, donec) REVELETVR IPSE IN SVO TEMPORE. Hæc tortura eſt impia blaſphemia in ipſos Apoſtolos. Supponit enim apertè, fuiſſe quidem tunc Antichriſtum in mundo, qui in corde affectârit ſupremum Eccleſiaſticum & Politicum

 Imperium;

Imperium; non auſum ſe tamen palàm talem oſtentare metu Neronis. Sine dubio enim nemo fidelium aſſignari poteſt præter Apoſtolos, qui tunc potuerit ad illam ſupremam auctoritatem in Eccleſiâ aſpirare. Quàm fatuum verò ſit perſuadere ſibi, aliquem è quibuscunque tunc Chriſtianis vel ſomniâſſe de ſupremo regimine Eccleſiaſtico & Politico, quis non videt? O SIMPLICES, quò vos cœci illi MANVDVCVNT!

23. Ad ℣. 7. MYSTERIVM IAM OPERATVR INIQVITATIS, (*per falſam doctrinam de Iuſtificatione, per opera coram DEO jam tum fundamentum ab aliquibus Regni Antichriſtiani ponitur*) O SIMPLICES! Quid non audent pro MANVDVCTIONE veſtrâ Gloſſatores? Dicant hi (vel eorum nomine Muſæus) nobis: Quinam ſunt illi, qui tempore Apoſtolorum id auſi ſunt? qui ſcilicet tunc docendo juſtitiam operum poſuêre fundamentum Papatûs Antichriſtiani. An illi falſi fratres, qui Galatis perſuadere nitebantur obſervantiam Circumciſionis & cæterorum legalium? Hos certè execrantur Papiſtæ, ut ſupra Cap. 2. vidimus. An Simon Magus? At hic ſolam gratiam relicto libero arbitrio & bonis operibus, ut teſtatur S. Irenæus lib. 1. cap. 20. admiſit, adeóque Lutheranorum in hoc dogmate prodromus erat. An ergò S. Iacobus Apoſtolus, qui Cap. II. ℣ 24. pronunciat: Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex Fide tantùm? Ita planè videtur ſenſiſſe Lutherus, qui ideo eam Epiſtolam rejecit ut *ſtramineam, ſpiritu Apoſtolico indignam*. Eadem adhuc in Gloſſatis Ienenſium à Canone excluditur, ratióque præmittitur, quòd diametraliter S. Paulo oppoſita tribuat operibus juſtitiam, nec ullatenus ſuſtineri poſſit. Vel hæc ſola cenſura cuivis cordato ſufficere debebat ad execrandam Gloſſam cum univerſo Lutheraniſmo, & tenendam communem SS. Patrum doctrinam, qui per Myſterium iniquitatis jam operans intelligunt tum Simonem Magum alióſque Hæreticos, tum Neronem alióſque Tyrannos.

24. Ibidem. [TANTVM VT QVI TENET NVNC, TENEAT, DONEC DE MEDIO FIAT.] Gloſſa. *Debet prius Majeſtas Imperii debilitari, & Romanus Imperator ſuâ ſede & dominatione, quâ Roma potiebatur, privari.* Quod ſi verum eſt, & ſibi Gloſſatores conſtare velint, fateri debebunt, Romanum Antichriſtum primum fuiſſe S. Innocentium I. Papam, quo ſedente anno 410 à Gothis capta fuit Roma, adeóque ſuâ excluſus Honorius Imperator. Fuerunt igitur juxta Gloſſam SS. Innocentius, Leo & Gregorius Magni, Antichriſti, orúmque ſatellites SS. Auguſtinus, Cyrillus, Fulgentius, &c.

25. Ad ℣. 8. ET TVNC, (*cùm Antichriſtus loco Imperatoris non modico tempore ſupremum dominium in ſpiritualibus & politico regimine tenuerit,*) INIQVVS ILLE REVELABITVR (*agnoſcetur*) QVEM (*ſuo tempore*) DOMINVS IESVS INTERFICIET SPIRITV ORIS SVI (*per prædicationem Evangelii*) ET DESTRVET (*totaliter delebit.*) ILLVSTRATIONE ADVENTVS SVI) *cùm ad extremum judicium viſibiliter veniet*) At nunquid hic jugulant ſe mutuò mendacia? Si enim per prædicationem Evangelii Lutherani *interfectus eſt Antichriſtus*, (ut fabulatur hîc Gloſſa) & ipſe Lutherus non eſt mentitus, cùm in ſuo Epitaphio appellari voluit MORS PAPÆ, quomodo adhuc vivus perdurat Papa Antichriſtus in noviſſimo die totaliter interficiendus? Inveniet, credo, Muſæana ſubtilitas diſtinctionem, quâ iſta concilientur, ſed quam *Onocephali* Papiſtæ capere nequeant; nempe in intentione interfectus eſt jam à Luthero, in executione à Chriſto

ſecundum

ſecundum adventuro deſtruetur; deinde interfectus eſt jam apud Lutheranos; poſt deſtruetur totus per omnia. Credite *SILPLICES*!

CAPUT SEXTUM,
Tortura Gloſſatorum Jenenſium in Apocalypſin.

VIgeſima ſexta tortura eſt Capitis octavi Apocalypſis, quod jam ſuprà Cap. 4 oſtenſum eſt univerſim de ſeptem Angelis tubâ canentibus, & ipſæ eorum accommodationes ſunt nimis frivolæ, plumbeo piſtillo obtuſiores, imò & falſæ. Quas enim *cædes & ſanguinis effuſiones peperit hæreſis Manichæorum*? Tertia pars navium in mari perdita, & tertia pars viventium in eodem elemento mortua, quàm ingenioſè ſignificat multas particulares Eccleſias, quæ prius in Chriſti naviculâ erant, per hæreſin Marcionis, Montani, &c. naufragâſſe in fide? Certant ſanè de palmâ inſulſitatis ejuſmodi Gloſſatorum accommodationes cum Geſtis Romanorum moralizatis.

27. Ad Cap. IX Apocalypſis. [QVINTVS ANGELVS TVBA CECINIT, ET VIDIT STELLAM CECIDISSE DE COELO IN TERRAM.] Gloſſa. *Per hanc ſtellam intelligitur Papa Romani Apoſtaſia. Nam poſtquam Epiſcopi Romani pii ſanctiq; Doctores fuiſſent, eorum ſucceſſores opibus, honori, voluptati, potentiæ & pompæ ſæculari inhiarunt.* Et quod nomen huio Papæ? nonne Ducenti?

28. Ibidem. (ET DATÆ SUNT CLAVES PVTEI ABYSSI) Gloſſa. *Puteus abyſſi eſt purgatorium prope infernum, ut fertur. Claves pro eo habet Papa, quia jactat ſe habere poteſtatem per Indulgentias inde liberandi animas. Quod verò Ioannes vidit, claves abyſſi dari huic Angelo, indicatur, Papæ juſto DEI judicio permitti, ut doctrinam de purgatorio ſimilesque errores cum antiquis hæreſibus, quæ ſunt doctrinæ dæmoniorum, ex inferno producat, prout Apoſtolus de Antichriſto ſcribit, quod ejus adventus ſit ſecundum operationem Satanæ,* &c. Hæc tam belle cohærent, ut vix credi poſſit, ea ſcripta extra febrilem paroxiſmum. Reſpondeat Muſæus, ſi poteſt, pro illis I. Si puteus abyſſi eſt purgatorium. Ergò illud revera datur. Cur ergò illud explodiſtis, ut à Papiſtis confictum? Certè S. Ioannes non narrat viſiones, niſi rerum verè exiſtentiũ aut extiturarũ. 2. At quo modo accepit Angelus ille, vel juxta vos Papa apoſtatans eas claves abyſſi? Num à DEO vel bono Angelo? aut Dæmone? Non ab hoc, quia nemo dat, quod non habet. Dæmones autem ſunt titiones inferni æternùm illo puteo claudendi; non autem cuſtodes carceris & Iuſtitiæ divinæ, quod ſolis bonis Angelis competit. Si à DEO vel à bono Angelo; quid ergò blaſphematis, Papam habere clavem, quia jactat (*falſò*) ſe habere poteſtatem liberandi animas à puteo illo? Cæteræ inſulſitates hujus Capitis coincidunt ferè cum iis, quæ ſuprà in Danielem.

Digitized by Google

29. Ad Cap. XI. v, 3. [DABO DUOBUS TESTIBUS MEIS, ET PROPHETABUNT DIEBVS MILLE DVCENTIS SEXAGINTA AMICTI SACCIS.] *Per hos duos teſtes intelliguntur omnes fideles Doctores, Prædicatores, & Confeſſores*, Itáne? Conſideret hîc prudens lector ſpecimen probationum prædicanticarum è SS. Bibliis. Adducunt igitur pro ſuæ Gloſſæ confirmatione I. Caput 55. Eſaiæ v. 4. *Ecce ego* (Deus Pater) *poſui* (Chriſtum) *Hominibus in Teſtem*. 2. Caput XV. Lucæ v. 48. *Vos autem* (Apoſtoli) *Teſtes eritis omnium*. 3. Caput I. Actorum v. 8. *Eritis mihi Teſtes*. 4. Caput X. Actorum v. 10. *Et nos* (Apoſtoli) *ſumus teſtes omnium, quæ fecit*. 5 Caput I. Apocalypſis v. 5. *A IESV Chriſto, qui eſt teſtis fidelis*. 6. Caput II. Apocalypſis v. 13. *Antipas meus teſtis fidelis*. 7. Caput III. Apocalypſis v. 14. *Hæc dicit* (Chriſtus) *teſtis fidelis*. At, quæſo quomodo hinc, niſi ope puerilis & impiæ Quodlibeticæ infertur per duos hos teſtes (quos communis ſenſus SS. Patrum & Interpretum ſemper accepit de Elia & Enoch vel, ut aliqui, Moyſe) intelligendos eſſe *omnes fideles Doctores*, &c.? O *SIMPLICES*! ô Fungi! Et quomodo SEMPER VNVS POST ALERVM ſe opponet Antichriſto, cùm tot centuriæ præconum Luthericorum ſimul & ſemel quot annis, quot menſibus, quot hebdomadis in hanc maledicentiæ palæſtram contra Papam procedant? *ET IPSI PROPHETABVNT* (*prædicabunt & Scripturam exponent*) *MILLE DVCENTIS SEXAGINTA DIEBVS, AMICTI SACCIS*, (*erunt veri prædicatores pœnitentiæ, ac triſtabuntur, quod Eccleſia DEI per abominationes Antichriſti tam dirè prematur*. Mirum, ſi ipſi *SIMPLICES MANVCENDI* hîc non rideant, cùm audiunt, ſuos præcones eſſe Prophetas illos duos ſaccis amictos, cùm ignorare nequeant, eos eſſe Nuptiatores, potatores inclytos, jejuniorum & corporis macerationum juratos hoſtes, ut vel in Wigando mundus totus videt.

30. Ibidem v. 5. [ET SI QVIS VOLVERIT EOS NOCERE: IGNIS EXIET DE ORE EORVM.] hoc eſt, *Antichriſtum animosè aggredientur, & qui eos attinget, contra eum ſe tuebuntur Verbo DEI, quod eſt velut ignis*. Ierem. 5. v. 14. *Prædicabunt etiam Zelo igneo, ita ut etiam hoſtes eorum in conſcientiâ ſuâ ſenſuri ſint ignem; ac tandem igneis ſuis precibus impetrabunt, ut DEVS perſecutores eorum igne ſui furoris puniat deleatque, uti olim Elias* 4. Reg. I. v. 10. Verùm ignes hi fatui obtorto collo à Gloſſatoribus in locum veri ignis attracti non habent majorem veri ſpeciem, quàm hæreſis Calvini negans verum ignem infernalem eſſe illum Damnatorum. Imò multò abſurdior eſt ignis ille metaphoricus Gloſſatorum, quàm ille gehennalis Calvini, cùm difficillimè capiatur actio ignis materialis in Spiritum, etiam vi ſupernaturali elevati; naturaliter verò etiam fieri poſſit, ut ignis ex ore hominis exeat.

31. Ad v. 7 8. 9. 10. 11. [CVM FINIERINT TESTIMONIVM SVVM: BESTIA VINCET ET OCCIDET EOS. ET CORPORA EORVM JACEBVNT IN PLATEIS CIVITATIS MAGNÆ, QVÆ VOCATVR SPIRITVALITER SODOMA ET ÆGYPTVS, VBI ET DOMINVS EORVM CRVCIFIXVS EST. ET VIDEBVNT CORPORA EORVM PER TRES DIES ET DIMIDIVM: ET CORPORA EORVM NON SINENT PONI IN MONVMENTIS: ET INHABITANTES TERRAM GAVDEBVNT SVPER ILLOS, ET JOCVNDABVNTVR: ET MVNERA MITTENT INVICEM, QVONIAM HI DVO PRO-

PHETÆ

Digitized by Google

PHETÆ CRVCIAVERVNT EOS, QVI HABITABANT SVPER TERRAM. ET POST DIES TRES ET DIMIDIVM SPIRITVS VITÆ A DEO INTRAVIT IN EOS.] Libet hic loco Gloſſæ Ienenſis conſuetæ ponere Dilheri in parvis Bibliis longè copioſiorem. Sic ergò canit: *Duo illi teſtes, id eſt, Doctores Evangelici corporali perſecutioni Antichriſti ſubjecti ſunt: hic illos vincet & occidet. Locus, ubi id fiet, eſt ſpiritualis Sodoma & Ægyptus, intellige, quaquà verſus protenditur Eccleſiæ Romanæ jurisdictio, quà vim ſuam exercet Roma, ubi Chriſtus myſticè crucifixus eſt (ubi ejus merita, paſſio & mors contemnuntur.) De cætero, quod corpora eorum jacebant in plateâ, &c. indicatur, quod perſecutores ſua facinora contra pios publicè jactent: ſed non ideo actum eſt de Confeſſoribus; nam poſt tres cum dimidio dies ſpiritus vitæ intravit in eos, id quod non de duobus individuis ſive extinctis perſonis eſt accipiendum, quaſi poſt mortem reſurrexerint, ſed ita declarandum eſt: Antichriſtum quidem exiſtimaturum, ſe omnes teſtes ſibi adverſos occidiſſe, brevi tamen alios teſtes ſucceſſuros, ſpiritum Domini ſucceſſores illos vivificaturum, & magnâ virtute induturum, in qua refocillatione fundabunt ſe ſuper promiſſionibus divinis de vita æterna, quòd nempe olim ſupra nubes aſcendent, &c. Vice verſa experientur Perſecutores cum ſuo damno, quomodo non omnes teſtes extincti ſint, ſed ſucceſſivè unus poſt alterum reviviſcat, ubi ſimul magni terræ motus (mutationes) contingent, & Antichriſto magna clades inferetur; & è contrario multa millia hominum conſervabuntur.* Eodem redeunt Gloſſatorum commenta, quæ quidem utrobique tam ſunt inſulſa, impiè contorta contra apertiſſimum literalem ſenſum, ut mirum ſit, poſſe per tam perſpicua figmenta etiam *SIMPLICES MANVDVCI* ad agnoſcendum Antichriſtum hæreticorum. Vix dubito ex ipſis Proteſtantibus eruditos & prudentes, ubi conſideraverint tam impudentem & impiam Gloſſatorum audaciam, in ruborem dandos & execraturos ſuorum Gloſſatorum frontem erubeſcere neſciam. Si hoc non eſt ſubjicere ſacrum textum ſuæ phantaſiæ & paſſioni exulceratæ, neſcio ſanè, quis Hæreticorum unquam id attentârit, ut de omnibus Hæreticis Sanctus Auguſtinus pronunciavit.

32. In Capite XII præter alia ineptius eſt illud in v. 6. quòd dicunt Eccleſiam Luthero-Evangelicam debere delitefcere in ſolitudine per 1260 annos. Hoc autem non tam rei veritati, quam ipſorum propriis commentis repugnat; Nam cùm juxta Muſæum Diſp. I. de Eccleſia num. 106. Eccleſia à B. Luthero priſtino nitori, qui erat ſub Apoſtolis clariſſimus, reſtituta ſit, non perſtitit in ſylvis & ſolitudinibus occulta. Ergò manifeſtè falsò aſſignantur 1260 anni, cùm vix ultra nongentos juxta ſuum calculum & Æram Antichriſtianam à Phocæ imperio cœptam numerare queant.

33. Ibidem ad v. 14. ajunt Gloſſatores, *duas alas magnæ aquilæ, datas mulieri fugienti in ſolitudinem, ſignare celerem curſum Evangelii Lutherani.* At quis progreſſus Evangelii Lutherani fingi poteſt ſub tenebris Papatûs, quibus ad 900 annos durantibus

nullus præconum Luthericorum apparuit, qui vel unum Papam illuſtraret de Evangelio Lutherano, de ſolâ Fide juſtificante, ut fatetur Lutherus. Et quomodo cohæret celer curſus Evangelii cum celeri fugâ & latibulis in ſolitudine? Quâ etiam fronte audent ibidem Gloſſatores dicere, *certum tempus ejus fugæ & occultationis in ſolitudine eſſe quidem à DEO definitum, ſed ignotum hominibus*; cùm tamen ℣. 6. conceptis verbis expreſſi ſint dies 1260? Poſsétne clariùs exprimi definitum tempus a DEO hominibus, (qui neſciunt alios dies niſi conſuetis 24 horis diſtinctos,) quàm hîc factum eſt? Vnde claret, non voluiſſe Gloſſatores obſcura declarare, ſed clara conſultò obtenebrare, nempe quia creatio iſtius Antichriſti eſt *negotium perambulans in tenebris.*

34. In Cap. XIII. à ℣. 2. uſque ad 11. deſcribitur BESTIA A MARI ASCENDENS, quam Gloſſatores volunt eſſe Romanum Imperium Ethnicum; Dilherus verò, ut ſuprà cap. 4. vidimus, cum communi etiam Lutheranorum ſententiâ dicit eſſe Antichriſtum. Sunt revera ſcopæ diſſolutæ, & incohærentia mendacia. Illud verò palmare, quòd in ℣. 5. illos ſuos dies Angelicos, ſive annos 1290 etiam Romano Imperio Ethnico affingere non erubuêre, cùm inter omnes non Onochronos conſtet, etiam ab ipsâ urbe conditâ, nedum ab Imperio C. Iulii Cæſaris vix ultra 1000 numerari uſque ad Conſtantinum M. ſub quo ceſſavit perſecutio Gentilium. Et quòd dicunt ad ℣. 8. omnes inhabitantes terram, quorum nomina ſcripta non ſunt in libro vitæ Agni, adorâſſe Rom. Imperium Ethnicum. Quocunque enim ſenſu etiam largiſſimo accipiatur & impropriè ly *adorare*, ſatis conſtat, Sinas, Iapones, Scythas, Americanos, Indos nunquam fuiſſe ſubjectos Imperio Romano, cujus plerique eorum ne notitiam quidem habuêre.

35. Ibidem à ℣. 11. ALTERAM BESTIAM A TERRA ASCENDENTEM, quam ſuprà Cap. 4. Dilherus de Ieſuitarum Societate interpretatus eſt, Gloſſatores de ipſo Antichriſto accipiunt. ET HABET DVO CORNVA SIMILIA AGNI, quia, inquiunt, Papa jactat ſe Chriſti Vicarium, vult ſuam doctrinam V. & N. Teſtamenti Scripturis firmari, & ſub nomine Chriſti uſurpat ſibi ſummam in Eccleſiaſticis & Politicis poteſtatem. Sed hoc commentum iterum ſeipſum evertit. Si enim Papa ſuam doctrinam è V. & N. Teſtamento firmare vult, & apertiſſimè profitetur, Chriſtum eſſe conſubſtantialem Filium DEI, cujus ipſe ſit indignus ſervus; quomodo poteſt vel apparenter dici magnus ille Antichriſtus? Quid clarius illo 1. Ioan. II. ℣. 22. *Quis eſt mendax, niſi qui negat, quoniam IESVS non eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem & Filium.* Papa corde & ore confitetur Patrem & Filium IESVM eſſe Chriſtum. Ergò non niſi per atrociſſimam calumniam & contra apertam Scripturam & propria dicta Gloſſatorum fingitur eſſe Antichriſtus.

36. Ibidem ℣. 12. [ET POTESTATEM PRIORIS BESTIÆ OMNEM FACIEBAT IN CONSPECTV EIVS.] Gloſſa. *Nam Romani Pontifices ex Vrbe Romanâ extruſère Rom. Imperatorem, cujus loco occupârunt Romam, ac Rom. Imperium ad ſe rapuerunt; unde ſicut Gentiles ac Cæſares gloriabantur ſe eſſe Orbis Dominos, ita & Papa.* Verùm dic prudens Lector, majórne hîc ſit atrocitas calumniæ, an vecordia in non-cohærentibus? Nónne notoria calumnia eſt, Papam extruſiſſe Româ Imperatorem? Quis unquam Pontificum dixit

dixit ſe Romanum Imperatorem ? 3. Quis Papa ſe Orbis Dominum gloriatus eſt ? Nón ne hæc olida mendacia, ſpiſſæ calumniæ?

37. Ibidem [ET FECIT TERRAM ET HABITANTES IN EA ADORARE BESTIAM PRIMAM, CVIVS CVRATA EST PLAGA MORTIS.] Gloſſa. *Romani Pontifices Ethnicam ſuperſtitionem per invocationem Sanctorum iterum in Eccleſiam introduxerunt, & tantùm nomina commutârunt ; imò etiam admittunt divinos honores, ut olim Cæſares.* Sed faciamus, veriſſimum eſſe, quod hæretici calumniantur de invocatione Sanctorum, quî hinc conficitur, Papam facere *adorare beſtiam primam* ſcil. Romanum Imperium Ethnicum ? Nónne *SIMPLICES* illi, qui hoc credunt eſſe Verbum DEI, potiùs fungi & caudices fuerint?

38. Ad ℣. 13. [ET FECIT SIGNA MAGNA, VT ETIAM IGNEM FACERET DE COELO DESCENDERE IN TERRAM IN CONSPECTV HOMINVM.] Gloſſa. *Hîc præcipuè indicatur igneum fulmen Excommunicationis, quod vibrat Papa in adverſarios.* Ergóne eſt hoc ſignum magnum, judicio Gloſſatorum, bruta (ex eorum ſenſu) fulmina jaculari ? Non occurrebat alia veriſimilior ſycophantia, v.g. de miraculis Sanctorum Pontificiorum ? Sed adhuc ingenioſior ſequitur Gloſſa ℣. ſequenti, quam etiam SIMPLICES vix credent à ſobriis & vigilantibus ſcriptam eſſe.

39. Ad ℣. 14. [ET SEDVXIT HABITANTES IN TERRA PROPTER SIGNA, QVÆ DATA SVNT ILLI FACERE IN CONSPECTV BESTIÆ, DICENS HABITANTIBVS IN TERRA, VT FACIANT IMAGINEM BESTIÆ, QVÆ HABET PLAGAM GLADII, ET VIXIT.] hoc eſt juxta Gloſſam. *Papa perſuadet ſuis ſectatoribus ut ſe ſupremum Dominum agnoſcant in toto orbe. Etiam ut ſimia imitatur Rom. Imperium: habet ſuos Cardinales, ſicut Cæſar Principes Electores : habet etiam peculiare jus Pontificium. Quàm bellè ! quàm argutè ! quàm hic reſplendet acumen Gerhardinum quovis piſtillo plumbeo obtuſius !*

40. Ad ℣. 15. [ET FACIET, VT QVICVNQVE NON ADORAVERINT IMAGINEM BESTIÆ OCCIDANTVR] Gloſſa. *Qui Papam nolunt caput Eccleſiæ totius & ſupremum Regentem Romani Imperii agnoſcere mactantur.* Nequiórne hîc calumnia, an interpretatio ſtupidior?

41. Ad ℣. 16. & 17. [ET FACIET OMNES PVSILLOS ET MAGNOS, &c. HABERE CHARACTEREM IN DEXTERA MANV SVA AVT IN FRONTIBVS SVIS.] Gloſſa. *Per hæc intelligitur* (à *SIMPLICIBVS* ſcilicet aut fungis,) *quòd oporteat profiteri Fidem Romanam.* Ergone Fidei Catholicæ profeſſio eſt character in dextrâ aut fronte? O purum putum Verbum DEI ! [ET NEQVIS POSSIT EMERE AVT VENDERE, NISI QVI HABET CHARACTEREM, AVT NOMEN BESTIÆ, AVT NVMERVM NOMINIS EIVS.] Gloſſa. *Qui in locis, ubi Papa dominatur, vult negotiari, debet profiteri Romanam Religionem. Character in manu poteſt ſignificare juramentum, quo ſe Eccleſiaſtici & Seculares obſtringere tenentur Papæ : Character in fronte ſignum Crucis, quod cum Chriſmate in ficto Sacramento Confirmationis in fronte imprimitur iis, qui Papæ doctrinam profitentur.* Hîc in principio perſpicue mentiri Gloſſam conſtat, cùm Romæ liceat Iudæis negotiari. Dein quàm inconſideratè fabulantur de ſigno Crucis in Confirmationis Sacramento ! An neſciunt,

Græcos

Græcos ſchiſmaticos idem adhibere, etſi vel maximè communionem Papæ abominentur? Denique an tota Gloſſa magis textui congruit, quàm pugnus oculo? Et hoc eſt Verbum DEI per phraſin clariorem! ô!

42. Ad ℣.18 [HIC SAPIENTIA EST: QVI HABET INTELLECTVM, COMPVTET NVMERVM BESTIÆ; NVMERVS ENIM HOMINIS EST: ET NVMERVS EIVS SEXCENTI SEXAGINTA SEX.] Gloſſa vult *nomen hoc eſſe LATINVS: Tumquia Papa dominatur Romæ in Latio; Tumquia Sacramenta latinè miniſtrantur; Tumquia linguam latinam in Vulgatâ magni facit & Hebrææ Græcæque originalibus præferre non erubeſcit; Tumquia Bullas & Edicta in linguâ latinâ proponit.* At hîc Sapientia Gloſſatorum delirat. Nomen hoc juxta Ioannem eſt HOMINIS non Hominum pluſquam ducentorum, multò minùs Gentis. Et ipſum, ſi ut oportet non per EI ſed per I ſcribatur, numerum illum 666 non conficit. Sed verbis opus? Ipſi mox, quod per inanes congruentias exſtruxêre, deſtruunt ſubjicientes dictum Lutheri, qui hunc numerum 666 *accepit de numero annorum, quo durare debebit ſæcularis Papatus*, quod evidenter tam veritati, quàm Gloſſatoribus repugnat, ut omnino verùm videatur, quod alibi ſcripſi, NEO Evangelicos illos interpretes certare de prærogativâ mentiendi.

43. In Capite XIV. ℣. 4. [HI SVNT, QVI CVM MVLIERIBVS NON SVNT COINQVINATI.] ne pro exoſâ ſibi virginitate ſenſum literalem, planum, ſemper in Eccleſiâ receptum tenere debeant, deflectunt ad Tropicum: *Hi ſunt*, inquiunt, *qui ſpirituali adulterio aut fornicatione, id eſt, Idololatriâ, Hæreſi & falſo cultu ſe non coinquinârunt.* [*VIRGINES ENIM SVNT.*] *Per quod Virginitas Fidei indicatur, de quâ* 2. Cor. XI. Quâ fronte poſſunt hi tropiſtæ Origenem vel Calvinicos & quoſcunque alios myſticarum expoſitionum ſectatores reprehendere; cùm ipſi, ubicunque planus, legitimus, literalis ſenſus non eſt ad ipſorum palatum, contra legem ſibi ipſis poſitam, ad myſticum vel accommodatitium contra omnium SS. Patrum ſenſum declinant?

44. In Capite XV. v. 5. [POSTHÆC VIDI, ET ECCE APERTVM EST TEMPLVM TABERNACVLI TESTIMONII IN COELO.] Quonam mirabili alembico quodlibetico eliquant hunc ſenſum Gloſſatores: *quòd fideles miniſtri Lutherici contra Antichriſtum prædicantes ſuam vocationem à DEO habeant*? Ridete *SIMPLICES*! Nec eſt diſſimile, quod v. 7. ſequitur.] ET VNVM DE QVATVOR ANIMALIBVS DEDIT SEPTEM ANGELIS SEPTEM PHIALAS AVREAS, PLENAS IRACVNDIA DEI.] Gloſſa. *Per hoc indicatur, quòd Prædicatores* (Neo-Evangelici) *à ſuis Majoribus depoſitum puræ doctrinæ* (Luthericæ ſcil.) *acceperint.* Dicat igitur Muſæus, qui ſint illi Majores, à quibus Lutherus accepit? Nónne Apoſtoli? Apud quos ergò fuit illud depoſitum poſt Apoſtolos uſque ad Lutherum? Non eſt magis riducula hæc Gloſſa, quàm ipſis Gloſſatoribus noxia.

45. Capitis XVI. Gloſſæ ſcatent undique ſomniis furioſis & fatuitatibus inſulſis, uti ex nudâ recitatione cuivis prudenti patet. Notemus aliquas. Ad v. 2. [PRIMVS ANGELVS EFFVDIT PRIMAM PHIALAM SVAM IN TERRAM, ET FACTVM EST VVLNVS SÆVVM ET PESSIMVM IN HOMINES, QVI HABEBANT CHARACTEREM BESTIÆ.] Gloſſa. *Hoc vulnus indicat conſcientiam*

malam

Digitized by Google

malam & cruciatum eorum, qui ſe participes fecerunt Idololatriæ Pontificiæ. Ad. v. 3: (SECVNDVS EFFVDIT PHIALAM SVAM IN MARE, ET FACTVS EST SANGVIS TANQVAM MORTVI) Gloſſa. *Indicatur, inceptores Antichriſti per vitam improbam exterminari à vitâ, quæ ex Deo eſt.* Ad. v. 8. (QVARTVS EFFVDIT PHIALAM SVAM IN SOLEM.) *Hæc phiala arguit magnam Pompam ſæcularis Principatus Antichriſti qui ſe ſoli comparat.* (ET ÆSTVAVERVNT HOMINES ÆSTV MAGNO.) *Papa profectò æſtuare facit homines per magnas conſcientiæ carnificinas.* Ad. v. 10. (QVINTVS EFFVDIT PHIALAM SVAM SVPER SEDEM BESTIÆ.) *Arripuit ipſam Antichriſti ſedem, monſtravitque, Eum nequaquam eſſe Cathedræ Petri hæredem.* (ET FACTVM EST REGNVM EIVS TENEBROSVM.) *Quia cùm clara lux Evangelii Lutherani iterum produceretur, per hoc magna auctoritas & dominatus Romanæ Sedis imminutus, & obſcuratus eſt. Contemptio effuſa eſt ſuper Papæ cathedram, cùm oſtenſum fuit, Eum nec Chriſti Vicarium, nec Petri ſucceſſorem, ſed Antichriſtum eſſe.* (ET IPSI (*Antichriſti ſectatores & defenſores*) COMMANDUCAVERVNT LINGVAS SVAS PRÆ DOLORE.) *Propter imminutionem ſedi Antichriſtianæ illatam, & revelatas tenebras ſpirituales ita rabie perciti ſunt, ut frenderent dentibus.* Sed libet hic relicto magno Gloſſato Opere audire Dilheri ſummaria parvorum Bibliorum. *De phialâ ſexti Angeli,* [QVAM EFFVDIT IN FLVMEN ILLVD MAGNVM EVPHRATEM.] *diligenter notandum, Spiritum S. denuo alludere ad Babylonem antiquam, quæ locupletabatur per Euphratem ; & ſic indicat, Antichriſtum ſuum Euphratem, id eſt, ingentes redditus habiturum ; & hoc arguit Angelus, hoc eſt, notabilis numerus genuinorum verbi miniſtrorum. Quid hinc ſequitur ? Euphrates exaruit, id eſt, Præbendæ diminutæ ſunt. Et ſicut olim, cùm Euphrates avertebatur alio, Reges urbem Babylon eâ occaſione interceperunt; ſic etiam Regibus prædicto modo via parata eſt ad occupandam ſedem Antichriſti. Quomodo autem hic laborarit, ut ſua recuperet, pariter indicatur. Fiet hoc & verbis & factis. Verbis v. 13. ita : Beſtia (Antichriſtus) & Pſeudopropheta, intellige alteram beſtiam cap. 13. v. 11. (ſecta, quæ nomine Agni gloriatur) unà cum Dracone infernali enixè cooperabuntur, & impuræ ranæ eorum, id eſt, miniſtri, qui (quaſi ſpiritus diabolici) emittentur ad perſuadendos homines. Factis verò v. 14. cum Antichriſtus magnas perſecutiones & bella ciebit, tamen cum exiguo tandem operæ pretio & lucro; quia Deus efficiet illos infelices milites. Nam hoc ſignificat colligere in loco Armagedon.* Ita Dilherus in laconicis ſuis declarationibus parvorum Bibliorum. Verbum non addo.

46. Ad Caput XVII. v. 1. [VENI OSTENDAM TIBI DAMNATIO-

 TIO-

facit ſpecioſa ſuorum dogmatum fundamenta &c.. Hæc uti de Papæ doctrinâ, quæ ſenſu, & affectibus vitioſis duriſſimum bellum indicit: (ut vel ex Wigandi Sermone & Apologiâ claret,) ita de Lutherano Evangelio veriſſima, cùm per illud Monachi & Sacerdotes ad nuptias, Principes ad prædam Eccleſiarum, plebs ad licentiam vitæ illecta ſit, ut patet vel ex Edicto Imperiali Caroli V. quicquid Wigandus contrà mutiat.

49. Ad v. 9. & 10. *SEPTEM REGES*, ajunt Gloſſatores, *eſſe ſeptem diverſas formas regiminis Romani*; ſed planè inepte & fallò; Nam nec Dictatores, nec Decemviri, nec Tribuni militum fuerunt Magiſtratus ordinarii. Quàm porrò apertè fallum, & ipſis Gloſſatoribus adverſum eſt, cùm dicunt ſeptimum Regimen eſſe Papale, quod tempore S. Ioannis nondum cœpit, & cùm venerit, oportet illud brevi tempore manere; ſuprà enim dixerunt Gloſſatores, Antichriſtum annis 1260. dominaturum. Eſtne hoc brevi tempore manere?

50. Ad v. 12. & 13. [*DECEM CORNVA DECEM REGES SVNT.*] Et inter hos, Goſſatores ponunt etiam Poloniam cum finitimis regnis Aquilonaribus; cùm tamen ipſimet (ſuorum mendaciorum immemores) ſuprà cap. 7. Daniel. v. 24. poſuerint Angliam ſeu Britanniam. [HI VNVM CONSILIVM HABENT ET VIRTVTEM: ET POTESTATEM SVAM BESTIÆ TRADENT.] *id eſt, Romano Antichriſto adhærebunt, ſeque illi ſubjicient, acſi ab illo regiam dignitatem accepiſſent.* Et hoc liquidiſſimum mendacium eſt, ſive ſimul, ſive ſucceſſivè fingant illos decem Reges conſpiràſſe cum Papâ. Itaque hoc totum verificatur ſolùm in ſententiâ Catholicâ, quam ex S. Hieronymo ſuprà in primâ carnificinâ retuli. Hi decem Reges orbem Romanum inter ſe divident, Antichriſto ſuam poteſtatem tradent, & *cum Agno* ejuſque Eccleſiâ *pugnabunt*, ut dicitur v. 14. iique meretricem Babylonicam, Romanam ſcilicet urbem, *odient, deſolatam facient, & igni concremabunt. &c.* Vnde invictum contra calumniam Luthericam habetur argumentum. Nam decem illi Reges habent unum conſilium in vaſtanda & concremanda urbe Romana. Ergò Papa non eſt Antichriſtus. Nullus enim Papa vel per ſomnium habuit tale conſilium cum decem Regibus. Denique Gloſſa apertiſſimè contradicit textui, qui v. 13. & 16. id affirmat de decem Regibus, quod Gloſſa expreſſe ait, eſſe tantùm de aliquibus Regibus ex illis decem accipiendum, cùm aliqui ex illis conſtanter adhæſuri ſint Antichriſto.

51. In Capite XIIX. v. 4. dicitur. [*EXITE DE ILLA* (Babylone) POPVLVS MEVS, NE PARTICIPES SITIS DELICTORVM EIVS.] Gloſſa. *Hac voce inſonat, Chriſtus, & monet, ut ab Antichriſtiarâ Babylone ſe ſeparent.* At hoc non fecerunt latibularii per 1000. annos. Quomodo ergò Sancti juxta ipſa Lutheranorum principia? ſed de his ſatis ſuprà Trophæo primo.

52. Ad v. 17. [ET OMNIS GVBERNATOR, ET OMNIS QVI IN LACVM NAVIGAT, ET NAVTÆ, ET QVI IN MARI OPERANTVR, A LONGE STETERVNT.] Gloſſa. *Per hoc indicatur* (pueris & fungis) *Papalis Clerus, præcipuè ejus Legati, qui per amnes & maria profiſcuntur, ut Papæ imperium dilatent, redditus augeant, qui indulgentias, agnos Dei, roſas aureas & alias ſimiles merces Papales per mare trajiciant.* Quàm immanes hic conglobantur calumniæ! Et quid interim diſſimilius ex ui, quà Gloſſæ? Huic ſuppar eſt, quod

Digitized by Google

ad v. 3. [*MERCATORES TVI ERANT PRINCIPES TERRÆ.*] dicunt Gloſſatores : *Prælati Pontificii , qui antea vocabantur Mercatores , affectarunt ſæculares Principatus ; ſuperarunt quoque opibus , pompâ & potentiâ multos origine & genere Principes.* Capi e vobis hoc , ô Eccleſiaſtici Electores , Epiſcopi, Abbates ! Et toleratis tam ſacrilegas Gloſſas ?

Concludo has carnificinas illo Sancti Hieronymi , quod ad Cap. XII. Danielis olim ſcripſerat contra calumnias impii Prophyrii , nec minùs in Gloſſatores Ienenſes quadrat : *Hæc*, inquit, *ideo prolixiùs, ut & Prophyrii* (Gloſſatorum) *oſtendam calumniam, & S. Scripturæ difficultatem* , CUJUS INTELLIGENTIAM ABSQUE DEI GRATIA ET DOCTRINA MAJORUM, (quam Gloſſatores ſpernunt,) SIBI IMPERITISSIMI VEL MAXIME VINDICANT. Sic planè eſt!

CAPUT SEPTIMUM,

Expenditur gravitas ſacrilegæ hujus Carnificinæ.

COnfido equidem , me hactenus cuivis pio & prudenti , illâ phreneſi Antichriſtianâ non correpto, abunde probâſſe Cenſuram meam, quâ olim Gloſſatum Opus Ienenſium pronunciavi tale, ut à nullis hucuſque hæreticis & Fidei hoſtibus opus illo nocentius & execrabilius prodierit ; quod ipſum nunc pariter pronuncio de Bibliis manualibus per Sauteri & Dilheri ſummaria & declarationes virulentas ſacrilegæ infectis, Norimbergæ anno 1651. excuſis. Muſæus nec in ſuâ declaratione tractatui de Converſione peccatoris præfixâ, nec in diſſertatione quicquam attulit, quod vel in minimo hanc Cenſuram infringat aut oblædat. Solùm in diſſertatione tertiâ aliquid attigit de annorum numero , quo durabit Antichriſti regnum, & in quartâ diſſertatione attigit leviter aliqua, ſed quæ ut frivola & nullius momenti dilui ego in 3. & 4. Capite tertiæ partis Iuſtæ Expoſtulationis; ad quæ nuper in ipſo opere ſuo plane obmutuit. Non poterat certè veluti NVGAS ſuâ Excellentiâ indignas prudenter contemnere , cùm videret me plùs vice triplici conteſtari & provocare ad judicium Cæſaris , Statuum Imperii , Græcorum Schiſmaticorum & ſub pœnâ Talionis, niſi intentum evicerim. Si deſperatæ cauſæ ſuæ non diffidit Muſæus , cur non ſimiliter ſubmittit, conteſtatur, provocat ? Ecce, quoties exclamavi Ego in Expoſtulatione : INIMICI NOSTRI (Græci) SINT IVDICES ! cur Muſæus nec minimo ſigno idipſum ſe deſiderare oſtendit, cùm Lutherani alioqui cum Græcis in odio Romani Pontificis conveniant, adeóque nihil minùs, quàm aliquam in illis partialitatem Papiſtis faventem ſuſpicari poſſint?

Verùm

Digitized by Google

Verùm dum experior, me hîc ſurdo canere, juvat de nonnullis fideliter & iteratò monere, prætertim eos, qui inter Proteſtantes politici ſtatûs plerumque hoc ævo commentum de Papâ Antichriſto vel rident, vel ut impertinens ſûsque déque habent, (ut nec ipſe Muſæus inficiari auſus eſt.) Eos igitur omnes, qui hæc Trophæa lecturi ſunt, per amorem DEI, per ſanguinem meritáque IESV CHRISTI oro, obſecro & obteſtor, ut attentè conſiderent

Primò, Quàm exaggeratæ impietatis ſit, ita verbis S. Scripturæ, ac tam multipliciter abuti, vertendo ea in arma iniquitatis ad exſaturandum ſuum furioſum & exulceratum animum in Rom. Pontificem, quem ſuo tempore Lutherus, œſtro ob fulmen Vaticanum nondum percitus, ex communi bonorum omnium ſenſu agnovit innocentiſſimum; & Vos ipſi etiam his annis proximis experti eſtis; (ut de utroque CLEMENTE IX. & X. nihil dicam, in quibus ipſimet Proteſtantes lynceis in utibus vix aliquid notarent, quod carperent,) quâ ratione ALEXANDRVM VII. H. Conringius Lutheranus *ob virtutem & doctrinam ſuſpexerit & veneratus ſit*; Calvinianus autem ille Batavus, qui IESVITAS de Regularum ſuarum tranſgreſſione apud eundem Papam reos egit, hujus encomiaſtes factus, *mentis integerrimæ virum, recta meditantem conſilia, qui non Vrbis magis quàm Orbis ſtudeat tranquillitati, cui primum Religionis caput Chriſti olas inter concordia cujus prudentiam fortitudinem, juſtitiam ſuſpiciant & venerentur etiam nomini Pontificio infenſi*, &c. uterque libro typis evulgato proteſtus ſit. Certe qui vere Antichriſtus eſt, ita à S. Scripturâ, & teſte Sancto Hieronymo, unâ omnium Scriptorum Eccleſiaſticorum voce deſcribitur, qui non modò qualitercunque nequam, ſed quaſi ipſa nequitia & ſcelus ſit, IN QVO TOTVS SATANAS HABITATVRVS SIT CORPORALITER. Hæc autem cùm evidentiſſimâ experientiâ repugnare cernatis, quomodo ſi non apertè falſum, ſaltem dubium & ſuſpectum non ſit totum Evangelii Lutheranii, quatenus à Catholico diſcrepat, negotium, quod ſpecioſo Verbi divini velamine tot monſtra mendaciorum & calumniarum occultat? Neque enim (ut pono) eſtis è numero illorum *SIMPLICIVM*, quos Gloſſatores ad furioſa ſua ſomnia pro Verbo divino acceptanda *MANVDVCERE* queant. Certè qui iſta ſine paſſione conſiderat, non videtur non poſſe omnes ejuſmodi Verbi divini corruptores & irriſores tanquã criminis læſæ Majeſtatis reos abominari, & vix ſibi perſuadere, ipſóſmet tales interpretes & præcones ita ſentire ex animo, ſed iſta ſemel à Luthero in rabiem acto cœpta commenta obſtinatè proſequi, ut miſerũ vulgus, (quod τὰ βάθη τῦ Σατανᾶ non penetrat,) ſpecioſo divini Verbi prætextu tam in execratione Pontificis, quàm in ſui veneratione contineant.

Secundò. conſideratione accuratâ digniſſimum propono, an non dicta impietas & læſæ Majeſtatis divinæ crimen neceſſariò etiam involvat crimen læſæ Majeſtatis Cæſareæ, ac probrum intolerabile cuivis Regi & Principi Catholico? Verba dant, quando cum Principe Gloſſatorum Io. Gerhardo proteſtantur Lutherici præcones, ſe eo dogmate de Papâ Antichriſto *non ire detractum quidquam poteſtati & auctoritati illorum. dominationes ſpernentes, ac Majeſtates blaſphemãtes*. &c. Hæc ego jam tum in 1. parte Iuſtæ Expoſtulationis cap. 2 §. 2. demonſtravi eſſe inaniſſima mendacia, & facta verbis è diametro adverſari. Quid enim verò eſt? Cæſar, Reges Hiſpaniæ, Galliæ, Poloniæ, &c. nónne ſponte liberrimâ ſolenniter conceptis

 verbis

Digitized by Google

Verbis profitentur, imò gloriantur, ſe eſſe filios Romani Pontificis ? nónne Eidem venerationem & obedientiam ſpondent, vovent, jurant ? Nunquid Auguſtiſſimus Imperator ſpeciali Sacramenti vinculo ſeſe obſtringit Eidem tanquam *Advocatus & juratus Rom. Eccleſiæ Defenſor* ? Nunquid in ſpiritualibus idem aliâ formulâ adhuc arctiore præſtant Electores & Principes Eccleſiaſtici ? Hæc cùm veriſſima eſſe nec ipſa impudentia negare poſſe videatur; quomodo ſeriò & ex animo, qui illum calumniarum apicem inter Fidei dogmata receperunt, *venerationem & obedientiam* deferre poſſunt iis, quos ſciunt tam firmo nexu cum Antichriſtò devinctos, & conſequenter non modò eſſe Meretricis Babylonicæ filios ad unum omnes, ſed etiam peculiares *Advocatos, Defenſores, Miniſtros Antichriſti illius magni* ? qui cùm è ſenſu illorũ ſit *homo peccati, filius perditionis, oſtendens ſe quòd ſit Deus*, ſit deniq; *BESTIA* illa Apocal. cap. XIII. ſine dubio omnia ejus Beſtiæ oſſa, nervi, artus & carnes eandem merentur vindictam & execrationem, quam ipſa Beſtia integra, ut apertè fatentur Lutheranorum fratres Calviniani Aretius, Graſerus, Pareus, &c. relati ab Adamo Cõtzen lib. ult. Polit. cap. 25. Nec Lutherani reipſa mitiùs ſentire poſſunt ſi ſibi conſtare velint; vel etiam reipſa ſentiunt aut loquuntur, cùm illorũ petulantiam non coërcet timor Cæſareæ potentiæ, uti cùm ante 40. annos Rex Aquilonis premebat Imperium, ut oſtendi l.c. pag. 21. Nec hilum proficit, cùm Muſæus in Diſſertatione primâ num. 76. ſperat, ſe ope inſignis illius diſtinctionis ſuprà ad finẽ Cap. X. Proph. I. excuſſæ poſſe elabi. *Poteſt enim*, inquit *fieri, ut Cæſar ſit Papæ tutor & advocatus, non in quantum Antichriſtus ſed in quantum Epiſcopus & Eccleſiæ Præſul eſt. Neq; etiam repugnat, Eccleſiam Romanam eſſe certo reſpectu meretricem Babylonicam, in quantum ſcil. corruptelis, ſuperſtitionibus & abuſibus Pontificii addicta eſt & fidem ſponſo Chriſto debitam fregit; ut tamen Cæſar, qui Eccleſiæ Romanæ filium ſe profitetur, meretricis Babylonicæ filius non ſit*. Sed fruſtrà contra ſtimulum calcitrat Muſæus. *Quæ enim conventio Chriſti ad Belial? juſtitiæ cum iniquitate? lucis ad tenebras?* Certè Papa (juxta Lutheranos) quatenus Chriſti Vicarius & caput omnium fidelium eſt Antichriſtus. Atqui Cæſar Papam ut talem veneratur tanquam filius, jurat tutelam ut advocatus. Ergò Cæſar Papam, quatenus Antichriſtus juxta Lutheranos eſt, veneratur ut filius, tuetur ut advocatus.

Confirmatur I. Papa (juxta Muſæum) *eſt Antichriſtus, quatenus ſe effert adverſus quicquid DEUS aut Numen dicitur*, id eſt, juxta Ieneſes Gloſſas, *non ſolùm ſuper Magiſtratus & Rom. Imperatorem, ſed etiam ſuper omnes ordinationes Altiſſimi.* Atqui Imperator in illâ ſuperioritate, quam præcones Lutherici criminantur eſſe ſupra vel contra ordinationem Altiſſimi, ſe profitetur filium ſpiritualem & advocatũ. Ergò Imperator (juxta Lutheranos) Papam ut Antichriſtum veneratur & tuetur. Ergò eſt Antichriſti ut ſic filius ſpiritualis & advocatus. *Confirmatur II.* Imperator nullam habitudinem dicit ad Papam, quatenus hic eſt Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus particularis, non magis quàm ad Patriarcham Conſtantinopolitanum. Ergò vana & puerorum ſibilis digna eſt illa diſtinctio duplicis habitudinis ſcil. Epiſcopi & Antichriſti. Antecedens patet; quia excluſo (juxta Lutheranos) univerſalis Eccleſiæ viſibili capite, non majorem habet Cæſar habitudinem ad Urbis Romanæ Epiſcopum, quàm quivis alius è Gente Auſtriacâ. *Confirmatur III.* Quia Cæſar veneratur & defendit Papã non modò, quia Caput eſt Eccleſiæ Catholicæ, ſed ſpecialiter etiam, quia per illum *translatum eſt in perſona magnifici Caroli Rom. Imperium à Græcis ad Germanos*, ut loquitur Innocentius III. in cap. *Venerabilem*, De electione. Atqui hæc habitudo Cæſaris ad Papam tota quanta eſt (juxta Lutheranos) Antichri-

Digitized by Google

Antichriſtiana eſt. Ergò ſub habitudine Antichriſtianâ Cæſar eſt filius & advocatus meretricis Babylonicæ. Quod declaratur ulteriùs, quia juxta Hunium & Heilbronnerum in ſuo Apologetico ſub nomine Anti-Tanneri edito pag. 396. *Pontifex Romanus transferendo Imperium à Græcis ad Francos & Germanos, re & facto demonſtravit ſe verũ eſſe Antichriſtũ, de quo Spiritus S. vaticinatus eſt, quòd terram diviſurus ſit iis, qui juvant illum in manutenendo DEVM Maozim, id eſt cultu & DEO Miſſatico.* Ex his ipſis Hunii verbis videtur deprompta illa Ienenſis Gloſſa in Cap. XI. Dan. ℣. 39. [ET FACIET, VT MVNIAT MAOZIM, &c. ET TERRAM DIVIDET, &c.] *Antichriſtus illos, qui promovent ejus ſuperſtitionem defenduntq; ejus Regnum & Religionẽ inſigniter locupletabit, efficietq; illos potentes Dynaſtas in terrâ, uti id impletum in Papatu apparet, in Epiſcopatibus & Abbatiis in honorem DEI Miſſatici erectis, in quibus ſæculare regimen obtinent, & divitiis redundant: Cardinales Regibus, Epiſcopi & Abbates Ducibus aut Principibus exæquari prætendunt.* Atqui inter illos, qui juvant Papam in cultu S. Euchariſtiæ, (ſeu *DEO Miſſatico*, ut ſanniones blaſphemi impiè appellare maluerunt) præcipuè excellunt Cæſares è Domo Auſtriacâ electi. Ergò in his Imperatoribus vel maximè refulget illa habitudo ad Papam Antichriſtum. Deniq; *Confirmatur IV.* quia chimæricum eſt, quod fingit Muſæus unum eundemq; Papam eſſe Miniſtrum Chriſtianæ Eccleſiæ legitimum, (& ſub hâc habitudine poſſe Cæſarem Papæ filium & defenſorem eſſe:) ſimul tamen poſſe eſſe magnum Antichriſtum, (& ſub hoc reſpectu Cæſarem non ejus filium & advocatum.) Antichriſtus corde & ore pernegat, IESVM eſſe Chriſtum DEVM, ſed ſeipſum talem jactabit, adeóq; negat & Patrem & Filium, quem nemo Miniſter Chriſti legitimus non poteſt non profiteri. Certè commentitia hæc diſtinctio Muſæi tam abſurda eſt, ut non credam, eum potuiſſe illam etiam Theologiæ tyronibus perſuadere. Minùs certè abſurdum foret dicere, licere cum Dæmone inire pactum, ita ut doceat hominem ſcientias, augeatque divitiis, homo viciſſim illum veneretur. (cultu minimè latreutico) tanquam creaturam eximiam, non quatenus DEO rebellis eſt. Hæc duplex habitudo ad Dæmonem majori cum apparentiâ fingeretur, quàm illa Muſæana ad Papam. Verè enim à parte rei Dæmon eſt eximia DEI creatura, & eatenus veneratione dignus videri poſſet, licèt ob perduellionem in DEVM omni contumeliâ digniſſimus. Manifeſtè autem contradictionẽ implicat, Papam eſſe magnum Antichriſtum, qui quicquid IESV CHRISTI eſt, extremè perſequitur, & tamen eſſe miſſum à CHRISTO miniſtrum. Commerciũ cum Dæmone ſub nullâ habitudine, niſi fallor, admittet Muſæus; cur verò magis liceat cum Antichriſto, in quo (ut loquitur S. Hieronymus ex ſenſu omniũ Scriptorũ Eccleſiaſticorũ) TOTVS SATANAS HABITATVRVS EST CORPORALITER? Ex quibus omnibus clarè infertur, crimen læſæ Maj. eſt. Cæſareæ admittere, quicunq; eũ meretricis Babylonicæ filiũ & Antichriſti advocatũ criminari nõ perhorreſcũt.

Nec valet exceptio Muſæi, quâ Diſſert. I. num. 74. ait: *Crimen læſæ Majeſtatis non committi, niſi per ea quæ ipſam poteſtatem imperandi lædunt: Abſurdũ verò eſt dicere aſſertione Proteſtantium de Papâ Antichriſto lædi Cæſaris Majeſtatem. Nam illa Proteſtantium aſſertio eſt Theologica, Scripturarum vaticiniis innixa, pertinetq; ad fidem & religionem, ut, ſi falſa eſſet, Cæſarem perinde ut fideles alios lædere ſaltem poſſet in fide & religione quam profitetur, (hoc enim ſolũ adverſatur:) Sin vera, ſicut eſt, errorũ quidem in religione arguere poteſt quoſvis qui τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ non penetrantes Papam Antichriſtum eſſe non norunt nec credunt, lædere autem eos de jure non poteſt. Sicut Apoſtoli Gentiliſmum redarguentes non lædebant Majeſtatem Cæſarum & Regum, qui ei addicti erant; ita nec hodie lædere Majeſtatem Cæſaris dici poſſunt, qui Myſterium iniquitatis,*

quod

quod in ejus oculis per objectas Sophiſtarum nebulas adhuc tectum eſt, ad normam verbi divini (per Ienenſes Gloſſatores) detegunt & manifeſtant. Reſpondeo. Multipliciter peccat hæc evaſio Muſæi; Admiſſa enim Majore, totum, quod ſubſumitur, falſum eſt exceptâ unicâ hâc ſententiâ. [*Errorem aſſertione veritatis arguere non eſt lædere*] Nam 1. Cùm ad Majeſtatem & dignitatem Cæſaris ſpectet, quòd præcellat univerſos Reges Chriſtianos, & juxta Bullam auream aliáſque leges fundamentales Imperii non poſſit admitti ad coronam & majeſtatem Imperialem, niſi ſanctè juraverit, *ſe Defenſorem fore S. Romanæ Eccleſiæ in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fuerit adjutorio*; item cùm intuitu hujus muneris, quo Advocatus Eccleſiæ Romanæ eſt, nonnulla Cæſari competant jura & indulta in ipſis rebus Eccleſiaſticis &c. hinc liquidò apparet, omnem illam dignitatem, majeſtatem, & jura labefactari & ſubverti, ſi Papa ſit magnus ille Antichriſtus, & Cæſar ex officio juratus ejus Defenſor, qui & Regalia conferat tot Archi- & Epiſcopis (juxta Lutherum) Antichriſti ſatellitibus. Hæc quis tam ſtupidus eſt, qui non intelligat eſſe veriſſima? II. Ratio, quâ ſuam aſſertionem fulcire nititur Muſæus, omnino falſa eſt; Illa enim aſſertio non eſt Theologica niſi æquivocè, hoc eſt, ſicut Hæreſis Religio eſt & Sophiſtice eſt Philoſophia. Et licèt in qualicunque ſenſu poſſet dici Theologica, nimis falſum tamen & abſurdum eſt, ita pertinere eam ad fidem & Religionem, (æquivocè dictam ſicut caſeus ligneus &c.) ut non pertineat ſimul ad contumeliam & probrum Imperatoris. Quid, quæſo, diceret cum ſuis Collegis Muſæus, ſiquis noſtrûm aſſumeret illam veſtram propoſitionem. [Cuicunque conveniunt omnes proprietates & notæ Antichriſti, eſt Antichriſtus,) ac poſtea ſubſumeret: [At ex vaticiniis S. Scripturæ & experientiâ evidens eſt, illius notas convenire M. Luthero. Ergò ille eſt Antichriſtus, & Elector Ducéſque Saxoniæ eum defendentes ſunt Antichriſti ſpirituales filii & defenſores.] Nónne clamares, has eſſe meras calumnias in Sereniſſimos veſtros nimis probroſas & injurias &c. At quid ſi reponeremus: *Noſtra aſſertio Theologica eſt &c.* Sanè minorem ejus argumenti haud paulò ſpecioſiùs nos firmare poſſemus, ſi liceret liberè que nobis verba ſacra in ſenſu myſtico, ænigmatico, accommodatitio, tropico &c. torquere in Lutherum ejuſque aſſeclas.

III. Si Romanus Pontifex in Antichriſtum degeneravit jam à mille annis, neceſſe eſt, à totidem jam annis ſublatum fuiſſe Romanum Imperium, cùm hæc ſit certa nota adventûs Antichriſti ex 2. Theſſ. II. At hæc eſt manifeſta injuria in Imperatorem & totum Imperium Romano-Germanicum, cùm juxta illos Fabulones vanum nomen Imperii præferant, adeóque glorientur inaniſſimo titulo, quem ad illos tranſtulit Antichriſtus nominaliter ſcilicet & imaginariè. Quis ex ipſis Proteſtantium Principibus & Politicis ſeriò ſtudioſus Auguſtalis illius dignitatis non fateatur, id eſſe ipſis quoque Proteſtantibus valdè probroſum? Porrò ſimile, quod Muſæus ducit à Gentiliſmo ab Apoſtolo ſine crimine læſæ Majeſtatis redarguto, nimis eſt diſſimile. Nam Gentilium Imperium ex eâ parte, quòd vero Dei cultu careret, nullam contrahebat maculam, licebatque etiam Chriſtianis fidelitatem jurare & præſtare Imperatoribus illis. At, ſi Papa Antichriſtus eſſet, nemo ſine impietate ſceleratiſſimâ poſſet ſub quacunque formalitate ei protectionem jurare; & qui ſecus faceret, ab omnibus meritò damnaretur, tanquam Reip. Chriſtianæ hoſtis & proditor.

Quodſi

Quodſi fortè contra hæc replicando Muſæus diceret : *Ex ipſo ſilentio Cæſaris & Procerum Catholicorum ſatis colligi, non ſentire illos inde ſibi injuriam & probrum inferri* ; Reſpondeo. Sicut in Germaniâ aliisque hæreſi infecti regnis toleratur crimen læſæ Majeſtatis divinæ , quod ob hæreſes vel maximè incurritur ; ita & crimen læſæ Majeſtatis humanæ illi alteri annexum diſſimulatur , ſive ob ulciſcendi impotentiam , ſive ob majora mala evitanda. Alioqui cenſeri illud dogma de Papâ Antichriſto Principibus Catholicis admodum probroſum , abunde oſtendit peculiari libello Vlricus Hunnius ICtus ; & Sereniſſimus Maximilianus Dux Bavariæ , poſtea Elector in Colloquio Ratisbonenſi anno 1601. Seſs. 3. ad obtundendum impudens os Hunnii Prædicantis , liberâ voce pronunciavit : *Vos appellaſtis Rom. Pontificem Antichriſtum , quæ eſt injuria inſignis & clariſſima ; & hoc nunquam probabitis.* Et rurſus : *Imo eſt injuria inſignis , quæ redundat in omnes Catholicos.* Sic & in Galliâ vicinâ (ut notat Henricus Spondanus Appamiarum Epiſcopus ad A. C. 1603. num. 5.) Rex Henricus IV. quantumvis alioqui ſatis indulgens in Profeſſores Reformationis prætenſæ , tamen cùm Miniſtri Calviniani , tum in Vapincenſi anno 1703 , tum in Rupellenſi conciliabulo anno 1607 , ſuæ Confeſſioni infererent hunc articulum : [*Romanum Pontificem eſſe ipſiſſimum Antichriſtum* ;] irritatus eorum effronti ac repetitâ impudentiâ Rex Chriſtianiſſimus ſeveriſſimè prohibuit , ne quid in ſuis ſcriptis impuriſſimi garrire auderent. Quod ipſum & Hugo Grotius, licèt extra communionem Catholicam mortuus teſtatur : *in hoc Regem illum prudentiſſimorum virorum uſum conſilio.*

Tertium & ultimum conſideratione digniſſimum eſt , quòd Muſæus cum Sociis ſuis ex unâ parte non deſiſtant calumniari Nos tanquam SS. Literarum oſores aut contemptores : [*Sophiſtæ*, inquit, *vident, cum tantâ luce SS. Scripturarum ſtare non poſſe doctrinas commentitias de primatu Papæ , de Sacrificio Miſſatico*, &c. Item , *Iudicium & tribunal ſacræ Scripturæ omnibus modis ſubterfugiunt ; ideóque artes , methodos , fraudes, fallaciarum præſtigias , tricas & ſtrophas commenti ſunt*, &c.] ex alterâ autem parte,poſtquam Confeſſio Catholica è ſolis ſacræ Scripturæ verbis contexta , per P. Iacobum Maſenium in latinâ & vernaculâ linguâ typis evulgata , Theologorum in Academiis Proteſtantium vel approbationem , vel contradictionem & refutationem poſtulavit ; Muſæus in Diſſert. I. num. 25. non erubuerit eam P. Maſenii Concordiam explodere *tanquam Sophiſticum commentum , quo principium illud Proteſtantium , quod ſola S. Scriptura credendorum principium ſit & regula, ſycophanticè in eum ſenſum detorqueatur , quod nihil in credendis habendum ſit, quod non expreſſis verbis in Scripturis legatur , & hoc etiam meditatam Concordiam fundamenti loco ſubſtraviſſe.* Quis hîc non ſtupeat hominis perverſitatem ? Potuiſſétne Muſæus æquiorem & Proteſtantibus omni acceptatione digniorem methodum concordiæ inter partes diſſidentes reparandæ excogitare,quàm hanc ipſam, ſiquidem Proteſtantes ſeriò concordiam cum Romanâ Eccleſiâ , & Confeſſionem ex ſolo Verbo DEI ſcripto deſiderant ? Nónne multò magis exiſtimanda eſt Verbo DEI conformis ea Confeſſio, quæ ſolis S. Scripturæ verbis conſtat, quàm quæ tantùm conſequētiis nititur ? Cùm præſertim experientiâ cōſtet, has ſemper claudicare, merisq; ſophiſmatis conſtare , quæ Lutherani Catholicis opponunt : ut vel ex illâ ſolâ demon-

ſtratione de Antichriſto ad oculum patet. Cunctis ergò non ſponte excutientibus manifeſtum eſt, Muſæum cum ſuis Gregalibus proprio gladio eſſe obtruncatos per eam P. Maſenii Concordiam, eóſque toti Europæ palàm facere, quàm deſperata ſit cauſa Lutheri & Calvini, dum Confeſſionem Maſenianam & acceptare detrectant, & nihilominus eandem aggredi & refutare non audent. Quid æquius, quid prudentius potuit proponi omnibus veritatis cœleſtis ſinceris amatoribus, in quocunque cœtu verſentur, eo, quod P. Maſenius in 1. parte pag. 4. propoſuit? nempe: *Etiamſi Romani ad ſolam Scripturam S. claris apertisque verbis differentem minimè provocent, ſed agnoſcant, plures ambigui incertique ſenſus, in ipſis etiam Symboli Apoſtolici articulis, ſententias occurrere, ideoque pro definito illorum ſenſu ad perpetuam Eccleſiæ Doctorumque illius interpretationem confugiendum eſſe tradant: tamen quibusdam ex illis viſum eſt, placuitque melioris etiam mentis Proteſtantes experiri, utra partium clarioribus magisque pro ſuâ Confeſſione expreſſis Scripturis niteretur; ideoque operæ pretium judicavi fore, ſi qua in controverſis maximè fidei punctis, propter quæ ſcinduntur Eccleſiæ, prodiret Confeſſio talis S. Scripturæ verbis concepta, in quam utraque pars conſentire teneretur. Nam ex hac manifeſtum erit, quænam illarum ad Verbum Dei ſcriptum clarumque propiùs accedat. Quodſi verò talis Catholicorum deprehenderetur eſſe, quæ Romanæ Confeſſionis ſua dogmata proponeret, jam tum amplius dubium nulli etiam Proteſtantium futurum, inter tot diverſas Chriſtianorum Eccleſias ſolam Romanam incorruptæ veritatis, (quæ penes aliquam Eccleſiam ex promiſſione Chriſti ſupereſſe debet,) poſſeſſionem rectè tueri. Nam ſi illæ, quæ ad ſolum Verbum Dei ſcriptum clarumque provocant. Eccleſiæ, vincantur per hoc ipſum ab ea, quæ cætera ſuæ propugnationis præſidia deſerit, ut pro arbitrio adverſariorum tantùm in hac arena compareat; quid reliquum eſt, niſi ut illi veritatis ſalutisque cauſa, in hujus denique partes lubentes volenteſque concedant, plus gloriæ habituri, dum piè ſuccumbunt, quàm dum perverſè obluctantur.* Ita P. Maſenius. Ad quæ Muſæus hactenus nec mutire auſus, reipſa oſtendens cum omnibus Academiis Luthero & Calvino addictis, ſe nec velle æquiſſimæ propoſitioni acquieſcere, nec poſſe quicquam aut Fidei Chriſtianæ, aut rectæ rationi repugnans in Maſeniana methodo demonſtrare. Etiam hîc non modò ad quorumvis Gentilium ſapientium, ſed etiam ad inimicorum noſtrorum Græcorum judicium provocamus. Sed quid opus eſt ad judicium vel Philoſophorum vel Græcorum provocare, cùm ex ipſo Muſæo idem apertè convincatur. In Apend. 1. Parall. pag. 10. produxi hæc ejus verba: [*Quibusvis Hæreticis in more poſitum eſt, ut hinc indè congeſtis S. Scripturæ dictis, variiſque in ſubſidium vocatis humani ingenii interpretationibus, diſtinctionibus & rationibus falſitatem ſtabiliant & contra Fidei veritatem deſtructum eant, idqueſæpe non ſine magna probabilitate faciunt, ut non præter cauſam dixerit Tertullianus*: Scripturas obtendunt (*hæretici*) & hac ſua audaciâ ſtatim quoſdam movent, in ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt &c.] Hoc Muſæi teſtimonium eſt omnino

verum

verum, (ſi excipias, quod de probabilitate hæreſum dicit;) ſed cauſam Lutheranam penitus obtruncat: Catholicorum verò (& quoad meditatam Concordiam Maſenii, & quoad Methodum Veronianam ſive Auguſtinianam ipſis tantopere exoſam) validiſſimè confirmat. Nam cùm nullam Lutherani admittant infallibilem Eccleſiæ traditionem & definitionem, non poſſunt illi ex ſuis principiis aliquid contra articulos Catholicos efficaciter probare, niſi per ea, quæ ſunt in SS. Scripturis clariſſimè expreſſa. Nam quæ talia non ſunt, poſſunt juxta Muſæum probabiliter in utramque partem diſputari. Ergò fruſtra Lutherani aliquid contra Catholicos objiciunt, niſi quod ſit clariſſimè in Scripturis expreſſum, & conſequenter non poſſunt rationabiliter recuſare & methodum Verono-Auguſtinianam & Concordiam Maſenianam. Manet igitur inter opimiſſima ſpolia huic tertio Trophæo affixum argumentum hoc ab annis XII. l. c. Muſæo tactum. Juxta vos non habendus fidei articulus, qui non in Scripturis exprimitur. Sed nulla interpretatio, nulla illatio Lutheranorum in Scripturis exprimitur. Ergò nulla interpretatio, nulla illatio Lutheranorum habenda eſt articulus fidei. Ergò juſtiſſimè adiguntur ad oſtendendam expreſſis Scripturis vel unius articuli Catholici falſitatem, & oppoſiti Lutherani veritatem. Ergò iniquè & fruſtra detrectant uſum Methodi Verono-Auguſtinianæ, ac multò magis vel acceptationem vel refutationem meditatæ Concordiæ, quam P. Maſenius juſtiſſimè à Proteſtantium Academiis exegit.

CAPUT OCTAVUM

Tyrocinium Wigandi in eâdem Carnificinâ.

HActenus Rabbinorum Ienenſium Gloſſas Bibliacas earúmque hyperaſpiſten Ioan. Muſæum excuſſimus: nunc quia aliquid temporis ad inſtantes Francofurti vernas nundinas ſupereſt, juxta id, quod in fine Procemii pollicitus ſum, Wigandica nonnihil luſtrabimus. Dico, *nonnihil*, quia nec per tempus licet, nec ob ullam ſpem fructûs libet cuncta diſcutere, & totam ſentinam exhaurire; quando enim perveniretur ad fundum? Et quidem cùm omnis ejus labor in duobus verſetur, nempe vel in honore ſuo vindicando, quæ ſunt PERSONALIA; vel in Lutheraniſmo, ad quem geminatus *apoſtata*, (id enim proprie exprimit ly Abfall, quâ voce in re ſua ipſe utitur p. 2. pag. 43. & alibi) recens defecit, defendendo, quæ ſunt REALIA; Ego poſteriora tantùm, & quidem intra certos terminos attingam. Quoad PERSONALIA, quámvis in me præcipue præ aliis omnibus convitia contumelialque petulantiſſimè contorſerit, ea tamen omnia non plùs morabor

quàm graculorum garritum, aut corvorum crocitationem, non modò ob communem illam rationem, quâ in Proœmio dixi, me in lucris ponere omnes illas BENEDICTIONES LVTHERANAS, dum Catholicam Eccleſiam & Hæreticorum Antichriſtum propugno; ſed etiam ſpecialiter, quia convitia & calumniæ Wigandicæ magna ex parte ſunt perſpicuæ falſitatis, ut etiam Externi, nedum Noſtri, nôrunt. Certè unicam illam relationem de Lancicio pag. 64. ſi opus foret, demonſtrari poſſet, facilè XXX. veſtiri mendaciis. Et, quæſo, apud quem prudentem, & æquum Lectorem mereatur fidem Wigandus, qui tam ridiculo adulationis in Muſæum ſtudio, & plùs quàm delirâ temeritate auſus eſt pag. 78. dicere, *me altum deſperatumque tenere ſilentium*? Vt nunc diſſimulem, quod non minori temeritate, majori autem injuriâ, ſolâ ſuſpicione de me Confutationis auctore actus, in tot ſcurriles calumnias eruperit. Quem enim verò, Wigande, facis ex teipſo? Inter Lutheranos Tyro es ſive Proſelytus, aut (uti Tu ſereniſſimum Landgravium Erneſtum jam ſupra 20. annos Catholicum pag. 8. appellâſti) *Neophytus*. Credisne me non niſi ſub Anonymi larvâ tecum congredi auſurum, ſi tui refutandi mihi imperaretur provincia? Nunquam, ut ipſe jam ferè à 30. annis nôſti, ullum adverſarium ex Evangelio ſive Lutheri ſive Calvini reformatum, non exhibito in fronte meo nomine, ſtylo oppugnavi. Cur te *Neophytum* Lutheranum formidarem, qui potiùs miſerandus, aut certè contemnendus es? ſed, ut dixi, hæc univerſa ad PERSONALIVM claſſem pertinentia dimittamus; ex ipſâ REALIVM ſive Controverſiarum à te ventilatarum turbâ minimam partem delibabo. Non enumerabo mendacia, calumnias, quas oppidò ſpiſſas graviſſimis Auctoribus non raró impegiſti: Non perſequar, quàm fraudulentè, & mala fide, nullo etiam indicto libro, vel capite, Auctores allegaveris. [Certè, ut unicum è multis notem, pag. 5. citas contra Nos Tolet. Leſſ. Lugonem &c. cùm hic directè contrarium dicat Dp. 14. ſect. 6. num 61. & 81.] Non oppugnabo plura ex tuis illationibus telâ araneorum levioribus: Non excutiam vanas jactationes tuas & impoſturas, jam toties protrita & exculcata ſophiſmata: (vix certè aliud, quàm rancidas paſſimque obvias Luthero-Calvinicorum merces video:) id unum igitur nunc agam, ut Orbi oſtendam, quàm bene & Tu, paucorum menſium Tyro, ſeu *Neophyte*, profeceris in hâc SS. Literarum carnificinâ. In hâc certè unicâ conſiſtit tota praxis Theologiæ Lutheranæ, ſicut univerſam Theoriam principiorum ejus vidimus Trophæo ſecundo conſiſtere in illo ſpiritu privato, quo ſupernaturaliter concuti Vos experimini ad credendum, hoc eſſe Verbum Dei, ejusque ſenſum, aut certè cum eo connexum. Hoc unicum igitur nunc agamus: Perluſtremus præcipua tuorum Motivorum fundamenta, Verbo Dei, ut tu contendis, innixa; diſpiciamus, inquam, an vel clarè in Scripturis expreſſa ſint, vel cum clarè expreſſis irrefragabiliter & evidenter connexa? Hanc quippe legem tu ipſe videris non obſcurè tibi fixiſſe part. 11. pag 47. & 74. Vt autem diſtinctiùs procedamus, priùs examinabimus ipſa à Te adducta Scripturæ loca, an vel unicus ex iis ſit, quo expreſsè evertatur ullum dogma Catholicum? Deinde conſiderabimus Illationes è clarè expreſſis Scripturæ enunciationibus deductas.

PARS

Digitized by Google

PARS PRIOR

An Wigandus vel unicum S. Scripturæ locum pro ſuo Lutheraniſmo Catholicæ Fidei expreſsè contradicentem adduxerit?

R*Eſpondeo.* Tantùm abeſt, ut vel unum reipſa adduxerit, ut vix id tentaverit, & in ipſis paucis, pro ſuâ vel à votis vel à Fide defectione allatis, tam fœdè lapſus eſt, ut fidelem Jenenſium Rabbinorum Neophytum & diſcipulum agnoſcas. Vti ex dicendis patebit.

Primam Torturam exhibet Revocatorius Sermo, dum turpitudini Apoſtaſiæ ſuæ folia ficûs prætexturus non erubuit verba Deiparæ virginis Luc. I. v. 24. [QVOMODO FIET ISTVD, QVONIAM VIRVM NON COGNOSCO?] hoc modo in cataſtâ explicare. Adnumero verba Wigandi vernacula: die Mutter deß HErren ſagt nicht zu dem Ertz-Engel / ich hab ein Gelübd gethan; ſondern / ich erkenne keinen Mann / ich bin unverheyrath / und noch ledig. Id eſt, Mater Domini non dixit Archangelo, Votum feci; ſed, virum non cognoſco, non ſum deſponſata, ſed adhuc ſoluta. Quàm præclarè hic Neophytus profecit ad pedes Rabbinorum Ienenſium! Vix ad eorum ſynagogam admiſſus Gloſſatorum heroica facinora, ſi non ſuperare, ſaltem exæquare auſus eſt; Nam non obſtante eo, quòd Evangeliſta eodem capite verſu 26. & 27. ait: [MISSVS EST ANGELVS GABRIEL A DEO AD VIRGINEM DESPONSATAM VIRO] Wigandus pronunciat, Virginem contradixiſſe Evangeliſtæ. Illa enim verba [QVONIAM VIRVM NON COGNOSCO] aliud non indicare, quàm, ſe adhuc innuptam, *nec viro deſponſatam*. Nónne hic ſole meridiano clarius eſt, totum Collegium Theologorum Ienenſium tam palmarem, & propè palpabilem lapſum Neophyti ſui approbaſſe, ac univerſæ Germaniæ verbis vernaculis palàm feciſſe, Licere pro votorum liberâ licitâque tranſgreſſione aſſerendâ directè contradicere Evangelio? Quomodo enim poſſet contradictio apertiùs proponi? Lucas ait: *MARIAM DESPONSATAM VIRO.* Iuxta Wigandum (cum conſenſu Collegii Theologici in illuſtri Academiâ Ienenſi) eadem Virgo Deipara ait: *ſe non eſſe deſponſatam, ſed ſolutam.* Quis hîc non exclamet: *O cœci duces cæcorum!* Itane vos faſcinavit & dementavit rabies mulieroſa, ut perfrictâ fronte verba Deiparæ Virginis ex ſenſu SS. Patrum & Eccleſiæ Catholicæ (imò & Ioa. Gerhardi Ienenſis) votum virginitatis perpetuæ exprimentia, non modò pervertere, ſed etiam Evangeliſtæ directè & claris terminis contradicere faciatis? Et hæc de prima Wigandi tortura ſufficiant.

Secundam igitur exercet ibidem in his verbis 2. Cor. VI, v. 10. [OMNIA HABENTES ET NIHIL POSSIDENTES.) Ad quæ Wigandus ſic: Ich halts mit dem Apoſtel: Wir haben alles / und beſitzen nichts / daß iſt / Gott verſchafft unß die noth-

Digitized by Google

turfft/das Hertz aber hängen wir nicht an das zeitlich. latinè ſic: Sentio cum Apoſtolo: Omnia habentes, & nihil poſſidentes, id eſt, DEUS providet de neceſſariis, ſed nos cor temporalibus non affigimus. Biblia Lutheri ex editione Norimbergenſi Ann. 16.. 1. ſic habent: als die nichts innen haben / und doch alles haben. Nihil poſſidentes, omnia habentes. Quæ propoſitio ſi uti jacet in Wigando & Bibliis Lutheranis, paradoxa eſt, & ſeipſam falſificans. Quomodo enim, qui nihil poſſidet, omnia habet? Itaque relictis his Textu & Gloſsâ Lutheranis reverâ indicat Apoſtolus iis verbis, ſe, juxta præceptum Domini Math. 10. Apoſtolis duodecim in temporariâ illâ miſſione impoſitum, & juxta quod S. Petrus Matth. XIX. nomine omnium dixit: ECCE NOS RELIQVIMVS OMNIA, Evangelicam paupertatem profeſſum, nullius rei dominium, nullius poſſeſſionem juris ſeu civilem habere; & nihilominus, eò quòd ſibi paterent ædes omnium fidelium, qui libenter ſua bona communicant, nihil ſibi deeſſe. Quod certè congruit ſolis iis, qui Expropriationem, qualem Chriſtus Juveni illi ſuaſit, qualem Apoſtoli ſectati ſunt, qualem & omnes verè religioſi profitentur, in opere & veritate exhibent. Hoc verò minimè competit iis, qui licèt non apponant cor divitiis, his tamen affluunt. Certè SS. Abraham, David, Salomon, (ante Apoſtaſiam) etſi cor divitiis non affigerent, non poterant tamen dicere, *tanquam nihil habentes, omnia poſſidentes.* Et huic ipſi enunciationi manifeſtum eſt non æquivalere Wigandicam, quæ proinde non niſi equuleo & fidiculis extorta eſt ad palliandam ſacrilegam ſuam Proprietatem jam olim in Ananiâ & Sapphirâ damnatam. Illud denique non diſſimulandum, cur ipſe cum Bibliis Norimbergenſibus pervertat dictum Apoſtoli, cujus hæc ſunt verba in Originali, ὡς μηδὲν ἔχοντες καὶ πάντα κατέχοντες latinè, *tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes.* Cur, inquam, iſtud Tu pervertis, & abſolutè non addito *TANQVAM* ponis, *omnia habentes, nihil poſſidentes?*

Tertiò, Ex Apologiâ pag. 16. occurrunt illa verba Salvatoris Matth. XI. ℣. 18. VENITE AD ME OMNES, QVI LABORATIS ET ONERATI ESTIS, ET EGO REFICIAM VOS.-- IVGVM ENIM MEVM SVAVE EST, EL ONVS MEVM LEVE. Huic textui hanc apponit Gloſſam Wigandus; *quia Fides in IESVM Chriſtum, qui obedientibus cæleſtia bona promittit, apud fideles tantum operatur, ut Mundum, & ea, quæ in Mundo ſunt, honores, opes, voluptates vincat, & pro nihilo ducat; quia etiam, quicquid humanæ infirmitatis & imperfectionis in obſervatione mandatorum miſcetur, credentibus à DEO indulgetur intuitu Fidei & remittitur. Hos proinde peccatorum pondere gravatos invitat, ut cum fiduciâ ad ſe veniant. Venire enim ad* Chriſtum, *exponitur per* πιστεύειν *vel credere*, &c. *Non loquitur autem de jugo Votorum Monaſticorum, quod homo ſponte liberâ ſibi imponit; Nam hoc non eſt jugum Chriſti, quod ipſe nobis imponit; id ipſe hic non vocat leve, quia eſt grave, & cum tempore poteſt homini fieri intolerabile, cum ſcilicet Prælatus jugum obedientiæ inſtar Roboami aggravat.* Ita tu quidē Wigande; Ego verò abs Te, *Neophyte* interpres, quæro

Digitized by Google

quæro Primò, Quibus clarè expreſſis Scripturæ verbis, vel evidenti cum claris connexione Tu excludas à cenſu *jugi ſuavis & oneris levis* Vota Religioſorum, ad quæ CHRISTUS ipſe apertis verbis invitavit Matth. XIX. ℣. 12. & 21.? Quæro abs Te Secundò, Quâ fronte & conſcientiâ poſſis dicere, ea quæ præcepta ſunt & imperfecta, ſi obſerventur, eſſe *jugum Chriſti ſuave & onus leve*; non verò, ſi obſerventur ſponte, quæ Chriſtus tanquam perfectiora voluit, non ſub legis ponere neceſſitate, ſed libero cujuſvis arbitrio relinquere? Nónne Amor DEI ardens, ſine quo ipſorum præceptorum obſervantia eſt difficillima, efficit ipſa conſilia Chriſti leviſſima & ſuaviſſima? Quæro abs Te Tertiò, Poſſisne vel unicum Doctorem (non hæreticum, qualis Iovinianus Chriſtianorum Epicurus) à temporibus Apoſtolorum uſque ad Apoſtaſiam Lutheri adducere, qui non idem prorſus, quod Nos Catholici de Conſiliis Evangelicis & Votis Monaſticis docuit? imò nunquid non verbo tantùm, ſed proprio exemplo id ſanxêre è quatuor Græcæ & totidem Latinæ Eccleſiæ Doctoribus SS. Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius M.? Quærò adhuc Quartò, Quomodo cohæreat hæc tua violentè è verbis Chriſti extorta aut potiùs illis afficta perſuaſio, quòd non niſi ſtrictè præcepta cadant ſub *jugum ſuave* Chriſti; cùm tamen aliàs contendatis, nullum verè fidelem eſſe aut membrum propriè dictum Eccleſiæ, qui non *Spiritu DEI agatur*? Qui autem *Spiritu DEI agitur*, nec *quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ* IESU CHRISTI, is certè contentus non eſt, facere tantùm voluntatem DEI deſpoticè præcipientem, ſed extendit ſe ad beneplacentem & perfectam, dicens cum Apoſtolo: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Quæro abs Te Quintò, Quo vel apparenti Scripturæ loco poſſis perſuadere homini prudenti, Te, cùm toties renovaturus vota tua ex corde dixiſti DEO Omnipotenti [*impulſus tibi ſerviendi deſiderio voveo perpetuam paupertatem, caſtitatem & obedientiam*] violaſſe aliquod præceptum DEI; econtra verò Te jam poſt 40. annorum caſtitatem, paupertatem & obedientiam ſolenniter profeſſam impleviſſe præceptum DEI, ducendo famoſam illam Naumburgicam in concubinam, non obſtante illo Apoſtoli 1. Tim. V. ℣. 12. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*; acquirendo & poſſidendo proprium, quin incurras ſacrilegæ rapinæ reatum, tam horribiliter in Ananiâ & Sapphirâ punitum; & confringendo obedientiæ jugum ſponte ſuſceptum, quin ſpernas eum, qui dixit: *Qui Vos audit, me audit: qui Vos ſpernit, me ſpernit.* Contra hos ſtimulos calcitrare durum eſt conſcientiæ, quæ non contraxit callum damnabilis obſtinationis.

Porrò cùm in cæteris, PERSONALIBUS ſcilicet, locus non fuerit allegationi Scripturarum, credebam, Te ritu Lutherano in tuis Motivis largiter iis uſurum: at miranda eſt tua in hoc parcitas, ſed pariter in tantâ parcitate deteſtanda perverſitas.

Quartò igitur in tertiâ parte ſeu Motivis tuis pag. 57. ais ſic contra Eccleſiæ Catholicæ amplitudinem: [ſed hanc dilatationē Romanæ Eccleſiæ non admittimus pro Nota vel argumento veræ ſalvificæ Eccleſiæ. Chriſtus non dedit hunc titulum ſuæ Eccleſiæ, ſed nominavit illum *puſillum gregem* Luc. XII. ℣. 32. NOLITE TIMERE PUSILLUS GREX.] Verùm eſt hæc evidens violentia, quâ id quod dictum eſt ſolùm Diſcipulis præſentibus, detorquetur ad univerſam Eccleſiam deinceps per illos colligendam. Hanc enim manifeſtè Mar. XVI. ℣. 15. & Act. I. ℣. 8. definit termino *omnium Gentium & ultimo*

ultima terræ. Certè nihil minùs, quàm puſillum gregem Lutheranorum intellexiſſe Chriſtum in illâ allocutione, manifeſtè patet è ſeq. verſu 33. *Vendite, quæ poſſidetis & date eleemoſynam.* Nunquid enim juxta Evangelium veſtrum Luthericum nulla dantur in Evangelio Chriſti conſilia, ſed omnia ſunt præcepta? Ergò & hoc de vendendis omnibus poſſeſſis & in eleemoſynas erogandis. Quis autem Lutheranorum hoc facit? imò quis non ut ſuperſtitioſum & monaſticum damnat? Alterutrum igitur, Neophyte, cogeris fateri, Vel non eſſe vos illum puſillum Chriſti gregem, Vel non ſervare unquam ejus præceptum de vendendis omnibus, imò vos damnare illud præceptum puſillo gregi impoſitum. Sed ſupereſt adhuc aliud hîc conſideratione dignum, *puſillum illum gregem cui regnum dare complacuit Patri, eſſe prædeſtinatorum Eccleſiam* juxta Calvini Evangelium. Vide ſis igitur, Wigande, ne hæc ipſa ſacri textûs carnificina Te apud tuos Symmyſtas faciat Calviniſmi ſuſpectum; cùm præſertim etiam, dum Tranſſubſtantiationis dogma hinc inde arietas, caute tamen ubiquitatem Corporis CHRISTI declines, quàm alias γνησίως Lutherani minimè detrectant, ſed pro baſi realis præſentiæ in cœnâ ſuâ ſupponunt. Si enim ſentis, eſſe corpus CHRISTI ubique; quid, puælo, difficultatis ſupereſt in reali ejus præſentiâ etiam in cœnâ? Cur ergò tam ſolicitè fugis omnem umbram determinati modi, quo fit præſens Chriſtus in cœnâ? Cur verò etiam pag. 47. & 53. vulgo Lutherano (docti enim hoc rident) perſuadere ſatagis, Papiſtas in articulo Fidei de Tranſſubſtantiatione diſcrepare, cùm tamen ignorare non poſſis, ejuſmodi diſſenſiones Scholaſticorum Fidem non attingere. Talia inculcare toties vulgo rerum Theologicarum imperito, nunquid eſt impoſtura futilis ad fallendos ſimplices? uti & viciſſim ſupprimere & diſſimulare monſtroſum dogma ubiquitatis, inter ipſos Lutheranos oppidò controverſum non ſine execrationibus & anathematiſmis. Certè Proceres Norimbergenſes, quibus tuæ inſignis Apologiæ editionem æquè ac Lipſienſibus dedicâſti, (ut jam video dum hæc ſcribo) nunquam tibi patrocinabuntur, ſi Te Vbiquiſtam profitebere. Video, inquam, & rideo. Et quis non rideat? Gladióne, an ſtylo vis à Senatu ampliſſimo defendi? an contra ſcuticam & lumbifragium, quod tibi minatur ſereniſſimus Landgravius? an contra calamos Ieſuitarum, quos Tu cominatione Anatomiæ ſperas coërcendos? an potiùs ſub velo hoc latet Titulus honeſtè mendicandi, quo novella familia Naumburgica fortè opus habet, licèt non legatur in ff. *de acquirendo rerum dominio*? At quid? Non ſuffecit Lipſia? non ſufficiunt ſereniſſimi Elector & Duces Saxoniæ? Sed hoc obiter; redeamus in viam.

Quintò. Verba conſecrationis [HOC EST CORPVS MEVM: HIC EST SANGVIS MEVS] dicis à Catholicis *hæreticè* accipi, quaſi virtute ſolâ horum verborum convertatur panis in corpus, vinum in ſanguinem Chriſti. At hoc non niſi *hæreticè* poteſt à Te dici, & injurioſè in univerſam antiquam Eccleſiam, imò etiam Orientales recentiores omnes, uti de his ſpeciali Gallico tractatu nuper oſtendit Ant. Arnoldus: fatebunturq; ipſi Sacramentarii, id à Te debere admitti, ſi conſequenter loqui velis. Audi, quid de hoc C. Salmaſius contra H. Grotium pag. 556. pronunciavit. *Retorqueri meliùs & vivaciùs in illos telum doctiſſimi Lutherani Theologi poteſt: Aut probent nobis id, quod tradunt,* (ſcilicet conſubſtantiationem;) *aut concedant, ſuum eſſe commentum, quod credunt. Nam niſi ad literam accipiantur verba CHRISTI, uti debere accipi contendunt, longè magis Pontificia favent doctrina,* quàm

quàm Lutherana. Dixit Chriſtus: hoc eſt Corpus meum, cùm panem traderet. Ergò non ampliùs panis fuit, ſed Corpus Chriſti, ut ille, qui veritas eſt, affirmavit, &c. Ita Salmaſius. Ecce ſalutem ex inimicis noſtris? Sanè auſim ſub ſponſione quâvis ſubmittere hæc verba Chriſti cujusvis Philoſophi Gentilis definitioni, An non, factâ ſuppoſitione de Omnipotentiâ DEI & reali præſentiâ Corporis CHRISTI in S. Euchariſtiâ, (quorum utrumque Lutherani admittunt,) pedibus iturus ſit in Catholicam noſtram ſententiam; cùm lumine naturali cognoſcat, panem triticeum non eſſe corpus humanum, & conſequenter, ſi veritas omnipotens pronunciavit, hoc ſub ſpecie panis deliteſcens eſſe corpus ſuum, neceſſe eſſe, ita ſe habere. Tu verò eidem Philoſopho Gentili quid reſpondebis ſciſcitanti: Si hoc eſt Corpus Chriſti, Ergò non eſt panis triticeus; quod enim verè caro eſt, non eſt triticeus panis? aut ſi præfractè jungi contendas utrumq;, manente pane priſtino accedere de novo debet corpus. At quando? & quâ virtute id fit? an vi verborum recitatorum? Sed hoc Neophytus Lutheranus clamat eſſe hæreticum. Ergò per fidem Dantis & Accipientis, vel certè per Vbiquitatem. Non ſecundum; quia hoc monſtrum tollit & Euchariſtiam & omnia myſteria cum Incarnatione Verbi conjuncta. Non prius; quia ſic à Luthero tranſitur ad Calvinum. Si dicas, Te abſtrahere ab omni modo actionis & exiſtentiæ, contentum eſſe, quòd accipias realiter & ſubſtantialiter Corpus Chriſti, quocunq; modo adſit; facilè cum Rintelenſibus admittent Te in concordiam ſui Evangelii Caſſellenſes Calviniſtæ.

Sextò. Pag. 19. illud Edictum Apoc. XVIII. ℣. 4. [EXITE DE ILLA (Babylone) POPVLVS MEVS, VT NE PARTICIPES SITIS DELICTORVM EIVS, ET DE PLAGIS EIVS NON ACCIPIATIS; QVONIAM PERVENERVNT PECCATA EIVS VSQVE AD COELVM] ais accipere Te *de moderna Romanæ Eccleſiæ communione, quam præcipimur fugere, ore & corde abnegare.* Hanc næniam audivimus jam ſuprà occinentes etiam Gloſſatores. Eſt verò, cur ſpecialiter hîc abs Te quæram Primò, ſitne ad ſalutem neceſſarium exire ex eâ Babylone, eámque ore & corde execrari? Secundò, An non conſequenter neceſſaria ſit ad ſalutem notitia hujus Edicti? Tertiò, Vbi id, quod dicis te intelligere per Babylonem ſit expreſſum in Scripturis? vel ex clarâ Scripturâ irrefragabiliter inferatur? Hanc enim Tu Regulam ſuprà pag. 47. & infrà pag. 74. fixiſti. *Nihil credimus*, ais, *ad ſalutem neceſſarium, niſi vel expreſſè ſcriptum, vel inde irrefragabiliter inferatur.* Et rurſus pag. 50. & 59. ais: *Nihil credimus ad ſalutem neceſſarium, niſi à tempore Apoſtolorum SEMPER creditum ſit*, &c. quâ de re infrà fuſiùs. Hoc ſolùm juxta tuam Regulam exigo à Te, ut nobis vel clarè ſcriptum, vel ex clarè ſcripto irrefragabiliter deductum oſtendas, modernam Eccleſiam Romanam eſſe illam Babylonem; aut calumniæ impiæ reus habeare. Quæro iterum abs Te, cùm in die exitûs tui è Babylone (ſcil. Erfurtenſi Collegio) priùs Miſſam celebrâſti, & (juxta Lutheranum Evangelium) idolum Maozim, vel certè panem adoraſti, aliiſque adorandum propoſuiſti, intellexiſtine antè illud Edictum de execrandâ & deſerendâ Babylone Pontificiâ, vel non? Si ita; cur ergò Maozim vel panem priùs adorâſti? aut ſaltem ſimulâſti, aliiſque adorandum exhibuiſti? Si non; cur exiſti? Rurſus, Vel illud Edictum eſt evidenter in Scripturis expreſſum vel ex evidenter expreſſis irrefragabiliter deductum; vel tantùm obſcurè & probabiliter. Si hoc; cur ut Verbum DEI admittis? Si illud; cur per 40. annos non

Digitized by Google

PUBLICANUS.] *Meritò, ais, reſpondemus Papiſtis; Quod ſi intelligant obedientiam, quæ ſit præſtanda Romano Pontifici, tanquam omnium Eccleſiarum Capiti & Gubernatori ſupremo: dictum illud minimè ad rem facit. Quodſi verò accipiendum ſit de obedientiâ, quam in rebus propriè per Catholicam ex SS. Literis ſufficienter explicatis exhibere tenemur; tunc profectò Proteſtantium Eccleſiæ non deerunt ſuo muneri, ſed univerſalem, vel quamvis aliam Catholicam & orthodoxam Eccleſiam libenter audient. Quanquam allegata ſententia Matthæi de hâc obedientiâ Eccleſiæ debitâ non loquitur: nam in ea agitur de Chriſtiana fraterna correptione proximi, quæ fit alicui, qui peccavit in fratrem ſuum, ac in præſentia cœtus vel Seniorum, vel Prælatorum, vel etiam de Excommunicatione Eccleſiaſtica, ut ſatis conſtat è plurium Doctorum interpretatione.* Huic porrò expoſitioni tuæ præmiſiſti hanc interrogationem: Ergóne nos Evangelici ad ſalutem neceſſariam obedientiam non exhibemus Eccleſiæ ejuſque Capiti? Reſpondeo, Tu dixiſti. Ita torques verba Chriſti in omnem partem, tantùm ut verum ſenſum Lutheraniſmo è diametro adverſum effugias. Quod enim ais de obedientia, quam Proteſtantes exhibere parati ſunt Eccleſiæ, verba ſunt inaniſſima. Quomodo enim & cui obedient Eccleſiæ? An propriè dictæ veſtræ inviſibili & utopicæ? Sed hæc audiri & videri nequit. An viſibili & impropriè dictæ? Sed hæc fallibilis eſt juxta vos. Cur ergò Ethnicus & Publicanus ſit, qui illam fallibilem audire non vult in rebus Fidei præcipientem? Optimè igitur Bellarminus lib. 2. de Concil. c. 2. dicit: [Sive pauci ſive multi privati, ſive Epiſcopi congregentur in nomine Chriſti, omnes habent Chriſtum præſentem & adjuvantem, & obtinent, quod eis convenit obtinere. Sed in Congregatione paucorum & privatorum adeſt Chriſtus, ut eos adjuvet in rebus privatis & parvis; in Congregatione autem Epiſcoporum adeſt, ut eos adjuvet in rebus magnis & publicis.] Ita hoc dictum Salvatoris exponit, & hoc argumento utitur Conc. Chalcedonenſe in Epiſtola ad Leonem M. & VI. Synodus act. 17. SS. Innocentius, Cæleſtinus, &c. Itaque ſeveritas præcepti, quo ad obtemperandum Eccleſiæ eique credendum obſtringimur, infallibilem & immotam ejus fidem & fidei doctrinam ſancit. Cur enim exitium minaretur non audienti Eccleſiam, ſi vox ejus fallax & a veritate aliena aliquando eſſe poſſit? Incertæ enim auctoritati prudenter non poteſt haberi fides certa. Hic eſt igitur verè *validiſſimus Elephas*, qui validiſſimè proſternit & conterit omnia commenta vel inviſibilis utopicæ, vel viſibilis & in rebus fidei defectibilis Eccleſiæ.

Nonò. Similiter pag. 98. impugnas doctrinam Catholicam de Primatu Papæ, ſive Petri & Succeſſorum ejus ex illo Joan. 21. [PASCE OVES MEAS] aiſque ſuprà pag. 66. *eſſe purum putum ſomnium, cùm indè perpetuam puritatem fidei in Cathedrâ Romanâ fundare conantur; eò quod in illis verbis nihil aliud mandatum ſit Petro, quàm quod cæteris omnibus Doctoribus & Prædicatoribus 2. Pet V.* Verùm, Wigande, hæc tua eorum verborum detorſio hæretica ad qualecunque munus prædicandi, verè eſt *purum putum ſomnium* è furore Lutheri enatum, quod nulli ante vos interpreti in mentem venit. Nónne SS. Patres communi ſenſu conceptis verbis vobis contradicunt? Sanctus Ambroſius in Lucam,

Per hac verba, inquit, *PASCE OVES MEAS*, *Dominus reliquit nobis Petrum quaſi Vicarium amoris ſui.* S. Chryſoſtomus l. 2. de Sacerd. *Hæc Domini verba Principem Apoſtolorum Petrum conſtituunt, & univerſi gregis curam gubernationemque mandant.* S. Cyprianus de unit. Eccleſ. *Super unum illum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas* -- *Vnus eſt inter Paſtores Petri primatus, nam paſcit ut primus & ſupremus.* Is eſt ſenſus omnium SS. Patrum communis: & hic Neophyto Lutherano eſt merum ſomnium! Sed & illud adhuc intolerabilius, quod infrà pag. 111. affingis nobis, quaſi ex illis verbis, PASCE OVES MEAS, Catholici ſatagerent Romano Pontifici tanquam Succeſſori S. Petri *Dominatum in oves Chriſti* arrogare, quod non niſi per luculentam calumniam dicitur. Hæreticum & blaſphemum haberemus nos omnes Catholici eum, qui ſentiret, oves non manere in Dominio ſupremi Paſtoris Chriſti, per hoc, quòd ſuo loco ad cælos aſcenſurus viſibile ſed miniſteriale caput reliquit, cui omnium ſuarum ovium gubernandarum curam generalem demandavit. Non pudet Te tam turpis & ſpiſſæ calumniæ? uti nec ejus, quâ infra pag. 93. nequiter affingis nobis, quaſi illa verba: QVICQVID LIGAVERIS &c. PASCE OVES &c. ſic interpretemur, *ut inde liceat Papæ, tanquam alteri Deo, in ſpiritualibus, & ſæcularibus ſtatuere, quicquid libuerit, & id ab omnibus inviolabiliter ſervandum.* Sed ô rem novam! Wigandus e Nominali Philoſopho & Lutherano Neophyto ſubitò mutatus videtur in Thomiſtam, qui etiam Ieſuitis non dubitat objicere Thomiſticæ doctrinæ deſertionem, præcipuè autem pro maculatâ conceptione B. Virginis Deiparæ, pro quâ PP. Dominicanorum ipſe advocatum velle agere videtur. Audiamus.

Decimò, Apud vos, inquit pag. 94. *Mater Dei eſt abſque originali peccato concepta; hoc negant Dominicani, nec hactenus auſus eſt ullus Pontificum de hoc ferre ſententiam decretoriam. Non poteſt ergò Papa interrogare Spiritum S. qui certè debet ei revelare, cum primum cathedræ inſidet? Certè res grandis momenti eſt, in quâ tamen Paulus. Rom. 3. jam pronunciavit: Non enim eſt diſtinctio; omnes enim peccaverunt, & Rom. V. v. 12. Et ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo OMNES peccaverunt. Auditiſne hoc, Ieſuitæ? quid ſignificat, OMNES? quis hic excipitur? Nonne hæc Scriptura eſt clara? jam vos affertis diſtinctiones & exceptiones, & apud vos S. Scriptura debet mentiri, ut MARIA ſingulare quid habeat. Fertis ſententiam de Scripturâ: & ecce! hoc ipſe Papa tentare non audet: timet condere novum Fidei articulum. Quid porrò eſt, quòd timeat, ſi, ut ipſe jactat, infallibilis eſt? o miſeram infallibilitatem! Tamen Dominicani tandem cum S. Scriptura triumphabunt contra Ieſuitas, & hi voculam OMNES ex Epiſtolâ ad Romanos cum ſuis quatuor cornibus evellent aut eradent.* Ita Sannionem ſcommaticum velle agere videris apud plebem ſimplicem, non concionatorem & Theologum ſerium ac gravem. Ipſi PP. Dominicani ſibilis & execrationibus hoc tuum elogium patrociniumque excipiunt, vaticiniúmque hæretici explodunt. Quàm ridiculus mortalis es, qui Ieſuitis approprias, quod eſt omni Catholico, extra aliquos paucos, communiter indubitatum? Crediſne unquam in Eccleſiâ abrogatum iri feſtum immaculatæ Conceptionis?

Sed

Sed quid Tu Neophyte, ita urges illud OMNES? anne ergò nullibi in S. Codice patitur exceptionem? Accipe illud, quod paulò ante ex 2. Cor. 6. falſariè & perversè allegâſti de Apoſtolo, *OMNIA habentes*. Ergóne OMNIA nullo excepto, juxta Te, habebat vel poſſidebat Apoſtolus? Ergóne cùm idem Rom. 14. ait *OMNES ſtabimus antè tribunal Chriſti*; etiam ejus Matrem credis ad tribunal hoc ut ream fore ſiſtendam? Quid dices ad ejuſdem Apoſtoli effatum, *OMNES, quæ ſua ſunt, quærunt. &c.*? hoc ſi quis de modernâ Pontificiâ pronunciâſſet, quo tu non cum plauſu acceptares? at cùm vides de aureo illo Apoſtolorum ſæculo ab ipſo eodem Apoſtolo prolatum, quàm longam látámque neceſſe eſt admittas exceptionem? Omitto innumera talia, quæ ſponte in Concordantiis verbo, OMNIS, occurrunt. Cùm ergò alicubi reſtrictiones & exceptiones in eâ univerſali voculâ admittendas eſſe tu ipſe negare non auſis; quid rationabilius, quàm ut determinatio ejuſmodi non à quorumvis privatorum, ſed totius aut maximæ partis Catholicæ Eccleſiæ petenda ſit. Sic cùm infrà pag. 147. ſatagis pro Communione ſub utraque ſpecie univerſaliter fidelibus omnibus præceptâ, illud BIBITE EX EO OMNES urgere; non poteſt non exigere aliquam reſtrictionem, quam ipſe S. Marcus mox adjungit, dicens, ET BIBERVNT EX EO OMNES. Cùm igitur neceſſariò admittenda ſit aliqua reſtrictio, clarum eſt, futiles eſſe omnes illas cavillationes, quibus hic vel ille pro privato ſuo ſenſu aut libitu dilatare vel reſtringere conatur. Et hæc ſufficiant de HERMENEVTICA ſeu PARHERMENIA Wigandi.

PARS POSTERIOR

Struxeritne Wigandus vel unicum è SS. Literis ſyllogiſmum adverſus Catholicos irrefragabilem & convincentem?

Respondeo, Perluſtratis diligenter omnibus, quæ tam in ſermone revocatorio, quàm in Apologiâ declamat populariter ad SIMPLICES MANVDVCENDOS, certè nec unicum invenio, qui vel ad Topicam reduci poſſit, ſed omnes ad Sophiſticos Elenchos remittendi ſunt. Sane in pluribus non videtur ſeriò agere, ſed ludere in re ſeriâ. Si novam lucem PHAROS illa voluit Germaniæ præferre, cur non provocationi P. Maſenii nomine omnium Academiarum Proteſtanticarum occurrit, & ex ſolis S. Scripturæ verbis claris, aut quæ cum his irrefragabiliter connexa ſunt pro ſuo Lutheraniſmo contra Catholicam noſtram Confeſſionem oppoſuit? Præter vanam jactationem in re ipſâ nihil invenio: aptéque hîc de ſe veriúſque dicere potuiſſet, ſervare ſe cum ſuis in hoc puncto ALTVM DESPERATVMQVE SILENTIVM. Viſum eſt igitur nunc etiam unam Decadem Paralogiſmorum, uti antè Decadem Parhermeneuticæ Carnificinæ, adjungere.

Primò itaque uti ſuprà vidimus in ſermone revocatorio Wigandum fœdè falſificantem verba Deiparæ pro ſuorum votorum violatione fucandâ; ita pro eâdem arguit contra

Digitized by Google

ri? num eſt ſingulare donum Dei 1. Cor. VII. v. 5. *cujus nemo poteſt eſſe certus.* Quicquid Tu illi, poterit & ipſa Tibi votirupæ reponere, ut oſtendi in Bellarm. Vind. Tom. II. lib. IV. cap. 3. §. 7. ob. 3.

Tertiò In eodem Sermone revocatorio pag. 27. contra Votum Paupertatis argumentaris ex Epheſ. 4. & 1. Theſſ. 4. quòd Apoſtolus labore manuum ſuarum ſe ſuoſque aluerit: ex Marci 14. quòd ſemper pauperes habituri ſimus nobiſcum, quibus, cùm voluerimus, poſſimus benefacere: Matth. 5. *Beatos prædicari pauperes ſpiritu*, qui ſcil. ob Chriſtum aut ejus Evangelium parati ſint omnia relinquere: ex Tob. 4. Da eleemoſynam de Tuo: Dan. 4. Iniquitates tuas abrumpe per miſericordias pauperum. Quid infers? Ergò votum paupertatis eſt malum. At cùm in Confutatione videris exigi à Te rationem firmam connexionis, cùm certe Catholicis inter tua dicta nullus appareat nexus convenientior, quàm inter muſcipulas & carmina, aut ſcopas diſſolutas, cur nos in Apologiâ non docuiſti, quâ formâ, quo equuleo, quibus fidiculis poſſit ex illo tuo antecedente, multiplici Scripturâ inſtructo, conſequens tuum extorqueri? Nos certè inferimus contrarium, nempe ſic: Si bonum eſt dare eleemoſynas modicas ſucceſſivè; meliùs erit dare omnia ſimul juxta conſilium Chriſti, & hunc ſequi Matth. 19. Sed verum prius. Ergò & poſterius. Hæc certè illatio videtur clara: evidenter autem falſa illa tua & hæretica. Ergò non eſt perfectius, nec magis Deo placitum, juxta conſilium Chriſti omnia ſua ſemel relinquere pauperibus. Ergò qui cum Anania & Sapphira ſacrilegè opes quærit, & poſſidet, poteſt nihilominus gaudere cum Wigando, quòd à moleſtis vinculis liberatus ſit.

Quartò. In Sermone revocatorio pag. 51. ſic ſciſcitando arguis: *Vbi Deus in SS. Literis eſum carnium certis diebus prohibuit? Nonne diſcipulis præcepit*, MANDVCATE QVÆ APPONVNTVR VOBIS? *An non dicit Apoſtolus col.* 2. NEMO VOS IVDICET IN CIBO, POTV, SABBATHO, AVT DIE FESTI? *Nunquid idem* 1. *Tim.* 4. *dicit, prohibitionem eſus carnis eſſe doctrinam Dæmoniorum, quia repugnat Evangelio? Ergone credere & ſervare teneor quod cuique Paparum in mentem venit?* &c. Sic tu interrogando argumentaris non certè theologice ſed rhetoricè & ſophiſticè. Ego ſcopis tuis diſſolutis oppono viciſſim hæc. Cùm certò conſtet ex Act. XV. præceptam eſſe abſtinentiam à ſanguine & ſuffocato; Quæro abs te, Wigande, I. Si Apoſtolus apud Gentilem, cui Chriſtum prædicare intendebat, prandiſſet, ac appoſitos habuiſſet lepores, turdos, lucanicas ſanguine & lardo fartas &c. quid juxta tuum Evangelium agere debuit? an abſtinere? at hæc juxta te eſt doctrina Dæmoniorum, & repugnat præcepto Chriſti, *Manducate* omnia quæ apponuntur vobis. An comedere? Sed hoc repugnaret decreto Concilii primi Apoſtolici. An fortè etiam juxta te hoc primum Concilium decrevit doctrinam Dæmoniorum? Apage blaſphemias! An non hinc perſpicuè apparet, aliud iis verbis non mandaſſe Chriſtum, quàm ut eſſent contenti eo cibo, qui apponeretur, nec lautiora deſiderarent. Quæro abs te II. An illud Apoſtoli præceptum Col. 2. Nemo vos judicet &c. admiſerit aliquam exceptionem, vel nullam? Si ita, (uti ſanè dubitari nequit de ſanguine & ſuffocato;) cur non Eccleſia habeat ſimiliter jam poteſtatem prohibendi, aut præcipiendi nunc aliqua ob honeſtos fines gloriæ DEI? an præcepta Eccleſiæ de rebus ex ſe indifferentibus vel ponendis vel omittendis ſunt obſervantiæ legis Moſaïcæ? An S. Iacobi & aliorum Sanctorum abſtinentia perpetua à carne,

Vino

Digitized by Google

vino & ſicera ad macerationem carnis ſervata etiam fuerit contra Apoſtolum, imò juxta illum fuerit ex doctrinâ Dæmoniorum? Quæro abs Te III. Quâ fronte auſis tuum crimen Falſi excuſare, quod manifeſtè & fraudulenter admiſiſti in allegatione 1. Tim. 4. ubi tuam hæreticam blaſphemiam propoſuiſti ſimilibus typis majuſculis, quibus reliqua, quæ præceſsêre S. Scripturæ verba? Verúmne ergò juxta veſtrum Lutheranum Evangelium, quòd doctrina Dæmoniorum ſit qualiscunque prohibitio cibi & potûs v.g. vini & carnis tertianâ laboranti facta? an verò ſolùm, ſi ab iſtis abſtineatur, ut ab à malo principio conditis creaturis, uti olim Manichæi, Encratitæ, &c. aut tanquam ex legis Moſaïcæ præcepto immunda & abominanda, ut Iudaïzantes? Cur etiam vos Lutherani non peccatis contra Apoſtolum religioſè obſervantes diem dominicum, & nonnulla etiam B. Virginis & Apoſtolorum Feſta? Denique tua illa ultima interrogatio nun quid includit calumniam ſatanicam, quâ ſimplicibus perſuaſum is, Papiſtas teneri credere & obſervare, quicquid cuivis Papæ in mentem venit? Cui verò Catholicorum ſani cerebri hoc unquam in mentem venit? Vt porrò etiam ad oculum appareat vanitas Apologiæ tuæ, quâ pag. 13. illud crimen Falſi excuſatum is, quaſi Apoſtolus implicitè [illegible], quod Tu explicitè; (quamvis & id ipſum ad crimen Falſi ſufficiens eſſet, ſi tu [illegible] 5. num 28. non es calumniatus.) Ponam itaque ego formaliter prorſus ſimilem ſyllogiſmum. Qui docet abſtinere à cibis, quos DEVS creavit ad percipiendum fidelibus, docet doctrinâ Dæmoniorum. Atqui & Apoſtoli Act. XV. ℣. 20. & 41. docuerunt abſtinere à ſuffocatis & ſanguine (cibis utique quos DEVS creavit ad percipiendum fidelibus) Item Medici etiam Chriſtiani docent abſtinere tertianâ laborantes à vino & ovis, & Romana Eccleſia vetat in Quadrageſimâ veſci carnibus. Ergò & Apoſtoli & Medici & Romana Eccleſia docent pariter doctrinam Dæmoniorum. Tu Neophyte, niſi velis impoſtor haberi, oſtende vel umbram diſparitatis formalis inter hunc & tuum ſyllogiſmum.

Quintò. In parte 2. Apolog. pag. 32. num. 25. Pietatem Carthuſianorum, aliorumque Monachorum nocturnas vigilias frequentantium explodis, per contemptum argumento ducto à Patriarcha Iacob Gen. 31 & cujuſvis ruſtici triturantis. *David*, ais, *non erat Monachus, & tamen pſallebat DEO dies ac noctes.* Pſal. 42. & Pſal. 119. *Paulus & Silas non erant Monachi, & tamen leguntur in carcere Philippis oraſſe, & DEO laudes decantaſſe.* Act. 16. *Chriſtus Salvator non ſe abdebat in clauſtro, & tamen pernoctabat in oratione DEI.* Quid, quæſo, infers ex his SS. Literarum teſtimoniis? Ergò Sereniſſimus in adoleſcentiâ ſuâ non debuit ædificari & pios animi motus concipere erga Catholicos, cùm iſtas vigilias notavit frequentari à Carthuſianis. Vah acumen! vah telum amentatum! Quis etiam Proteſtantium, cui aliquid germanæ pietatis ſupereſt, non potiùs laudet Sereniſſimum, qui eâ conſideratione ad pietatem Catholicam nonnihil adjutus eſt, quàm tuam, Neophyte, abominabilem ACEDIAM, quâ ut *Tyrannicum præceptum* Canonicum officium peragendi & *laqueum Diaboli* criminaris. Quomodo enim *laqueus* eſt, quod nemo niſi ſponte libera pollicetur? Quomodo *Tyrannicum*, quod ipſi ſummi Pontifices æquè ac imus Diaconus quotidiè exſolvit.

Sextò. Motivum principale & unicum fere defectionis tuæ ad Lutheranos fundamentum

mentum ponis pag. 45. in hoc ſyllogiſmo. *Illa non eſt vera Chriſti Eccleſia (ſed potiùs deſerendus à me ſuperſtitioſorum cœtus,) in quo non ſub ſummo Capite Chriſto divini Verbi prædicatio pura & legitima Sacramentorum adminiſtratio ſincerè conſervatur. Sed talis eſt Eccleſia Romana. Ergo à me deferenda tanquam falſa & ſuperſtitioſa.* Totam vim patet eſſe in Minore, quam niſi claris in Scripturâ expreſſis verbis, aut cum ejuſmodi evidenter connexis demonſtraveris, nihil agis, cùm non modò jure optimo eundem ſyllogiſmum Catholici, ſed etiam Calviniſtæ, & quicunque è Bibliſtis Sectarii poſſint objicere. Videamus igitur in hâc ſummâ rerum, an vel unicum in Scripturâ clarè expreſſum, ſive cum ea irrefragabiliter connexum afferas firmamentum. Ais igitur; *Eorum doctrina non eſt pura, qui docent illa ut ad ſalutem neceſſaria, quorum in Evangelio nullo verbo ſit mentio, quæ ab hominibus ſunt excogitata dogmata: de Meritis operum, de Transſubſtantiatione, de Sacrificio Miſſatico, de Cœna ſub una ſpecie, de Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Cultu imaginum & Reliquiarum, Adoratione Crucis, de Poteſtate canonizandi Martyres, Indulgentias conferendi, Animas Defunctorum juvandi, &c. Sacramenta ſuis membris non diſtribuunt ſecundum Chriſti inſtitutionem & ritum ab Apoſtolis traditum.* En, quot articulos uno halitu explodis! at ubi vel umbra probationis? Exſpectavimus hucuſque patienter, & quidem non niſi ex Scriptura juxta tuam legem. Perge igitur: *Nam quod attinet Baptiſmum, habent in eo multa additamenta & ſuperſtitiones, quibus certo modo efficaciam & vim aliquam adſcribunt majorem, quàm huic ipſi Sacramento, ut notat Chemnitius.* Itáne probas tua per petitionem principii, & apertam calumniam? Vbi tandem manet Scriptura? *Non agunt*, ais, *in cœna, quod egit Chriſtus, & ad ſui memoriam agendum præcepit*: BIBITE EX HOC OMNES *& contra Pauli doctrinam* 1. Cor. 12. v. 28. PROBET AUTEM SEIPSUM HOMO, ET SIC DE PANE ILLO EDAT, ET DE CALICE BIBAT. *Adorant Sacramentum cultu latriæ ſoli DEO debito, quod nec Chriſtus præcepit, nec Apoſtoli practicarunt. Cur igitur Papiſtæ non acquieſcunt inſtitutioni Chriſti & praxi Apoſtolorum? Cur ſemper aliquid aſſuunt iis, quæ æterna Sapientia bona & ſufficientia agnovit? Vnde probant hanc poteſtatẽ? plurimumq́; oporrebit ſudare Papiſtas, ut ſe artolatriâ irretitos extricent. Species certè Sacramentales non ſunt DEVS. Ergò nec Latriâ coli debent; Nihil enim DEI ſunt, nec aliquid divinum in ſeipſis habent, niſi quod juxta Papiſtas ſine connaturali ſubjecto conſerventur: an verò ideo adorabuntur? An quia Angelus per aſinam Balaam loquebatur, ideo flexo poplite aperto capite aſina adoranda? Quænam igitur hæc* Eccleſia, *quæ talem idololatriam exercet? qualis congregatio, quæ ab Archi- & Epiſcopis, Patriarchis, Cardinalibus, Papâ tanquam Chriſti in terris Vicario regitur, quorum officia, uti in Papatu vigent, à Chriſto non inſtituta, nec ullus de iis apex in Evangelio, ſed cum tempore à Romanis ad Pompam & faſtum ſunt introducta.*

Digitized by Google

Hactenus argumentum principale totius Apologiæ,conflatum utique ex petitionibus ejus, quod eſt in principio,ex conglobatis calumniis, ex cavillatione illa, quâ fraudulenti cauſarum patroni onus probandi in adverſarios conferre ſatagunt,dènique ex ſummâ Scripturarum clarè expreſſarum inopiâ, & irrefragabilium ex illis claris factarum deductionum. Nihil horum hic apparet. Vnde repono hic Wigando,quod olim Calixto: Sicuti Calixtus & alii Lutherani communiter dicunt: [*Quæ ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſaria,ita perſpicuè in S.Scripturâ proponuntur, ut qui Scripturæ ſententiam audit, non minùs certus ſit, quàm ſi Iudicem è ſupremo tribunali pronunciantem audiat.*] Si,inquam, hoc verum eſſet, (uti reipſa falſum eſt,) nemo conſequenter loquendo negare poſſet,Communionem ſub utraq; non eſſe Laicis neceſſariam,cùm non niſi fatue dici poſſit,verba illa Chriſti: *Bibite ex eo omnes*, & Apoſtoli: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*, tam eſſe perſpicua, acſi hodie novus Doctor & Iudex e cathedra vel tribunali edicat: *Omnes fideles tenentur ſub utrâq; ſpecie communicare.* Quod in ſuperioribus non ſemel feci, & hic facio & repeto. Vel inimici noſtri (Græci Schiſmatici) ſint judices,an non tua tota hæc declamatio,in quâ tamen nexus & vis potiſſima tuæ apoſtaſiæ tuendæ includitur, non ſufficiat ad ſuadendam probabiliter aliquā opinionem,nedum ad dèmonſtrandam veritatem divinam cælitus revelatam in verbis Scripturæ expreſſis,aut ex his irrefragabiliter deductam? Fœdè igitur defeciſti in principali tuo motivo è SS. Scripturis efficaciter confirmando.

Septimò. Iterum pag. 70. probare contendis, *Proteſtantes habere in univerſâ ſuâ Fide verum unicum fundamentum, & veram petram Chriſtum, & SS. Scripturam: Romaniſtis vero non eſſe niſi purum hominem loco petræ fundamentalis ſcil. Pontificem Romanum, quo prorſus non indigemus, cùm Chriſtus in cælos aſcenſurus Apoſtolis & in iis univerſæ Eccleſiæ hanc ultimam promiſſionem reliquit*, Matth. 28. v. 20. ECCE EGO VOBISCUM SUM VSQUE AD CONSUMMATIONEM SÆCVLI. *Quodſi adeſt nobis & Eccleſiæ ſuæ ut caput ſuis membris, quid indigemus alio capite? Si regit ipſe Eccleſiam,ad quid opus regimine Pontificis?* Hoc argumentum è verbis Chriſti conſtructum nec hilo melius eſt priori,& ſi in formâ ponendum ſit,erit tale: Tunc non indiget Eccleſia capite univerſali viſibili, ſi habeat ſemper uſque ad conſummationem ſæculi ſibi præſens caput inviſibile Chriſtum. Sed juxta promiſſionem Matth. 28. ita habet ſibi præſentem Chriſtum. Ergò non indiget viſibili. Quis hic non videat,Majorem petere principium,imò eſſe apertè falſam? Eſt hoc utique ipſum Myſterium iniquitatis,quo univerſi hæretici quisq; ſuam Sectam tueri conatur: Sufficere ſibi,ajunt omnes,Scripturam eſſe inviſibile caput ac judicem,ut nimirū ſic ipſi pro ſuo quisq; libito verba Scripturæ torquere valeant. Volunt caput,ſed mutum & inaſpectabile, a quo certi ſint,quod voce humanitus perceptibili damnari nequeant. Non poſſunt Proteſtantes Independentium hæreſin,negantē omne miniſteriū verbi & ſubordinationem hierarchicam, jure redarguere. Quàm parùm poteſt congregatio omnium Fidelium carere particularibus miniſtris & doctoribus; tam parùm poteſt etiam unitas & veritas Fidei, itemq; diſciplina Eccleſiaſtica abſque uno capite & judice viſibili conſervari. Rècitavi olim in parte 1. Irenici

Antica.

Digitized by Google

Anticalixtini cap. 4. num. 5. verba Lutheri, Melanchthonis, Buceri, Caſſandri, Grotii de neceſſitate & utilitate unius capitis viſibilis pro gubernandâ univerſali Eccleſiâ. Quodſi iſti perſpicuè videre potuerunt, nec doctrinæ conſenſum, nec diſciplinam Eccleſiaſticam absq; uno viſibili capite conſervari poſſe; id Filius DEI, increata & incarnata DEI Sapientia non viderit? aut ſi vidit, ejuſmodi regiminis formam Sponſæ ſuæ dilectiſſimæ inviderit? Quis niſi veſanus ita ſapiat? Adhæc Chriſtus ante Aſcenſionem fundavit Eccleſiam ſuam: Ergò vel reliquit ſine hierarchiâ, ſine paſtoribus; & hæc eſt aperta & barbara Hæreſis contra Apoſtolum Ephes. 4. vel aſſignavit certam regiminis formam & ſpeciem. Non Ariſtocraticam aut Democraticam, alioqui contra Legem divinam & Chriſti conſtitutionem peccaſſent, qui (*Jure Humano*, ut Calixtus cum multis admittit) ſubſtituêre Monarchicam. Imò etſi gratis daretur, reliquiſſe Chriſtum Eccleſiæ determinandam formam Regiminis ſui, adhuc videtur hæc ex Jure naturali divino determinare debuiſſe Monarchicam, ſine quâ videt vix ac ne vix quidem poſſe conſervari unitatem Fidei abſque Schiſmatis periculo, & & diſciplinam Eccleſiaſticam.

Octavo Nuſquam copioſiùs Scripturam allegas, quàm in oppugnando Petri Primatu; ſed ubique ſophiſticè ludis in ambiguitate vocum *Petra* & *Fundamenti.* Sic arguis I. *Chriſtus non dixit, Super te Petrum ædificabo Eccleſiam, (nam hoc eſſet malè ædificare; ſed ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Hæc autem Petra eſt CHRISTVS ipſe* 1. Cor. 10. [PETRA AVTEM ERAT CHRISTVS] & Ephes. 2. *vocatur* LAPIS ANGVLARIS. *imo Petrus ipſe vocat illum* Ep. 1. Cap. 2. LAPIDEM VIVVM. Reſpondeo. Et Propoſitio & Aſſumptio apertè falſæ ſunt. Illa quidem, quia duo iſta, *Super te Petrum & Super hanc Petram*, non ſunt niſi variatio phraſis. Satis enim conſtat in linguâ, quâ CHRISTVS Petrum allocutus eſt, ly *Cephas*, idem utrobique ſignificare, non ſecùs acſi *Petrus* ac *Petra* in græco & latino prorſus coinciderent. Itaque idem eſt, acſi dixiſſet CHRISTVS: *Tu es Petra, & ſuper hanc Petram; vel Tu es Petrus, & ſuper hunc Petrum*, &c. Illa verò ſimiliter falſa eſt, imò ridicula & nugatoria. Qualis enim eſſet hæc promiſſio Petro ob Fidei Confeſſionem à Chriſto facta: Tu es ex Simone factus Petra, & ego ſuper hanc Petram, id eſt, meipſum ædificabo Eccleſiam meam? Mirum eſt, ſi hoc Scripturæ ludibrium tuum, etiam SIMPLICES veſtri MANVDVCENDI non palpant. Quòd Chriſtus neceſſariò futurus eſſet Eccleſiæ ſuæ ædificandæ principalis Petra & fundamentum, nemini poterat eſſe dubium; & planè ſuperflua fuiſſet & illuſoria talis promiſſio ad Petri Confeſſionem ſuæ Divinitatis remunerandam. Arguis II. *CHRISTVS loc. cit. ſolùm Petrum allocutus eſt, eo quod ipſe ſolus tam præclarè CHRISTI Divinitatem fuiſſet confeſſus. At eandem poteſtatem, quam tunc Petro promiſit ſolvendi & ligandi, poſtea dedit omnibus Apoſtolis* Matth. 18. ℣. 18. & Ioan. 20. Et Ephes. 2. ℣. 20. *univerſim pro fundamento Eccleſiæ ponitur doctrina Apoſtolorum & Prophetarum, ubi nulla fit mentio ſingularis Petri, ſed omnium Apoſtolorum & Prophetarum.* Reſpondeo. Clarum eſt, hîc omnia involvi æquivocationibus. Aliud eſt enim fundamentum *Fidei* Eccleſiæ, & aliud fundamentum *Miniſterii* Eccleſiæ. Et prius iterum eſt duplex; aliud fundamentum *objectivum Fidei*, aliud *ſuggeſtivum & revelans ac proponens* &c. Fundamentum *Miniſterii* Eccleſiæ eſt is, qui habet ſupereminente auctoritate regiminis & miniſterii Eccleſiaſtici, & hæc eſt,

quæ

quæ loc. cit. S. Petro promittitur. Vide hæc fuſiùs explicata in Bell. Vind. Tom. I. lib. III. cap. 2. p. 254. Hinc etiam tertium tuum argumentum ut futile exploditur. Chriſtus eſt lapis angularis & fundamentum principale. Quid, quæſo obſtat, quò minùs ſimul ſit aliud miniſteriale & minùs principale? Omne minùs principale & inſtrumentale ſupponit principale, ut vel Tyrones norunt. Arguis IV. *Si Apoſtoli per dictum illud Chriſti, Tu es Petrus, & ſuper &c. ſuperioritatem ſupra ſe & univerſam Eccleſiam intellexiſſent, nunquam de hâc præminentia contendiſſent invicem, uti tamen factum Luc. 22. paulò ante mortem Chriſti.* Quod dudum Ameſio idipſum objectanti reſpondi, etiam Tibi repono & ſciſcitor ex Te: ſi Chriſti Domini paſſio, crucifixio, mors &c. apertiſſimè Apoſtolis indicata fuit, quomodo igitur *nihil horum intellexerunt, & erat verbum illud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur?* Cur verò non potiùs ex Filiorum Zebedæi ambitu, & cæterorum contentione colligitur, eos non omnino ignorâſſe deſignatum Petrum omnium caput, ſed ambitionis ſtimulis actos in vetitum niti maluiſſe? Omitto cæteras objectionum quiſquilias ſexcenties protritas, & paſſim extantes; quæ certè omnia tam levis momenti ſunt, ut non modò non poſſint cuivis prudenti ſufficiens præbere fundamentum & motivum ab Eccleſia ſe ſegregandi, ſed ne quidem ut probabiliter opinandi. Vt nunc ſileam certiſſimum illum conſenſum SS. Patrum, quos Witakerus, Danæus, Sibrandus &c. Calviniſtæ ideo maluerunt apertè damnare adulationis, quàm cum fratribus ſuis Lutheranis negare ſolem ſplendere in meridie, cùm ſudum eſt cœlum. Quàm verò & illud intolerabile, quòd pag. 100 inconſideratè blateras: *Dico amplius, Poſito, Petrum fuiſſe Dominum* (quis Catholicorum hoc unquam dixit? ſenſit? ſomniavit?) *Eccleſiæ univerſæ, reſediſſe Romæ, imò & jus ſucceſſionis Epiſcopo Romano reliquiſſe tanquam Capiti & Vicario Chriſti; is tamen jus ſuum perdidiſſet, quia S. Petro è diametro oppoſitus ex animarum paſtore factus eſt terrenus Monarcha, qui in gazis ac opibus Reges & Cæſarem longè ſuperat.* Quæro abs Te I. Quâ fronte, quâ conſcientia audes tam apertè, tam hyperbolice mentiri de tanto exceſſu opum pontificiarum? Quæro abs Te II. Eſto, poſſet tuum mendacium tranſire in veritatem: Vnde incomponibilitas illa opum & univerſalis regiminis Eccleſiæ? ſi nec ob crimen aliud fidem non evertens deperditur juriſdictio Eccleſiaſtica, (ut conſtat contra varios hæreticos, &, ut reor, tu annuis;) quomodo propter opes juſtè (ut ponimus) acquiſitas & poſſeſſas quantúmvis copioſiſſimas perderet jus illud hierarchicum? Dices fortè. Non ſtare ſimul curam univerſarum rerum tam ſpiritualium quam temporalium juxta illud Apoſtoli: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Reſpondeo. Quomodocunque accipiantur *negotia ſæcularia*; ſi animus iis implicetur, ſine dubio impedit curam ſpiritualium: ſed quidni fieri poſſit, ut quis iis non modò cor non apponat, ſed etiam nec implicet quidem, ſed per alios procuret cum aliquâ ſuperintendentia, quod is præſtat, qui juxta S. Bernardi monitum ad Eugenium Papam *excurrit incidenter ad talia, non verò iis incumbit.*

Nono. Quæ contra opera ſupererogationis eorúmque merita pag. 123. & ſeqq. è S. Scripturâ diſputas, nullius æquè momenti ſunt. Ais I. *Opera ſupererogationis ſive libera nullam aliam habent radicem, quàm ſuperbiam & arrogantiam.* Et cur vero? Quia Jac. 3. *in multis offendimus omnes.* Et quia 1. Reg. 8. *non eſt homo, qui non peccet.* Sed unde pro-

Digitized by Google

probatur ſequela, quam pernego ? Multò minùs id ſequitur ex involuntariis concupiſcentiæ motibus, quos ex Rom. 7. adducis. Quæ vel umbra repugnantiæ in hoc, quod ex. gr. S. Ioanni Bapt. aut cuivis magno Sancto, quales, Luthero teſte, multos habet Pontificia Eccleſia, ſubinde aliqua otioſa cogitatio aut verbum ſubrepſerit, quo nihil obſtante per plurimos heroicos actus ingentes meritorum cumulos apud Deum obtinuerit ? Perfecta legis impletio ſine ullâ ſubreptione culpæ etiam leviſſimæ ad meritum requiſita eſt muſteum commentum Lutheri, nec vel apparenter ex SS. Literis probatur. Opera conſilii tribus ineluctabilibus argumentis convinci oſtendi in Bell. Vind. Tom. IV. lib. 4. cap. 2. §. Nempe primò Ex liberè & perpetuò ſervatâ caſtitate eorum, *qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum.* Matth. 19. ubi illud, *Qui poteſt capere capiat*, deſignat ſine dubio conſilium ab omni vinculo præcepti liberum. Dein ex 1. Cor. 7 ubi in actu ſignato & quaſi reflexè ait Apoſtolus, proponere ſe ut purè conſilium virginitatis ſervandæ. Tertiò ubi 1. Cor. 9. ubi oſtendit, ſe præcepto, quod ad evangelizandum acceperat à Chriſto, ſuperaddidiſſe liberrimè, quod ſine ſumptu poneret Evangelium, nec mulierem ſororem, uti Cephas & alii Apoſtoli ſecum circumduceret. Objectio Neo-Evangelicorum decantata de præcepto dilectionis Dei ex toto corde, animâ, viribus, funditus everſam vide loc. cit. pag. 224. Verbo, Præceptum non obligat, quatenus eſt de fine, ſed quatenus de medio, ideóque licet illi præcepto, quatenus eſt circa finem, nihil addi poſſit ; poteſt tamen eidem aliquid addi ſcil. conſilia & opera ſupererogationis, quatenus eſt de mediis. Pergis lepidè argutari ex Apoſtolo ad Phil. IV. ℣ 8. *Decætero, fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica quæcunque juſta, quæcunque ſancta quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſiqua virtus, ſiqua laus diſciplinæ, hæc cogitate.* Quid infers ? *Ergo omnibus & ſingulis præcipitur ſtrictè, & comminatoriè ſub pœnâ gehennæ uno verbo omne bonum opus poſſibile quantumvis heroicum.* Hæc non tam eſt hæreſis, quàm fatuitas, quæ Apoſtolo nec per ſomnium venit in mentem. Nihilo pluris valet ſequens collectio, quâ ex Pſ. 103. de angelis dicitur, *quod faciant voluntatem Dei*, & conſequenter, *Pontificios ſuperbè jactare ſe plus facere, quàm ipſi angeli.* Sed hæc non niſi ad decipiendos ſimplices componis, qui non potes ignorare multiplicem voluntatem Dei, præcipientem, conſulentem, permittentem, bonam, perfectam, beneplacentem &c. Hæc & ſimilia, quæ ſequuntur, ſibilos apud Tyrones Theologiæ merentur. Sed inſtauras paulò poſt arietem terribilem contra omne meritum bonorum operum ſive præceptorum, ſive ſupererogationis. Sic arguis pag. 176. *In noſtris bonis operibus ratio meriti deeſt.* 1 *Quia multis aliis titulis ea debemus Luc.* 17 *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus, &c.* 2. *Quia omnia noſtra bona opera ſunt gratia ipſius : Nihil de noſtro, omnia de ſuo damus.* 3. *Quia opera noſtra non ſunt utilia Deo ; quid huic prodeſt noſtra oratio, jejunium, eleemoſyna ? &c.* Nihil opus eſt addere reliquam næniam Wigandi paſſim decantatam, Hæc tria enim, ſi vera ſunt, validiſſima ſunt ad evertendum non modò noſtrorum operum merita, ſed etiam Religionem Chriſtianam univerſam. Si enim revera, ut Wigandus Luthericè contendit, cum his tribus conditionibus operum noſtrorum nullum ſtat meritum, certè nec conſtabit meritum paſſionis & mortis Chriſti, in quâ fundatur omnis Religio Chriſtiana. Sequela patet, quia illæ conditiones æquè reperiuntur in actionibus & paſſione Chriſti. Nam inprimis factus eſt obe-

Digitized by Google

obediens Patri uſque ad mortem, & ſic præſtitit, quod erat præceptum; & idipſum pluribus aliis titulis debebat. 2. Quia omnis actio & paſſio Salvatoris totaliter fundatur in gratiâ divinâ, ſcil. in unione perſonali, quæ eſt beneficiorum divinorum ſummum. 3 Quia etiam opera Humanitatis Chriſti nihil proſunt Deo, qui nullius indiget, & tam beatus eſt ſine omni creaturâ, quàm cum infinitis. Ecce! quàm petulco ariete, dum Papiſtas ex S. Scripturâ impetit Wigandus, omnem Chriſtianiſmum funditus evertit! Et hoc perſpicuum eſt, ſi utrobique ſermo ſit de merito, quod totum rigorem juſtitiæ commutativæ inter homines uſitatæ ſupponit: ſed quæ ratio non requiritur ad quodvis meritum propriè dictum. *Vnde ſicut eâdem gratiâ homo ſit juſtus, quâ gratia Chriſtus homo factus eſt Deus*, ut loquitur S. Auguſtinus lib. de Præde ſt. SS. ita ſimili proportionaliter modo, homo peccator factus ex gratiâ juſtus meretur ſibi *mercedem* æternam *in cælis*, (ſicut conceptis his verbis dicitur in Evangelio) quo Chriſtus per paſſionem & crucem ex promiſſione Dei meruit nobis remiſſionem peccatorum, & omnem gratiam, quæ conducit ad Beatitudinem æternam. Proinde Sycophantia fraudulenta eſt, cùm Wigandus cum cæteris Evangelicis, ſuis *SIMPLICIBVS* perſuaſum eunt, Papiſtas non merito Chriſti, ſed propriis fidere, quod omnes Catholici uſque adeò non ſentimus, ut potiùs tanquam hæreſin Pelagianam deteſtemur; & uſque adeò ex Catholicâ doctrinâ de merito operum Iuſti nihil ſuperbiæ & arrogantiæ pullulat, ut dubitare nequeam, plus ſinceræ & perfectæ humilitatis non modò in religioſis perfectâ virtute conſpicuis, ſed etiam in Regibus, Cardinalibus, Pontificibus ſimili ſanctitatis laude inclytis, etiam ſingulis, inveniri, quàm in buccinatoribus Evangelii ſive ſecundùm Martinum ſive ſecundùm Calvinum reformati omnibus ſimul ſumptis. Μορμολύκια ergò ſunt & puerorum terriculamenta, quæcunque ex hoc capite contra Nos declamat Wigandus; ſicut & viciſſim, cùm ſub finem emplaſtro aliquo ſpecioſo ſatagit operire turpitudinem genuini dogmatis Lutherani de neceſſitate bonorum operum: ubi certè propiùs accedit ad Calixtum, & cæteros Helmſtadienſes ab Hulſemanno Lipſienſi excommunicatos, quàm ad rigidos & γνησίους Lutheranos. Sed noſtrâ non refert.

Decimo. Denique pervenimus ad illud dogma, cujus ſe inventorem vèl inſtauratorem poſt quindecim ſæcula profeſſus eſt Lutherus, ut ſuprà Dial. 2. recitavi ex ipſius Lutheri, & Melanchthonis in Apol. Conf. Aug. apertiſſimis dictis. Catholici ſemper & ubique cum Apoſtolo credidêre ſe formaliter fieri ex peccatoribus juſtos, ſanctos, amicos & filios DEI adoptivos per *pretioſum* illud *donum* divinitus animæ infuſum, quo *divinæ participes naturæ efficiamur.* Lutherus primus, unus, ſolus invenit, & ſuæ Sectæ reliquit tanquam plenitudinem conſolationis cæleſtis *juſtitiam Chriſto intrinſecam, extrinſecè nobis imputatam per fidem ſolam individualis miſericordiæ &c.* Quod chimæricum monſtrum ſatis exploſum manet ſuprà Troph. I. cap. 5. Videamus igitur, quid pro Lutheranâ contra Catholicam juſtificationem è S. Scripturis intorqueat. Pag. 141. ſic: *Errant Romaniſtæ qui contra S. Scripturam juſtificationem ponunt in qualitate infuſa, quod expreſſe adverſatur Scriptura Rom 4. v. 7. ubi Paulus ait: Iuſtificationem eſſe remiſſionem peccatorum, & non imputationem. Iam vero remiſſio peccatorum formaliter non eſt infuſio juſtitiæ, multo minus*

minus ſunt bona opera. Reſpondeo. Verſus 7. citatus continet verba non Pauli, ſed Davidis hæc: *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, quorum tecta ſunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum:* Vbi inprimis falſum apparet, dari hic definitionem juſtificationis formalis, quod certè fieri nequit per verba concreta, ſed in abſtracto ut vocant, longè plura enim involvi ſolent in concreto quàm forma abſtracta fert. Itaque: torquetur hic in equuleo vel cataſtâ Wigandi ſive David ſive Paulus, nec ex verbis expreſſis, nec per irrefragabilem, imò ne probabilem quidem connexionem infertur dogma Lutheri, quod manifeſtè oſtendo. Nonne ſi formam hanc ex S. Petri propoſitione: [*Beatus vir, cui infudit Deus pretioſum iſtud donum, quo divinæ efficimur participes naturæ*; ſive quo efficimur ſancti, amici & filii DEI] reipſa etiam ſive materialiter & concomitanter ſaltem dico, Beatus vir cui remittitur peccatum &c. Nemo tamen rectè intulerit inde, etiam juſtificationem eſſe formaliter remiſſionem peccatorum. Quis ſani cerebri dubitat, Principem illum remittere offenſam, quem adoptat in filium? An ideo adoptio formaliter nihil aliud eſt, quàm remiſſio offenſæ? Vbi nunc manet tua illa imputatio extrinſeca, quæ ut l. c. dixi tam parùm facit peccatorem formaliter juſtum, quàm parùm imputata Sapientia Chriſti vel Salomonis fatuum formaliter ſapientem. Pergis paginâ ſequente: *Manet itaque verum, quod Apoſtolus Paulus Romanor. 3. v. 24. de Iuſtificatione docet: Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, per quem poſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, & v. 28. Arbitramur juſtificari hominem ſine legis operibus ſolùm per fidem. Vbi per legis opera intelligit Apoſtolus non ſolùm ea, quæ fiunt ab infidelibus & non renatis, ſed etiam de iis, quæ fidelis Abraham operabatur Rom. 4. v. 22. Et reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Reſpondeo. Hæc jam eſſe ſufficienter excuſſa ſuprà in 2. Dial. Arii cum Luthero, ubi execrabilis illa & infamis falſatio textûs Apoſtolici notata, & oſtenſum, ex illis Apoſtoli verbis nullam, niſi ope Carnificinæ quodlibeticæ, ſtatui imputationem extrinſecam; verùm Abrahæ fidem (non nudam, ſed ſpe, charitate, & obedientiâ heroicâ veſtitam) fuiſſe reputatam ad juſtitiam; cùm revera intrinſecè fuerit juſtus, mundus à peccatis per gratiæ divinæ donum inhærens, non verò extrinſecâ imputatione falsò habitus juſtus, & reipſa ſordidus & injuſtus. Primum verò illud Apoſtoli dictum de gratuitâ remiſſione peccatorum apud Nos fide certiſſimâ habetur; nihil earum diſpoſitionum, quæ juſtificationem præcedunt, mereri illam, ſed in adultis tamen requiri ut diſpoſitiones non fidem nudam, ſed ſperantem, obedientem &c. Quid hic non ſanctum, Apoſtolo & doctrinæ in Eccleſiâ perpetuò ſervatæ non ex aſſe concinens? Illud denique fingitur, nec expreſſo verbo, nec ſequelâ irrefragabili deducitur à Wigando, quod nomine *Operum legis* veniant non modò legis Moſaicæ, & viribus naturæ poſita, ſed etiam omnia illa, quæ ex fide in Chriſtum prodeunt. Oppoſitum jam monſtratum eſt in eodem Dialogo, quo etiam reliquam Wigandi cramben remitto. Nihil enim video, quod non ibidem ſit ſufficientiſſimè expeditum, oſtenſâ vel Parhermeniâ in verbis, quæ Lutherani allegant contra nos, vel paralogiſmo ne probabiliter quidem ſuadente. Hic ſolùm addo huic Wigandinæ Torturæ demonſtratæ etiam tria notatu digniſſima.

Primum

Digitized by Google

Primum eſt, quàm ſplendidè mentitus ſit Wigandus, cùm pag. 53. ſcripſit: Evangelica Eccleſia poteſt ſibi nomen Catholicæ arrogare, quia quicquid ad ſalutem neceſſarium eſt, & ab illâ creditur, SEMPER in Eccleſiâ creditum fuit. Hoc inquam, eſſe ſplendidiſſimum mendacium, ipſe Lutherus jamdudum profeſſus reipſa eſt, cùm in lib. de ſummâ mandat. DEI ſcripſit, *ſe neminem ſcire, qui de fide & operibus judicare potuerit exceptis Apoſtolis: in cæteris libris id nequaquam invenire, ita ut mirum non ſit, eam doctrinam noſtris temporibus ita periiſſe & extinctam eſſe.* Et Conf. Aug. ait 20. *Doctrina de fide, quam oportet in Eccleſiâ eſſe præcipuam, tamdiu jacuit ignota, quemadmodum* FATERI OMNES NECESSE EST, DE FIDEI IVSTITIA (quâ ſcil. ſola apprehenditur Chriſti juſtitia imputata) ALTISSIMVM FVISSE SILENTIVM. Et Apolog. Conf. Aug. tit. de Sacrificio, de Fide, quâ gratis conſequimur remiſſionem peccatorum: NVLLA PRORSVS FIEBAT AB ADVERSARIIS MENTIO DE GRATVITA REMISSIONE PECCATORVM PROPTER CHRISTVM: OMNES LIBRI, OMNES CONCIONES ADVERSARIORVM MVTÆ ERANT. Taceo nunc alias e ſeptendecim illis propoſitionibus, ad quarum probationem jam dudum P. Tannerus Hunium & omnes Neo-Evangelicos provocavit, ut oſtenderent præcipuos illos Lutheraniſmi articulos à 1000. annis ante Lutherum ſemper fuiſſe creditos, ſi non à multis, ſaltem à paucis, ſi non à paucis aut uno per ſingulas ætates, ſaltem per univerſum tot ſæculorum numerum ab unico. Quàm præclare id poſt omnes, qui ad eam provocationem obmutuerant, id de ſuâ utopicâ præſtiterit Muſæus, vidimus ſuprà Troph. 1. Cap. 3. Diſſimulo etiam, quàm malè cohæreat cum dicto Wigandi axiomate illa alia Wigandi jactatio, cùm ſcribit pag. 80. *Quicquid unquam ad Catholicam fidem pertinens ſcripto continetur, ſive ſint SS. Biblia, ſive illorum declarationes, quas Catholica Eccleſia contentis in ſymbolis & œcumenicis* Conciliorum *definitionibus concorditer recepit, hæc, inquam, omnia habent omnes & ſingula Catholica Eccleſia, ut ejuſmodi* SEMPER *ab uno ævo in aliud, ab unâ Eccleſia ad aliam, atque ita etiam ad noſtra tempora uſque propagata ſint*, &c. Hoc Wigandi Effatum ſive de propriè dictâ ſuâ Eccleſiâ, utopicâ ſcilicet, ſive de Synecdochicâ verificari non poſſe, evidens eſt rem benè conſideranti; & nihilominus eo gratis dato perſpicuè falſum eſt de imputatâ nobis CHRISTI Iuſtitiâ per fidem ſpecialem.

Secundum notatu digniſſimum eſt, quòd cùm Wigandus in ſuorum declamatione Motivorum toties crepet & jactet fundamenta Scripturarum (malè detortarum,) nunquam tamen vel leviter conatus ſit oſtendere hujus ſui principii unici veritatem, & ſic ubique laboravit petitione principii. Quàm ſuaviter diſſimulavit illam Moguntinorum in Confutatione Sermonis revocatorii pag. 35. in fine, factam exprobrationem iſtam: [Occæcato & obdurato Wigando eſt loco omnis probationis improba & effrons inficiatio omnium eorum, quæ non exprimuntur claris verbis in Bibliis, cum tamen in æternum nec è SS. Bibliis, nec ex verâ Ratione probare poſſit, Nihil eſſe credendum, niſi quod ſcriptum eſt in Bibliis, & ita per hoc ſuum putridum & flabile fundamentum univerſam Lutheraniſmi fabricam funditus evertit.] Ad hanc exprobrationem cur ita obmutuit Wigandus, ſi non

Digitized by Google

ſi non videri voluit cuncta ſuâ arenæ inædificare ? Omnia itaque cùm ſuper ārēnam extruxeris ; convinceris , Te per tuam apoſtaſiam, defectionem , (Abfall/ ut tu ipſe vocas, non converſionem) perdidiſſe omnem Fidem divinam , merâque opinatione humanâ te ipſummet,tuóſque Auditores Lectoréſque ludificare. Hanc tuam notam hæreſin & apoſtaſiam fruſtra laboras à Te amoliri pag. 88. Iam ſuprà Cap. 2. ſatis demonſtratum eſt, aut nullum unquam in orbe hæreticum fuiſſe , aut Lutherum talem fuiſſe , & ſimiliter Wigandum , uti & in Troph. I. cap. 10. Vaticinium de tuâ apoſtaſiâ , quam P. Nicolaus Hansler p. m. non 14. diebus ante tuam mortem, (ut tu ſiniſtrè verba Confutationis detorſiſti) ſed quadriennio citiùs nihil minùs cogitanti P. Provinciali prædixit , non ab ullo confictum, ut tu nobis affingis , ſed nimis certò & verè ab illo emanâſſe conſtat ; cujus rei teſtes Romam literas mox idem P. Provincialis dedit. Eſt certè, cur attonitus reddaris hoc vaticinio , cùm ſi rectè calculos ſubducere velis , & tuam propriam ratiocinationem penitiùs inſpicere, deprehendere poſſis, non niſi ex divinâ prænotione illud hauſtum fuiſſe; Sed *induratum eſt cor Pharaonis*!

Tertiò denique notanda vanitas illa , quâ poſtulas pag. 70. oſtendi à nobis vel minimam particulam Boni ex Antiquitate cum S. Scripturâ convenientem , quâ careant Auguſtanæ Confeſſionis Eccleſiæ. At, quid opus eſt actum agere ? Qui inter Proteſtantes ſeriò ſalutem ſuam quærunt, vel ex ipſo Magiſtro ſuo Luthero ſufficienter doceri poſſunt, quot & quanta bona cœtibus Luthero addictis deſint. Omnes ſcil. illæ Veritates , Sacramenta , Sacrificium , dona Miraculorum & Prophetiæ , multi & magni Sancti,verbo OMNIA , quæ Papatus habet , & Lutherani Papatum deſerendo ſimul amiſerunt. Ipſa Lutheri valdè clara pro Nobis Papiſtis ſententia reddet Vos omnes in ſupremo judicio inexcuſabiles. Sententiam Lutheri jam toties occinuimus vobis,ſed ad quam vel tacetis , (ut Muſæus & Wigandus) vel nihil ad rem dicitis. Quid poteſt clariùs eſſe his verbis:

Nos fatemur , quod ſub Papatu multum boni Chriſtiani, imò OMNE BONUM CHRISTIANUM ſit , & indè pervenit ad Nos. Nimirum fatemur , eſſe in Papatu veram Scripturam, verum Baptiſmum , verum Sacramentum , Altaris veras Claves , verum Prædicationis miniſterium , verum Cathechiſmum, &c. imò dico in Papatu eſſe verum NUCLEUM CHRISTIANITATIS , & multos pios magnóſque Sanctos, &c.

Digitized by Google

Certè ubi eſt OMNE BONVM CHRISTIANVM , ibi neceſſariò prærequiritur abſentia MALI CONTRARII. Ergò NVLLVS ERROR in doctrinâ (de hâc ſolâ enim, non de vitâ moribusque eſt quæſtio.) Vnde ineluctabiliter ſemper urget urgebitque illud Ceraſtinum, (etiam Wigando in Confutatione Sermon. Revoc. pag. 27. propoſitum, ſed cum aliis ſimilibus ſuaviter diſſimulatum:) Vel in eâ ſententiâ verum dixit Martinus Lutherus ; cur ergò non creditis Ei ? vel falſum; cur ergò Ei creditis in illis, quæ huic contraria idem vobis tradidit?

F I N I S.

APPRO-

Digitized by Google

EPISTOLA R. P. ATHANASII KIRCHERI *ad P. Vitum Erbermann.*

Ex tuis, quas ad me breves dediſti, mi Pater, duo intellexi: Alterum, Andream Wigandum excurriſſe Ienam ad Concilium malignantium, & Apoſtatam eſſe; alterum, de P. N. Generali Olivâ paſſim in Germaniâ turpiſſimam fabulam ab Hæreticis circumferri. De utroque quid ſentiam, paucis cognoſce.

Advenerant præterlapſis annis Romam nonnulli è Germaniâ Principes & Comites, quos Adm. R. P. N. Oliva, ductus ſtudio humanitatis ac benevolentiæ in exteros, me ſibi in ſocium adſcito inviſit. Iudicabat hoc vir prudens expedire, tum ut intelligerent Germani, nequaquam ſe ſuperbo faſtu à Noſtris Romæ contemni, tum ut ſermonis conſuetudine deliniti animi deponerent noxiam diffidentiam, tum ut aliquando Chriſtianâ charitate conjungeremur illis, & de majoribus eſſe poſſet agendi locus. Verùm, ut video, improbum eſt Hæreticorum ingenium, quibus cùm benefeceris, etiam pejores fiunt. Scribis enim Tu, reverſos in Patriam non voce modò, ſed editis quoque libris jam palàm jactare: *Olivam non ejus eſſe, quo cæteri Ieſuitæ ſumus, de religione ſenſus: ipſo judice Proteſtantium Eccleſiam ſalutiferam eſſe, quam qui ſectentur, non pereant: Non penitus deſipere, qui Chriſti meritis confidant, credantque ſe ſalvos fore: hoc tandem ipſummet Olivam ſperare, ut, qui è Proteſtantibus ſunt, ſecum in cælis felices futuri ſint.* O convitium nequiſſimi hominis, quicunque demum ille ſit! Itáne verò? *Eccleſiam Hæreticam ſalutiferam eſſe*? portentum Theologiæ, prodigium dementiæ! *quam qui ſectentur, non pereant*? nimirum extra arcam ſalus, extra ovile ſecuritas, extra horreum manipuli. Et has ſtultitias Oliva? Oliva inquam? is, cujus ſapientiæ & integritati tota Societas IESV concredita eſt? is, qui per quindecim annos Pontificium Eccleſiaſten egit coram Beatiſſimo Patre & Eminentiſſimis Cardinalibus? is, quem Romæ præſtantiſſimorum virorum ex omni natione ſtudia proſequuntur? Hæc qui ſibi perſuadere poteſt, ſic ab ipſo dicta eſſe, vereor ne ipſe inſaniat. Diu ex meipſo contatus ſum, quid demum potuerit eſſe, unde Hæretici

inquam juſtitiæ divinæ gladio exſcindi ex Libano, illam ſubito caſu corruere, ſuóque fragore Germaniam attonare, id certè luctuoſum eſt bonis, noxium puſillis, ipſi illi vel maximè deplorandum. Sed quid mi Pater? *Oportet utique eſſe ſcandala: væ autem homini per quem venit.* Ejuſmodi caſus nos docent, non eſſe blandiendum nobis & carni; Senum etiam in tuto non ſemper rem eſſe; cum tremore incumbendum omnibus nobis, ut *per opera bona certam faciamus vocationem.* Ego ſi homini præſens eſſem, primùm ei dicerem, à quonam verme medulla Cedri exeſa ſit, unde prima labis & lapsûs origo? nimirum *alieni comederunt robur ejus.* Deinde eum ad ſeriam Pœnitentiam ſtrenuè exhortarer Iudicii divini pœnarúmque infernalium comminatione. Sed cum locorum diſtantia mihi hoc minimè concedere poſſit, Tibi hanc Provinciam, Reverende Pater, totam committo, rogóque ut in funiculis Adam, ſi quomodo potes, errantem reducas, præcipitem retrahas. At at quid audio? Vetulus Senex 66. annorum unam Iuvenculam adſciſcet in Sacrilegum thorum! O turpitudo turpiſſima! Qui unum pedem jam poſuerat in metâ, qui dexteram manum extenderat ad bravium, qui jamjam dicturus erat cum Apoſtolo: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, &c.* in apice victoriæ excedit è ſtadio, ut currat poſt puellulam eique adhinniat. retrahit manum à coronâ, ut in amplexus mulieris ruat: ſubducit ſe labori certaminis, ut in ſinu concubinæ quieſcat & dormitet paullulum! *Cùm eſſet ſenex, infatuatum eſt cor ejus per mulieres.* Videte Davidem, ſi licet; Nam Abiſag Sunamitidem quærit pro ſenectutis ſolatio, ut ajunt. Nunquid bene ei dicemus: *O inſenſate, quis te faſcinavit non obedire veritati?* quis? oculus juvenculæ. *Currebas bene &c.* Ego in horum conſideratione neque me ſatis capere poſſum, neque ipſi ſatis condolere. Sed hæc dimittamus, mi Pater, Deique Iudicia revereamur.

Quod ſcribis, ipſum in Sermone Revocatorio, quem ad frequentem populum Jenæ habuit typiſque evulgavit, honorificam mei mentionem feciſſe, id mihi ſummopere diſplicet; ſum enim memor illius: *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatorum.* Quod verò gloriatur, meum ſe in Mathematicis olim diſcipulum fuiſſe, & unà meæ in Galliam peregrinationis

nis comitem : de hoc profectò uti nihil mihi conſtat, ita quoque ad famam ſibi acquirendam, id totum ab eo confictum eſſe non poſſum non mihi perſuadere. Cæterum vale, meque & miſerum illum tuis SS. Sacrificiis, & precibus commendatum habe. Romæ 7. Febr. 1672.

Reverentiæ tuæ

indignus ſervus

Athanaſius Kircher.

APPRO-

APPROBATIO
R.P. Præpoſiti Provincialis Provinciæ
Rheni Superioris.

EGo Nicolaus Lutz, Soc. Jeſu in Provincia Rheni Superioris Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi factâ à R. P. noſtro P. Joanne Paulo Oliva Præpoſito Generali, librum, cui titulus eſt, *Trophæa Romana S. Catholicæ Eccleſiæ, quæ Lutheraniſmi propugnatoribus, Ioanni Muſæo, & Andreæ Weigando eripuit erexitque Vitus Erbermann S. I.* ab hoc eodem conſcriptum, atque à deputatis ad id Soc. ejuſdem Theologis lectum & approbatum, typis mandari permitto. In cujus rei fidem has literas manu propria ſubſcripſi, conſuetóque Officii ſigillo munitas dedi. Moguntiæ 10. Martii. 1672.

Nicolaus Lutz.

L.S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-3-2

Google